UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo & norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

urn:nbn:de:hbz:466:1-73455

Visual Library


Th. 444a.

X. VI
6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Mora
li.
Lib.
XXXV.
Mo
no
so
logi
um
Pro
logi
um
THEO
logia
SCHO
lasti
ca.
SALIS
bur
gen
sis.
Author e
A.R.P.PAULO
MEZGER
In obsequium Fidei.
C.conh. Heckenauer sculps.



THEOLOGIA SCHOLASTICA

SECUNDUM VIAM ET DOCTRINAM

D. THOMÆ AQUINATIS,

DOCTORIS ANGELICI,

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo & norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta

QUORUM PRIMUS TRACTAT DE DEO UNO ET TRINO, Deq; Creatura Angelica; SECUNDUS de Actibus humanis, Conscientia, Peccato personali, & Originali, de Legibus, & Privilegiis: TERTIUS de Gratia, Fide, Spe, Charitate, Jure & Justitia, Restitutione Contractibus: QUARTUS de Incarnatione, & Sacramentis: Ubi præter theoricas controversias, resolvuntur potiores & pleræq; quæstiones ad doctrinam moralem, & S. Fidei Controversias pertinentes;

Cum duplici copioso Indice.

AUTHORE

Adm. Reverendo, Relig. & Clarissimo

P. PAULO MEZGER,

Ord. S. Benedicti ex Antiquissimo & Celeberrimo Monasterio S. Petri ibidem, S.S. Theologiæ Doctore & Professore emerito, Celsiss. & Reverend. Principis, & Archiepiscopi Salisburgensis, &c. Consiliario Ecclesiastico, nunc in eadem Universitate S. Scripturæ Professore, & Procancellario.

Collegii Soc. Jesu Salisburgensis 1698. 22 Martii.




Cum Licentia & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M. DC. XCV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



REVERENDISSIMIS, PRÆNOBILIBUS, & AMPLISSIMIS

DOMINIS, DOMINIS AUSTRIÆ SUPERIORIS D.D. PRÆLATIS,

S. Cæsareæ Majest. &c. &c. Consiliariis.

Dominis Patronis Gratiosissimis, & Observandissimis.

REVERENDISSIMI, PRÆNOBILES, & AMPLISSIMI

DOMINI, DOMINI PRÆSULES,

NOn absque metu quodam reverentiali intra Inclyti Statûs, & Reverendissimi Cœtûs Vestri penetralia pedem infert mea Theologia; verita nimirum, ne importunè auribus obstrepant Academicæ Controversiæ & Disputationes, quo tempore omnem Curiam curis occupant tumultuosa Martis certamina. Non jam de *legibus*, sed *Legionibus* agitur: neque curat militis *stylus ferreus*, quæ dictamina scribat, aut præscribat calamus *Theologicus*. In argento, non argumento belli nervus intenditur, & causæ pondus statuitur. De *Nummo*, non de *Numine* Numa consultat; neque tanta de acervandis rationibus, quàm dividendis portionibus movetur quæstio.

Audeo tamen *Reverendissimarum Vestrarum Amplitudinum* conspectui sistere & offerre meam *Theologiam*, quia in sua fronte præfert Supremi Numinis optimum Nomen & omen; cujus cultum, ac studium sacræ *Reverendissimorum Austriæ Præsulum* Curiæ inter principes curas semper exititisse, nemo ignorat, nisi qui tam ad nostrorum, quàm antecedentium temporum lucem caligat.

Fuit quondam illa calamitosa tempestas, in qua Bohemicus turbo unà cum avita & vera DEI fide, debitam Cæsari fidem etiam in vicinis provinciis evertere minabatur: ne porrò in Patria *Vestra* corrueret fidelissimus *Reverendissimorum Dn. Prælatorum status* omni ope & operâ cavit, laboranti succollavit, alicubi lapsam reparavit: atque inter tumultuantes patriæ procellas inconcussus, docuit reddere, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*; *quæ sunt DEI, DEO*; (a) Vestræ vigilantiæ & invictæ pietati, ô *Reverendissimi Patriæ Proceres*! magna ex parte debet Orthodoxa Religio sese vel servatam, vel restitutam. Eidem in acceptis refert illum, quo hodiedum conspicitur, florem, & virorem. Alibi efferata Martis barbaries dicata DEO templa solo æquat, vetustissima sanctitatis domicilia & venerandos parietes subactis cuniculis evertit; incerata Divûm simulacra in cineres, delubra vertit in equorum stabula. At *Vestris* sub auspiciis quantis incrementis efflorescit Sacræ Religionis Majestas? Surgunt alicubi ex imis fundamentis sacra DEO templa, alibi raris sive à gypsario opere, sive picturâ artificiis in novam elegantiam efformata resplendent. Alibi pro divini famulitij augmento nova stant Asceteria & Collegia. Altaria Cœlitum honori pretiosè erecta simul oculum rapiunt in admirationem, pectus in devotionem. Ipsimet Beati Titulares, cùm sua sacra lipsana argenteis recepta conditorijs, gemmis ac margaritis præfulgida contuentur, suorum corporum gloriam post anastasin restituendam, hâc anticipatâ gloriâ præsignatam degustant. Ab hoc Religionis zelo non *Vos* impedit irrequietus Bellonæ insultus, temporumque injuriæ. Premunt illæ quidem, &, quis nescit? ingentem æris profusionem exprimunt, quâ adversùs Augustissimi Cæsaris hostes itis in suppetias; non tamen opprimunt: imò (quod palmæ adscribitur, *pressa altiùs*) ab ipsis oneribus fortiores, temporumque victores identidem novas producitis frondes, & *elatas palmarum*. (b)

Quod verò palmarium, æquè militans, ac triumphans Ecclesia sibi gratulatur, à *Vestro* pervigili zelo crescere in fide, virtute, & pietate civium suorum numerum; crescente nimirum intra concreditos vobis subditos Pastorum industriâ, rudium instru-

(a) Matth. 22. v. 21 (b) Cant. 5. 11.

instructione, Sacrorum frequentatione, Divorum cultu, omnigenâ devotione. Cùmque *pro divina intelligentia mentis Vestræ* non ignoretis, *litteras omnium esse fundamenta Virtutum* (c) idcirco in Asceteriis & Collegiis *Vestris* Viros educatis non minùs bonis litteris, quàm virtute excultos, illos ad publica studiorum Emporia & Athenæa dirigitis, ut in hisce veluti floridissimis campis argumentosæ apes sublimiorum scientiarum, præsertim sacræ Theologiæ mella legant, eaque *aërei mellis cœlestia dona* (d) vel, ut sacram doctrinam Hipponensis Præsul nuncupat, *Angelorum ferculum & Archangelorum pulmentum* (e) suo tempore fidelibus subditis in æternæ salutis alimentum dispensent.

O felicem ab hoc Religionis flore patriam! nam uti

— — *prima scelerum causa mortalibus ægris*
Naturam nescîsse DEUM (f)

ita ex adverso *omnia secunda sunt colenti DEUM, & qui Religioni studens Divina tutatur, fluctuare aliquando potest, mergi non potest.* (g) *Quemadmodum omnia à DEO & per DEUM sunt constituta* (h) tanquam abyssali fonte bonorum omnium; ita à vero DEI cultu ceu scaturigine felicitas omnis promanat. Felicia quoque sub *Vestro* Præsulatu Cœnobia & sacra Collegia, quæ velut totidem celeberrimæ virtutis & scientiarum palæstræ Virorum non minùs litteris, quàm virtute clarissimorum examina nutriunt. Hi sunt Ecclesiastici ac Religiosi status præstantissimi thesauri, hæc pretiosa cimelia. Sanè magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus non dubitat, *mentem bonis artibus & disciplinis præditam, arcam Divinitatis* nuncupare. (i) Idem: *sunt*, inquit, *in Ecclesia DEI, & semper fuerunt lapides pretiosi, docti scilicet, & abundantes scientiâ, & eloquentiâ.* (k) Eadem fuit Pii II. Pontificis Maximi de litteris æstimatio, de quo Platina testatur, *libros plus quàm sapphiros & smaragdos curare solitum.* (l)

Itaque securâ fiduciâ *Vestrum* gratiosissimum favorem ambit mea Theologia Scholastica, *Reverendissimi, Prænobiles, & Amplissimi Domini, Domini Præsules.* Theologia, inquam, *quâ fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur* (m) Scholastica, h. e. ambidextera, quæ unâ manu sancta fidei, alterâ sana morum principia propinat; æquè practica, ac speculativa. Est & Thomistica, ut quæ ex Angelici Doctoris stylo & filo contexta, per concatenatam Ejus illibatæ doctrinæ consequentiam decurrit. Est & *Salisburgensis*: nimirum in Athenæo Juvavienſi Superiorum voluntate à me per quindecim annos de suggesto tradita, publicisque Disputationibus propugnata. Est tandem omnibus hisce titulis *Vestra*: in primis quia *Theologia Scholastica*; quis enim dubitet, eam scientiam à *Vobis* in sinu amari, quàm in *Vestro* gremio tam impensè fovetis; ipsi-

(c) Eumen. in paneg. (d) Virg. Georg. (e) D. August. serm. 38. ad FF. in eremo. (f) Sil. l. 4. (g) Campanus apud Nierenb. in Theopol. (h) Arist. de mundo, ad Alex. (i) August. apud Cl. Clem. in Mus. p. 101. (k) Idem serm. 118. (l) Plat. in vit. (m) Aug. 14. de Trinit. c. 1.

ipsimet quoque juvenilibus annis altissimè imbibistis: est quippe naturâ comparatum, ut ea studia omni vitâ colamus, quibus à tenerioribus annis exculti fuimus. Erit deinde etiam ex eo capite accepta hospes, quia sub signis Angelici Ducis militat, cujus doctrinam non tantùm Vaticana Oracula, sed & Ipsamet æterna Veritas de Crucis Cathedra comprobavit: *Bene scripsisti de me.* Erit eo quoque titulo non ingrata, quia Salisburgensis est: sentit quippe nostra Juvaviensis Universitas, multis magnisque gratiis à Vestra manu perfusa, se ingenita Vobis humanitate haberi tanquam domesticam: nam ut taceam, quòd à Reverendissimo DD. Prælatorum Collegio Præsides & Assistentes, ex eorundem Asceteriis Rectores & Doctores, ex Religiosa ipsorum juventute præstantia ingenia altioribus disciplinis informanda magno numero recipimus; nostras Academicas lucubrationes modò Sacras, & Partheniæ pietati dicatas, modò oratorias, modò disputatorias benignis oculis aspicitis, gratiosis manibus tractatis, liberali ære promovetis. A quo Musarum nostratûm favore, nequaquam Vos avocat gravium & publicorum multitudo negotiorum: ea quippe jam *Vestra* dexteritas in consuetudinem; meliùs dixerim, in naturam vertit. Loquar cum Latin. Pacat, in paneg. *Quicquid homines vocamus laborem,* VESTRA *natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit; ita* Vos *continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus semper estis exerciti.*

Hâc Gratiosæ benevolentiæ expertâ humanitate partum meum Theologicum ad sacras manus admittite, *Vestrisq;* Auspiciis fovete, *Reverendissimi, Prænobiles, & Amplissimi Domini, Domini Præsules.* Præmiseram hactenus varios particulares Tractatus, velut quosdam emissarios: nunc verò totum S. Theologiæ Cursum ad *Reverendissimas Amplitudines Vestras* dirigo, ut sub earundem benignissimo aspectu, Nominumque splendore feliciter in lucem prodeat: sub quo nulla erit formido à malignantis noctuæ rostro, vel ungue, *Vestræ* virtutis & sapientiæ radiis ad obscuras nocturni spelæi umbras facilè abigendæ. Permittite demum, ut meus iste qualiscunque labor sit meæ erga Reverendissimas Vestras Amplitudines devotissimæ observantiæ perenne monumentum, cui istud intimum animi demissimi votum inscribam:

ReVerenDIssIMI PræsVLes & PræLati SVperIorIs AVstrIæ
seros fLoreant, VIVantqVe In annos.

Inscripsi & vovi
Die, CHRISTO recèns Nato, sacrâ.

Reverendissimarum, Prænobilium, & Amplissimarum
Dominationum Vestrarum

Obsequentissimus

P. PAULUS MEZGER.

APPROBATIO.

NOs Maurus D. G. Abbas Monſeenſis ac Univerſitatis Salisburgenſis p. t. Præſes, petitam juxta Statuta noſtra Academica ab Adm. Reverendo, & Clariſſimo P. Paulo Mezger Univerſitatis noſtræ Procancellario, ac Vice-Rectore, Sacræ Scripturæ Profeſſore ordinario, Licentiam ac facultatem hiſce concedimus, ut Librum Theologia Scholaſtica ſecundum Doctrinam D. Thomæ intitulatum, dummodo à Facultate Theologica pro more antea approbatus fuerit, prælo committere, ac divulgare poſſit. Actum in Monaſterio noſtro Monſeenſi ſuperioris Auſtriæ die 11. Februarii A. 1694.

L.S. MAURUS Abbas in Monſee, p. t. Univerſitatis Præſes.

AP.

APPROBATIO S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

THEOLOGIAM præsentem, quisquis conspicis, tolle, lege, & intentiori animo doctrinam percipe, sublimia enim Divinitatis sublimiter subtiliter pertractat, ejusdemque abscondita signat; Sacratissima Incarnationis ænigmata dexterrimè solvit, aliaque meliorum charismatum dona luculenter explicat, ad veram denique sapientiam, ceu ad rerum altissimarum perfectam contemplationem ac notitiam viam pandit clarissimam, sacræ fidei lumine copiosè instructa, sole Thomistico perfectè illustrata, solidissimis, exquisitisque rationibus dilucida. Et ut divina mirâ claritate revelat mysteria, sic & sapientissima est rationum, actionumque arbitra, optima æqui, iniquique interpres, dum latentes difficultates de Justitia, de legibus, de vitiis, & universim de humanis actibus è fundo eruit, dilucidè explicat. Nihil agit superfluum, nihil inordinatum, indecorum nihil, sed nec quicquam negligit, aut sicco pede pertransit, in quo sapientiæ aut conscientiæ est quæstus uberior. Dignissimum proinde censemus, ut glorioso labore elucubratum opus isthoc tutissimæ doctrinæ, quam Author Doctor Clarissimus Paulus per annos quàm plurimos publico è suggestu Theologico ferventissimo ac indefesso animo pro laudabili litteraria Reipublicæ incremento, maximâ innumerorum Auditorum proficuitate ac felicitate prædicavit, in frequentissimis actibus publicis invictè propugnavit, typis divulgatum toti orbi illucescat.

Ita censent, simulq; Clarissimo Auctori animitùs gratulantur Collegæ

P. MAURUS LIECHTENHAIMB, Benedictinus, & Lib. Monast. S. Lamberti, Controversiarum Fidei Professor, p. t. Facultatis Decanus.

P. HONORIUS AIGNER, Benedictinus ex Monast. Cremifanensi, Celsissimi Principis & Archiepiscopi Salisb. Consiliarius Ecclesiasticus, Theologiæ Scholasticæ Professor Ordinarius.

P. EDMUNDUS RUEDORFER. Benedictinus ex Monast. Lambacensi, Theologiæ Scholasticæ Professor Ordinarius.

P. VIRGILIUS FABER, Benedictinus, ex Monast. Garstensi, Theologiæ moralis Professor Ord.

Plu-

Plurimùm Reverendo, Religioſiſſimo ac Clariſſimo

AUCTORI

Confratri ſuo dilectiſſimo,

applaudit gratulabundus

CONVENTUS S. PETRI SALISBURGI.

FEſtorum quoties celebrantur gaudia PETRO,
Felici partem fœdere PAULUS habet.
Alternas juſſitque vices Eccleſia mater:
Gloria cum PAULO, ſit quoque PETRE, Tibi.
Exemplo ſpectare licet renovata recente,
PAULI de meritis participante PETRO.
Nempe redundat honos in amantem ſemper amati.
Totus, PAULE ſcias, Te quoque PETRUS amat.
Cur amet in promptu cauſa eſt; nam PAULE mereris:
Virtutes ſtimuli ſunt in amore Tuæ.
Clarior eſt per Te PETRUS, germinasque nitorem,
Quem dat conſpicui clara nigredo typi.
Et tua mox *Summum* ſplendorem *Summa* creabit;
Namque operi Angelicus Sol micat ipſe Tuo.
Sol ab Apoſtolico qui ſumpſit lumine lucem,
Scribere cùm THOMAS multa, docente PETRO;
Ille etiam, *Doctor* meruit qui *Gentibus* eſſe,
Doctrinam THOMÆ tradere viſus erat.
Quid miramur adhuc, ſi THOMÆ PAULUS amator,
Quæ fuerant ſemper nomina nota ſibi?
Ad ſe Cœlicolas potuit ſi flectere THOMAS,
Et cur Tu nolis Hunc quoque Paule ſequi?
Doctrinæ quis non ſolidæ trahat omen ab iſtis?
PAULUS amat THOMAM, & ſunt in amore vices.
Sed nec erit dubium: ſemper Te PETRUS amabit;
Suggeris Ipſe novos, cur adamêre, focos.
Agnoſcunt operis pretium, queîs norma fuiſti,
Et quibus è claro dogmata fonte dabas.
Agnoſcent reliqui, & veſtigia preſſa ſequentur,
Qui Tibi Fraterno proſpera corde vovent.

Plurimùm Reverendo, Religioſiſſimo, ac Clariſſimo

AUCTORI.

ALternâ Ledæ geniti quòd luce coruſcent,
Mutuus hoc fratrum fecit, & unus amor.
Hinc manet alterius frater modò gloria fratris,
Et de quo felix gaudeat, alter habet.
Fabula quæ fuerat, fit tandem verior orbi,
Et vix non hodie migrat in hiſtoriam.
Publica lux fratrem dum circumfulget honoris,
Hinc in me pariter pars quoque magna cadit.
Gaudet uti Caſtor, dum fulget in æthere Pollux,
Seque ſimul partem lucis habere putat:
Sic ego Germani applaudo, & congaudeo luci.
Utque diu terris ſplendeat, aſtra precor.
Claſſica Muſa canat! claſſes pertransiit omnes
Ille docens. Similem ſiſte Juvave mihi.
Si eniti decus eſt, ſummamque attingere rerum,
Qui *Summam** abſolvit, gloria quanta manet?
Et quid erit totum, dum *Summa* hæc prodit in orbem?
Gentibus hinc *Doctor* denique PAULUS erit.
Inde mihi veniet fratris *de lumine lumen*,
Quo ſine me credam lucis habere minus.

* *Theologiam in Summam S. Th.*

Ita Fratri frater
Ejusdem Ord. ac Monaſterii
Profeſſo Confrater,
amoris & honoris ergo
gratulatur


P. FRANCISCUS MEZGER,
Senior S. Petri.

Plu-

Plurimùm Reverendo, Religioſiſſimo ac Clariſſimo

AUCTORI,

Domino P. Procancellario meritiſſimo.



ODE.

EXi, nec lateas, liber beate!
Lucem quid refugis nitente ſole
Doctrinæ Angelicæ? ſuis Aquinas
Affulget radijs. Apollo nullus
Tantundem potuit: feràs nec Orphêus
Qui emovit Cytharâ potente ſylvis.

Nec

Nec qui dulciſonis modis Arion
Delphinas ſibi fecit obſequentes.
Tu non Euridicen vocas ab antris
Infauſtis Erebi, canisve cuſtos
Commentis veterum celebris Orco
Objectat caput, & rapi dolens fert
Conſortem Thalami à canente chordâ,
Quam movit Lyricen manu peritâ.
Tu majora cies, Typoque promis.
Hæc ipſos etiam Deos requirunt
Veſtes, ac ſuperis probata vulgant,
Et glebas animant faces ſupernæ.
Guſtant Ambroſiam, Deumque cernunt
Per Te Terrigenæ, liber beate.
In Summa hâc legitur, probent quod omnes,
Non hi, qui ſpeculantur alta ſolùm,
Et qui mente Deos adire tentant.
Sunt hîc, quæ Themidi placere poſſunt.
Legum jure legent opus periti.
Magna hîc utilitas latet patenti
Expromentur opes, Tagum feracem
Auri quæ ſuperent, Tuasque, Cræſe,
Gazas. ponderat hæc Themis, probatque.
Hoc Emblema notat, tenetque firmum.
Abſit Zoilus! is nihil timetur;
Nam fungi genus eſt parùm æſtimandum.
Bubones metuent, liber, nitorem.
Disperdes tenebras opinionum.
Palmam ipſæ tribuunt Tibi Camœnæ
Majorem veritæ, ſuasque victæ
Submittunt cytharas Tibi in trophæum.
Quà Titan jubar, invehitque lucem,
Et quò præcipites agit caballos,
Illuc Tu veniens timere noli.
Exi digne legi liber beate.

Unanimi plauſu gratulantur

Decanus, cæteriq; Profeſſores Facultatis Juridicæ Salisburgenſis.

AD

AD LECTOREM.

Miraberis forsan, Amice Lector, quòd Theologiam Scholasticam juxta D. Thomi Doctoris Angelici illibatam doctrinam in publicam lucem emittere præsumam, dum in litteratorum manibus versantur doctissimi Commentarii insignium Thomistarum, qui in hac doctrina Angelici sui Præceptoris meditati sunt die ac nocte, eidem à juventute plurimis annis innutriti. Ut enim quàm plures alios præteream, quid solidius Commentariis Joannis à S. Thoma? quid exactius, quàm Disputationes Godoy? quid clarius, quàm doctrina Gonetti? quid eruditius, quàm Speculationes Contensoni? Quibus è Benedictina Familia jure accenseas Anselmianam Theologiam Eminentiss. Cardin. d'Aguirre omni doctrinæ & eruditionis genere refertissimam, & profundissimos Tomos Illustriss. Redingi nostri, quondam in S. Theologia Professoris Salisburgensis Clarissimi. Istis graviss imorum doctorum Scriptis aliam rursus Theologiam adjicere, quid est, nisi Danubio aquas affundere?

Ut hoc te scrupulo, meque simul ambitionis suspicione liberem, scias velim, hunc laborem à me susceptum suasione amicorum, persuasione Superiorum, quibus è plurium præcipuè discentium commodo fore videbatur, si doctrinam per quindecim annos Discipulorum auribus in publicis prælectionibus instillatam, & per plures compendiosos Tractatus ab iisdem Discipulis in arena Theologica propugnatos magnâ ex parte editam, in integrum Opus Scholasticæ Theologiæ digererem, ac publici juris facerem: cùm è Thomisticis Doctoribus aliqui nimis parcâ manu materias practicas dispensent; aliqui nimiâ vel amplitudine, vel profunditate, vel comparandi difficultate discentes absterreant: insuper plerique moderni Thomistæ Angelicam Doctrinam variis in locis modalibus entitatibus respergant, quas tamen entium minutias, ceu Aristoteli, ac D. Thomæ incognitas, & non tam naturæ, quàm luxuriantium ingeniorum superfluum partum & perpetuato hactenus more nostra Salisburgensis tum Philosophia, tum Theologia repudiat.

Ignavumque modos genus à præsepibus arcet;

Ideoque complures subtilitates absque modorum adminiculo, modernis Thomistis ut plurimùm usurpato, in nostra Theologia Salisburgensi enodamus; quam viam modumque, sine modis Thomisticam doctrinam tradendi & exponendi, ostendere, operæ pretium fuerit.

Ipsi quoque Antecessores, qui in enucleandis S. Theologiæ mysteriis utilem operam posuerunt, non tam obstruxerunt, quàm aperuerunt viam, & vestigia reliquerunt succedentibus, ut & ipsi in eruendis cœlestis sapientiæ thesauris impigrè desudarent: *Infinitus* quippe *thesaurus est hominibus*, Sap. 7. cujus eruendi & elucidandi nullus potest esse terminus: est *puteus altus*. Joan. 4. è quo quantumcunque hauries, nunquam ad fundum pervenies: imò, *cum consummaverit homo, tunc incipit*, Eccl. 18. Ideoque D. Leo serm. 9. de Nativ. *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit, in rebus divinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse, quod quærat.*

Nostræ doctrinæ Principes sunt Clarissima Catholicæ Ecclesiæ Lumina, Augustinus, & Thomas. Augustinus: inquam, de quo Volusianus ep. 2. *Cùm ad Augustinum Antistitem pervenitur, legi deest, quicquid Augustinus ignorat*, cujus os D. Paulinus ep. 42. *fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni* appellat, de quo D. Prosper l. de ingrat. c. 3.

\- - - - - *istius ore*
Flumina librorum mundum effluxere per omnem;
Quæ mites humilesq; bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Tho-

Thomas, inquam, quem Pius V. *certissimam Christianæ doctrinæ regulam* appellat: cujus doctrinam *singulari ordine, mirâ perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscriptam*, Clemens VIII. affirmat. Cujus Summæ tantus honor delatus est à PP. Concilii Tridentini, ut eandem penès S. Scripturæ Codicem super altare collocarent. Hos sequor duces, quos nostra S. Facultas Theologica ex primævo Universitatis Juvavensis instituto sequendos elegit. Nostri quoque D. Anselmi præclaram doctrinam ubicunque invenio, exosculor, & amplector. Cùmque nullus dubitem, medullam & consequentiam doctrinæ Angelicæ illis profundissimis Doctoribus penitiùs esse perspectam, qui in illa penetranda, & Angelici sui Præceptoris mente eruenda plurimis annis studium operosissimè posuerunt; quam ab hisce in Schola D. Thomæ versatissimis Magistris, sicut & à meis quondam Colendissimis Professoribus doctrinam hausi, tanquam Thomisticam, & laticem ab illo Angelico fonte derivatum, Tibi, Benevole Lector, propino. Sicubi, ut fit sæpenumerò, de mente & sensu Doctoris Angelici, inter ipsosmet Interpretes illius est disceptatio, mihi censendi jus asséro.

Porrò cùm legis in fronte Operis inscriptionem *Theologiæ Scholasticæ*, nolim existimes, eandem meris speculationibus circumscribi. Æquè in practicas materias diffunditur, & licèt non in omnibus, in permultis tamen Moralis Theologiæ quæstionibus discutiendis, iis potissimùm, quæ ad conscientiæ regimen, & sacrum Pœnitentiæ tribunal deserviunt, occupatur: ubi neque nimium rigorem, neque nimiam benignitatem amplector, obsecutus antiquo monito:

— *medio tutissimus ibis.*

Admiscui, ubi locus erat, illustriores S. Fidei controversias, in quibus polemicè deducendis liberiorem stylo cursum permisi. In cæteris brevitati, quantam necessaria doctrinæ claritas patiebatur, studui; magis discentium, quàm docentium commodo intentus, quibus rarò vacat, ingentes tomos evolvere, & nimis prolixâ commentationum mole oculos ac ingenia fatigare. Qua eadem de causa utor methodo in plures titulos ac divisiones concisa, ut cibum in minutiores partes & membra dissectum Lectori porrigam, minori deinceps molestia masticandum. Dictionem invenies planam & humilem; neque enim è prudentiæ regulis esse censui, simplicem veritatem vestire pomposis verborum phaleris, & Theologicas subtilitates sublimiori stylo reddere obscuriores. Indignum quoque videtur Majestate Theologicæ doctrinæ, ut ubi divina sonant oracula, ubi Paulus prædicat, Augustinus perorat, Thomas disputat, mimicis phrasibus ludat Roscius, nugetur Terentius.

Metuis fortè in hoc meo Volumine aculeatos criticismos, aut satyricas invectiones? Pone metum: hæreticos errores subinde acriùs insector; in cæteris ita mihi inter Conscriptos Theologiæ Patres dicendi jus vendico, ut illud aliis neutiquam abrogare contendam. *Sufficit mihi* [ut cum Hieronymo loquar ep. 18.] Scio, critica censendi acrimonia rationis aciem potiùs obtundi, quàm acui, & satyricis contentionibus regiam veritatis viam non complanari, sed asperari. Præit exemplo D. Thomas, non solùm ex scriptionis claritate, sed etiam modestia Doctor Angelicus, ex utroque Cæsar.

Habes, Lector Benevolæ, meæ scriptionis propositum, formam, methodum. Utere, fruere, & sicubi in aliquod mendum [quæ præter opinionem crebriora irrepsere] incideris, benignè ignoscere, & meæ potissimùm absentiæ imputare velis, qui imperfectos amanuensium characteres internoscere, explicare, emendare potuissem, si correctione typi interesse licuisset. Si quid verò sapidum, gratumque delibaveris, divinam celebra sapientiam, Beatissimum Numen & Lumen nostratum mentium, cujus honori & gloriæ, tuæque utilitati hæc omnia sacra esse volui.

IN-

INDEX TITULORUM
IN HOC PRIMO TOMO THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

TRACTATUS I.
De DEO Uno.
Proœmium.

Disputatio I. proœmialis.
De necessitate, natura, & qualitatibus Theologiæ *ad q. 1. 1. partis.* 1

Articulus I.
De notione, divisione, & existentia S. Theologiæ. 1
§. I.
Notio, & divisio Theologiæ. 2
§. II.
Existentia, status, & progressus S. Theologiæ. 3
§. III.
Necessitas S. Theologiæ. 4

Articulus II.
An S. Theologia sit Scientia? 5
§. I.
Nostra sententia affirmativa. 5
§. II.
Solvuntur objectiones. 5

Articulus III.
Quomodo inevidentia non obstet Theologiæ ad salvandam rationem scientiæ? 6
§. I.
Varia Authorum responsa. 6
§. II.
Nostra resolutio, & solutio objectionum. 7

Articulus IV.
Sitne S. Theologia scientia propriè subalternata? 8
§. I.
Negativa præfertur. 8
§. II.
Solvuntur objectiones. 9

Articulus V.
De objecto S. Theologiæ. 10
§. I.
Objectum formale, & materiale S. Theologiæ statuitur. 10
§. II.
Solvuntur objectiones. 11
§. III.
Corollaria. 11

Articulus VI.
De reliquis genericis & specificis prædicatis S. Theologiæ. 11
§. I.
Supernaturalitas S. Theologiæ expenditur. 12
§. II.
Quomodo Theologia sit speculativa, vel practica? 12
§. III.
Certitudo Theologiæ. 13
§. IV.
Duratio, subjectum, & unitas Theologiæ. 13

Articulus VII.
De locis Theologicis, & sensibus S. Scripturæ. 14
§. I.
Quot, & quinam sint loci Theologici. 14
§. II.
Sensus varius S. Scripturæ. 15

Disputatio II.
De existentia DEI. 16

Articulus. I.
Utrùm DEUM esse sit per se notum? 16
§. I.
Sententia Doctoris Angelici. 16
§. II.
Solvuntur objectiones. 17

Articulus II.
An, & quomodò demonstrari possit, DEUM esse? 18
§. I.
Probatur demonstrabilitas existentiæ Divinæ. 18
§. II.
Prima demonstratio ex ratione primi moventis. 19
§. III.
Secunda demonstratio per viam causalitatis effectivæ. 20
§. IV.
Cæteræ demonstrationes existentiæ Divinæ. 21
§. V.
Utrùm existentia Divina invincibiliter ignorari possit? 21

Disputatio III.

De natura DEI, ejúsque constitutivo. 22

Articulus I.

An essentia & natura DEI sint virtualiter distinctæ, habeántque duplex constitutivum? 22
§. I.
Præsuppositæ, & status quæstionis. 22
§. II.
Fundamenta pro distinctione virtuali essentiæ & naturæ. 23
§. III.
Oppositæ sententia statuitur. 24
§. IV.
Solvuntur fundamenta contraria. 24

Articulus II.

Quid de cumulo omnium perfectionum, & de infinitate sentiendum. 25
§. I.
Argumenta pro cumulo perfectionum & infinitate. 25
§. II.
Utraque sententia rejicitur. 25
§. III.
Solvuntur oppositæ rationes. 25

Articulus III.

Utrùm constitutivum Divinæ naturæ sit aseitas? 26
§. I.
Rationes contra aseitatem. 26
§. II.
Fundamenta pro aseitate. 27
§. III.
Respondetur ad fundamenta opposita. 28

Articulus IV.

Utrùm intelligere radicale, vel actuale sit constitutivum Divinæ essentiæ. 28
§. I.
Fundamenta pro intelligere radicali contra intelligere actuale. 29
§. II.
Propugnatur intelligere actualissimum. 29
§. III.
Solvuntur fundamenta opposita. 31

Articulus V.

Quodnam tandem sit constitutivum Divinæ naturæ. 32
§. I.
Præsuppositæ ad resolutionem. 32
§. II.
Aseitas pertinet ad constitutivum Divinæ essentiæ. 32
§. III.
Intelligere actualissimum coniunctim requiritur cum aseitate ad constitutivum essentiæ & naturæ Divinæ. 33

Disputatio IV.

De distinctione Divinæ naturæ à relationibus, & attributis. 34

Articulus I.

An admittenda sit distinctio formalis actualis ex natura rei inter Divinas perfectiones? 34
§. I.
Præsuppositæ, & status quæstionis. 35
§. II.
Sententia Scotistica impugnatur authoritate. 36
§. III.
Rationes contra distinctionem Scotisticam. 27
§. IV.
Solvuntur obiectiones. 38

Articulus II.

An distinctio realis in tertio sit necessaria & sufficiens ad salvanda contradictoria in DEO? 39
§. I.
Explicatio & probatio distinctionis realis in tertio. 39
§. II.
Hæc distinctio non sufficit ad salvanda contradictoria in Divinis. 40
§. III.
Solvitur fundamentum Adversariorum. 40

Articulus III.

An, & qualis sit admittenda distinctio virtualis in Divinis? 41
§. I.
Expositio distinctionis virtualis. 41
§. II.
An per illam salventur contradictoria? 43
§. III.
Solvuntur obiectiones. 44
§. IV.
Corollaria. 45

Articulus IV.

An, & quomodo essentia in attributis ac relationibus, & relationes ac attributa tum in essentia, tum in seipsis includantur? 46
§. I.
Adstruitur formalis, & mutua prædicatorum inclusio. 47
§. II.
Solvuntur obiectiones. 47

Disputatio V.

De attributis Divinis in specie. 43

Articulus I.

De bonitate, veritate & unitate DEI. 49
§. I.

§. I.
Bonitas DEI. 49
§. II.
Unitas, & veritas DEI. 50
Articulus II.
De simplicitate DEI. 50
§. I.
Exponitur, & astruitur simplicitas DEI. 51
§. II.
Corollaria. 51
Articulus III.
De infinitate DEI. 53
§. I.
Infinitas DEI exponitur, & asseritur. 53
Articulus IV.
De immensitate DEI. 53
§. I.
Exponitur, & astruitur immensitas DEI. 53
§. II.
Propugnatur ratio D. Thomæ. 54
Articulus V.
Sitne DEUS in spatiis imaginariis? 55
§. I.
Impugnatur existentia DEI in spatiis imaginariis. 55
§. II.
Solvuntur obiectiones. 56
§. III.
Corollaria. 56
Articulus VI.
De immutabilitate DEI. 56
§. I.
Veritas Catholica. 57
§. II.
Corollaria. 57
Articulus VII.
De Æternitate DEI. 58
§. I.
Explicatio Æternitatis, & veritas Catholica. 59
§. II.
An præterita, præsentia, & futura sint DEO physicè præsentia in æternitate? 60
§. III.
Solvuntur obiectiones. 62

Disputatio VI.
De Existentia & Possibilitate Visionis DEI. 64
Articulus I.
An DEUM clarè videri per gratiam sit possibile? 64
Articulus II.
An possibilitas hujus Visionis sit evidenter cognoscibilis? 65
§. I.
Datur evidentia negativa possibilitatis. 65
§. II.
Non datur positiva evidentia visionis. 66
Articulus III.
An in hac vita ab aliquo homine DEUS clarè videri possit, aut aliquando visus fuerit? 67
§. I.
Possibilitas extraordinaria ostenditur. 67
§. II.
De facto non certò, sed probabiliter asseritur. 68
§. III.
Adstruitur hoc privilegium S. Patriarchæ Benedicto. 58
§. IV.
An oculô corporeô DEUS videri possit? 69
Articulus IV.
Sitne possibilis intellectus creatus, qui connaturaliter DEUM videat? 70
§. I.
Rationes S. D. pro implicantia hujus possibilitatis? 70
§. II.
Solvuntur instantiæ Adversariorum. 71
§. III.
Implicantia creatæ substantiæ supernaturalis. 72

Disputatio VII.
De Specie concurrente ad Visionem. 73
Articulus I.
An detur in Visione, vel dari possit species impressa quidditativè repræsentans Divinam Essentiam? 73
§. I.
Præsupposita. 73
§. II.
Implicantia speciei impressæ probatur authoritate & ratione D. Thomæ. 74
§. III.
Alia duplex ratio implicantiæ. 75
§. IV.
Argumenta pro actuali existentia speciei impressæ solvuntur. 76
§. V.
Argumenta pro possibilitate speciei impressæ. 76
Articulus II.
An Divina essentia sit locô speciei impressæ in Visione Beatifica? 77

§. I.
Asseritur Divinæ essentiæ ratio speciei impressæ. 77
§. II.
Qualis sit concursus Divinæ essentiæ ad Visionem? 78

Articulus III.

Utrùm in Visione Beatifica producatur Verbum mentis, seu species expressa? 79
§. I.
Prænotanda. 79
§. II.
Negatur species expressa. 79
§. III.
Solvuntur obiectiones. 79
§. IV.
Corollaria. 81

Disputatio VIII.

De Lumine Gloriæ. 82

Articulus I.

An Lumen Gloriæ sit necessarium ad videndum DEUM? 82
§. I.
Adstruitur necessitas Luminis Gloriæ. 82
§. II.
Officia Luminis Gloriæ. 83

Articulus II.

An per absolutam potentiam possit clarè videri Divina Essentia sine lumine gloriæ? 84
§. I.
Negativa statuitur. 84
§. II.
Impugnatur concursus extrinsecus, & potentia obedientialis proximè activa. 84
§. III.
Corollaria. 86

Articulus III.

Quomodo lumen gloriæ cum intellectu concurrat ad visionem? 86
§. I.
Reiectis aliis Thomistica sententia adstruitur. 87
§. II.
Solvuntur obiectiones. 88

Disputatio IX.

De ipso actu Visionis. 89

Articulus I.

Unde proveniat inæqualitas Visionis? 89
§. I.
Præsupposita. 89
§. II.
Propugnatur sententia D. Thomæ. 90
§. III.
Solvuntur obiectiones. 90

Articulus II.

Qualis sit actus Visionis Beatificæ? 90
§. I.
Sitne, vel esse possit visio comprehensiva? 91
§. II.
Sitne Visio beatifica speculativa, complexa, reflexiva? 91
§. III.
Mensura Visionis beatificæ. 91

Disputatio X.

De obiecto Visionis beatificæ. 93

Articulus I.

Utrùm in Visione Beatifica videantur omnia, quæ sunt formaliter in DEO? 93
§. I.
Certiora præmittuntur. 93
§. II.
Prima Conclusio Thomistice. 94
§. III.
Altera Conclusio contra tertiam sententiam. 94
§. IV.
Ponuntur obiectiones. 96
§. V.
Solutiones obiectionum. 96

Articulus II.

An, & quomodo creaturæ videantur in DEO? 97
§. I.
Creaturæ formaliter videntur in DEO. 97
§. II.
Creaturæ videntur in DEO, ut medio cognito. 98
§. III.
Corollaria ex dictis. 99

Articulus III.

Quænam creaturæ de facto videantur, aut videri possint in DEO? 100
§. I.
An Divina Essentia videri possit sine aliqua creatura in particulari? 100
§. II.
An omnes creaturæ possibiles videri possint in DEO? 101

§. III.

§. III.
Quænam creaturæ actuales, & quomodo à Beatis videantur? 102
§. IV.
Nominabilitas DEI. 102

Disputatio XI.

De Scientia DEI in genere. ad q. 14. D. Thom. 103

Articulus I.

An S. D. infinitam intellectualitatem DEI demonstrativè probaverit ex eius infinita immaterialitate? 103
§. I.
Astruitur demonstrativa efficacia Angelicæ probationis. 104
§. II.
Solvuntur obiectiones. 104
§. III.
Corollaria ex dictis. 106

Articulus II

Quomodo Scientia sit in DEO? 107
§. I.
Quomodo Divina Essentia respectu scientiæ DEI habeat rationem obiecti? 107
§. II.
Adstruitur scientia propriè accepta sub ratione attributi virtualiter distincti. 108
§. III.
Solvuntur obiectiones. 108
§. IV.
Corollaria. 109

Articulus III.

An, & quomodo in DEO dentur ideæ? ad 15. S. Th. 110
§. I.
Sententia Thomistica. 110
§. II.
Corollaria. 111
§. III.
Solvuntur obiectiones. 112

Articulus IV.

In quo medio DEUS cognoscat creaturas? 113
§. I.
DEUS cognoscit omnes creaturas secundum esse proprium ipsarum. 113
§. II.
Solvuntur obiectiones. 114
§. III.
Medium, & modus cognoscendi creaturas. 115
§. IV.
Altera pars Assertionis demonstratur. 116
§. V.
Solvuntur obiectiones. 116
§. VI.
Cognitio malorum, privationum, negationum. 118

Disputatio XII.

De causalitate Scientiæ Divinæ. ad a. 8. q. 14. 118

Articulus I.

An Scientia DEI sit causa rerum effectiva? 119
§. I.
Asseritur Divinæ Scientiæ causalitas. 119
§. II.
Solvuntur obiectiones. 120

Articulus II.

Quænam Scientia DEI sit causa rerum? 120
§. I.
Divisio in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis. 121
§. II.
Causalitas effectiva scientiæ visionis adstruitur. 121
§. III.
Creaturæ sunt futuræ, quia DEUS videt. 122
§. IV.
Solvuntur obiectiones Adversariorum. 123

Disputatio XIII.

De Scientia futurorum contingentium. 125

Articulus I.

Quid sit futurum? 125
§. I.
Præsupposita. 125
§. II.
Definitio Thomistica futuri. 126
§. III.
Corollaria quædam ex dictis. 127
§. IV.
Tria præcipua Corollaria. 128
§. V.
Solvuntur obiectiones. 130

Articulus II.

Quomodo DEUS cognoscat futura contingentia? 132

§. I.
DEUS futura contingentia antecedenter ad suum Decretum non videt in ideis? 132
§. II.
Nec videt in suis decretis ut futuris. 133
§. III.
Nec videt in supercomprehensione causarum. 134
§. IV.
Futura contingentia non videntur in ipsorum veritate obiectiva. 135
§. V.
Resolutio Quæstionis. 136

Articulus III.

Quomodo DEUS videat futura peccata?
§. I.
Præsupposita. 137
§. II.
Veritas Thomistica. 137
§. III.
Solvuntur obiectiones. 138

Disputatio XIV.

De Scientia fururorum contingentium conditionatorum. 139

Articulus I.

An pro scientia conditionatorum sit admittenda scientia media? 139
§. I.
Præsupposita. 139
§. II.
Rejicitur scientia media rationibus Theologicis. 140
§. III.
Absurda, quæ sequuntur ex parte DEI. 141

Articulus II.

An scientia media sit conformis S. Scripturæ? 142
§. I.
Negativa statuitur. 142
§. II.
Respondetur ad obiectiones. 142

Articulus III.

An scientia media sit conformis SS. PP. præsertim Augustino? 143
§. I.
Negativa statuitur. 143
§. II.
Duabus Responsionibus Adversariorum occurritur. 145
§. III.
Plura dogmata Augustiniana contraria scientiæ mediæ. 146
§. IV.
Obiectiones solvuntur. 146

Articulus IV.

An scientia media conveniat cum doctrina D. Thomæ? 147
§. I.
Negativa statuitur. 148
§. II.
Solvuntur obiectiones. 148
§. III.
Corollarium. 148

Articulus V.

An DEUS futura conditionata videat in decreto conditionato? 149
§. I.
Exponitur & statuitur sententia Thomistica. 149
§. II.
Solvuntur obiectiones. 150

Disputatio XV.

De obiecto & divisione voluntatis Divinæ. ad q. 19. D Th. 151

Articulus I.

Quodnam sit obiectum Divinæ voluntatis? 151
§. I.
Certiora præmittuntur. 151
§. II.
Obiectum Divinæ voluntatis, 152
§. III.
Solvuntur obiectiones. 152

Articulus II.

Quomodo DEUS amet creaturas possibiles? 153
§. I.
Datur in DEO amor erga creaturas possibiles. 153
§. II.
Solvuntur obiectiones. 154
§. III.
Corollaria. 154

Articulus III.

Quotuplex sit voluntas in DEO? 155
§. I.
Divisio voluntatis. 155
§. II.
Voluntas antecedens, & voluntas beneplaciti. 155
§. III.
Solvuntur obiectiones. 156

Disputatio XVI.

De Libertate Voluntatis Divinæ. 157

Ar-

Articulus I.

An Libertas Divinorum decretorum intrinsecè compleatur per aliquid creatum? 157

§. I.

Variæ Auctorum Sententiæ discussæ & rejectæ. 157

§. II.

Refutatur intrinsecum complementum à connotato extrinseco. 158

Articulus II.

In quonam Libertas Divina adæquatè consistat? 158

§. I.

Explicatio Libertatis. 158

§. II.

Resolutio difficultatis. 159

§. III.

Solvuntur obiectiones. 160

§. IV.

Corollaria. 160

Disputatio XVII.

De efficacia Divinæ voluntatis. 151

Articulus. I.

An admittenda sint Decreta ab intrinseco efficacia, & prædefinientia? 162

§. I.

Rejiciuntur decreta indifferentia. 162

§. II.

Statuitur intrinseca efficacia decretorum circa actus bonos. 163

Articulus II.

Qualis sit ista intrinseca Efficacia Decretorum? 164

§. I.

Refutatur efficacia fundata in Scientia media. 165

§. II.

Refertur & refutatur intrinseca efficacia Henrici à S. Ignatio. 166

§. III.

Defenduntur physicæ prædefinitiones ad quoscunque actus bonos? 167

§. IV.

An prædefinitiones inducant fatalem necessitatem? 169

§. V.

Calumnia Calvinismi depellitur, 169

§. VI.

Solvuntur obiectiones. 171

Articulus III.

De Concordia Decretorum cum libero arbitrio? 175

§. I.

Astruitur utriusque concordia. 175

§. II.

Possintne concordari scientiæ Mediæ & prædeterminationum Patroni? 176

Disputatio XVIII.

De Providentia DEI prædestinante. ad q. 23. 179

Articulus I.

Quid & quorum Providentia sit in DEO? 179

§. I.

Existentia & Natura Providentiæ. 179

§. II.

Objectum & Efficacia Providentiæ. 180

Articulus II.

An, & quid sit Prædestinatio? 181

§. I.

Existentia & natura prædestinationis. 181

§. II.

Subiectum & obiectum prædestinationis. 182

Articulus III.

Utrùm electio ad gloriam sit gratuita? 182

§. I.

Thomistica assertio fundata in S. Scripturis. 182

§. II.

Fundamenta à ratione. 184

§. III.

Solvuntur obiectiones. 186

Articulus IV.

Quinam sint Effectus prædestinationis? 189

§. I.

Enumerantur effectus prædestinationis. 189

§. II.

Solvuntur obiectiones. 190

Disputatio XIX.

De Providentia Reprobante. 191

Articulus I.

An Reprobatio habeat sui causam in reprobo? 191

§. I.

§. I.
Reprobatio positiva præsupponit demeritare-probi. 191
§. II.
Reprobatio negativa antevertit peccatum personale. 192
Articulus II.
De *effectibus Reprobationis.* 194
§. I.
Assignantur effectus reprobationis. 194
§. II.
Certitudo & ordo Reprobationis. 195

TRACTATUS II.

De DEO Trino.

Proloquium.

Disputatio XX.

De veritate & cognoscibilitate Mysterij SS. Trinitatis. 196
Articulus I.
De *veritate & existentia huius Mysterii.* 197
§. I.
Referuntur errores & hæreses contra SS. Trinitatem. 197
§. II.
Veritas Catholica ex Scriptura, Conciliis, Patribus. 198
§. III.
Obiectiones hæreticorum. 201
Articulus II.
An mysterium SS. Trinitatis Lumine naturali cognosci possit? 201
§. I.
Mysterium SS. Trinitatis non est contra rationem. 202
§. II.
Argumenta suadentia existentiam vel possibilitatem Trinitatis ratione naturali evidenter aut probabiliter cognosci posse. 203
§. III.
Resolutio negativa. 204
§. IV.
Satisfit fundamentis in oppositum adductis. 205

Disputatio XXI.

De Divinis processionibus. ad q. 27. 207
Articulus I.
An, quæ, & quot sint processiones in Divinis? 207
§. I.
Existentia & numerus processionum. 207
§. II.
Obiectiones & Corollaria. 207
Articulus II.
Quid, & quales sint Divinæ processiones? 208
§. I.
An processio sit veri nominis actio. 208
§. II.
An actus notionales sint virtualiter adæquatè ab essentialibus distincti? 208
§. III.
Corollaria. 210
Articulus III.
Quodnam sit principium Divinarum processionum? 210
§. I.
Sententia Durandi rejicitur. 211
§. II.
Relatio sola non potest esse principium. 212
§. III.
Principium processionis est forma absoluta per relationem completa. 213
§. IV.
Solvuntur obiectiones. 213
§. V.
Corollaria. 214

Disputatio XXII.

Cur processio verbi Divini sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti? 214
Articulus I.
An communicatio naturæ fœcundæ salvet differentiam inter generationem Filii & processionem Spiritus Sancti? 215
§. I.
Fundamenta sententia affirmantis. 215
§. II.
Impugnatio huius sententiæ. 216
§. III.
Solvuntur argumenta Adversariorum. 216
Articulus II.
An propter rationem imaginis processio Verbi sit generatio? 217
§. I.
Discutitur & rejicitur sententia Vasquez. 217
§. II.
Discutitur & impugnatur explicatio Veckeni. 218
§. III.
Vera Thomistica ratio differentiæ. 218

§. IV.
Solvuntur obiectiones. 219
§. V.
Corollaria. 219

Disputatio XXIII.

De Divinis Relationibus. ad q.28. 220

Articulus I.

An, & quot sint relationes in DEO? 221
§. I.
Existentia relationum. 221
§. II.
Numerus relationum. 221

Articulus II.

Utrùm essentia Divina includatur formaliter in conceptu relationum, & vicissim relationes in conceptu essentiæ? 222
§. I.
Astruitur inclusio essentiæ in conceptu relationum. 222
§. II.
Astruitur inclusio formalis relationum in essentia. 223
§. III.
Solvuntur obiectiones. 223

Articulus III.

Utrùm Divinæ relationes dicant perfectionem secundùm explicitam rationem relationis? 224
§. I.
Sententia negativa eligitur. 225
§. II.
Implicat multiplicatio perfectionum in Divinis. 226
§. III.
Responsiones Adversariorum refelluntur. 227
§. IV.
Solvuntur obiectiones. 227

Disputatio XXIV.

De relationibus ad existentiam & subsistentiam comparatis. ad q. 28. a. 2. & q. 29. a. 2. 231

Articulus I.

An admittendæ sint tres existentiæ relativæ? 231
§. I.
Refertur sententia affirmans. 231
§. II.
Astruitur negativa. 231
§. III.
Solvuntur fundamenta opposita. 232

Articulus II.

Sitne præter tres subsistentias relativas etiam absoluta subsistentia admittenda in Divinis? 232
§. I.
Astruuntur tres subsistentiæ relativæ. 233
§. II.
Solvuntur obiectiones. 234
§. III.
Adstruitur subsistentia absoluta. 234
§. IV.
Solvuntur obiectiones. 235

Disputatio XXV.

De Divinis personis in genere. 236

Articulus I.

Quodnam sit constitutivum Personæ Divinæ? 236
§. I.
Personæ non constituuntur originibus, sed proprietatibus personalibus. 236
§. II.
Enodantur difficultates oppositæ. 237

Articulus II.

De notionibus & modo loquendi de Divinis Personis 238
§. I.
Quid, quæ & quot notiones Divinarum Personarum? 238
§. II.
Divinarum Personarum similitudo, æqualitas, & mutua inhabitatio. 238
§. III.
Modi prædicandi de Divinis personis. 239

Disputatio XXVI.

De Divinis Personis in specie. ad q. 33. usque ad 39. 240

Articulus I.

De nominibus primæ & secundæ personæ. 240
§. I.
Nomina primæ Personæ. 240
§. II.
Nomina propria Filii. 241

Articulus II.

E quorum obiectorum cognitione Verbum per se procedat? 241
§. I.
Verbum per se procedit ex cognitione omnium attributorum & Personarum. 241
§. II.
An Verbum per se procedat ex cognitione Creaturarum. 242

Ar-

Articulus II.
De Persona Spiritûs Sancti. 243
§. I.
Nomina tertiæ Personæ. 244
§. II.
Processio ex utroque. 244
§. III.
Spiritûs sancti distinctio à Filio in processione fundatur. 245
§. IV.
Sitne per se à duobus suppositis, an etiam à duobus principiis. 246
Articulus III.
De missione Divinarum Personarum. 247
§. I.
Quid & quotuplex sit missio? 247
§. II.
Corollaria ex dictis. 248

TRACTATUS III.
De creatura Angelica.
Disputatio XXVII.
De Angelorum existentia & essentia. ad q. 50. 249
Articulus I.
An Angeli sint spiritus incorporei? 249
§. I.
Angelorum existentia & essentia. 249
§. II.
Solvuntur obiectiones. 250
§. III.
Locus & tempus creationis Angelorum. 251
Articulus II.
De distinctione Angelorum. 252
§. I.
An Angeli sint vel esse possint solo numero distincti? 252
§. II.
Solvuntur obiectiones. 252
§. III.
Multitudo Angelorum. 253
Disputatio XXVIII.
De Angelis comparatis ad corpora. ad q. 51. & seq. 254
Articulus I.
Quomodo Angeli assumant corpora? 254
§. I.
Asseritur & exponitur modus assumendi corpora. 254
§. II.
Corollaria. 255
§. III.
Varia quæsita resolvuntur. 255
Articulus II.
Quomodo Angeli sint in loco? 257
§. I.
Exponitur ratio formalis Angelo existendi in loco. 257
§. II.
Solvuntur obiectiones. 258
§. III.
Corollaria. 259
Articulus III.
Quomodo Angeli moveantur localiter? 259
§. I.
Exponitur motus continuus Angeli. 259
§. II.
Exponitur & adstruitur motus discretus Angeli. 260
§. III.
Solvuntur obiectiones. 260
§. IV.
Corollaria. 261
Disputatio XXIX.
De medio cognitionis. ad q. 54. & seq. 262
Articulus I.
An Angeli intelligant per species infusas? 262
§. I.
Quidditas tum intellectûs, tum cognitionis Angelicæ. 262
§. II.
Adstruuntur species infusæ. 463
§. III.
Solvuntur obiectiones. 163
§. IV.
Corollaria. 264
Articulus II.
An perfectior Angelus habeat species universaliores? 264
§. I.
Exponitur universalitas speciei. 264
§. II.
Astruitur universalitas specierum maior in Angelo perfectiori. 265
§. III.
Solvuntur obiectiones. 265
Disputatio XXX.
De obiecto cognitionis Angelicæ. ad q. 56. & 57. 266
Articulus I.
Quomodo Angelus intelligat seipsum? 266
§. I.
An Angelus seipsum intelligat per suam substantiam tanquam speciem impressam vel expressam? 266
§. II.

§. II.
Solvuntur obiectiones. 267
§. III.
Corollaria. 267
Articulus II.
Quomodo Angeli DEUM cognoscant? 268
§. I.
An Angelus per suam substantiam tanquam per speciem DEUM cognoscat? 268
§. II.
Respondetur ad fundamentum Sententiæ oppositæ. 268
Articulus III.
Quomodo unus Angelus alterum cognoscat? 269
§. I.
Certiora præmittuntur. 269
§. II.
Asseritur non tantùm quidditativa, sed etiam comprehensiva cognitio alterius Angeli. 270
§. III.
Solvuntur obiectiones, 271
Articulus IV.
Quomodo Angeli cognoscant materialia & singularia? 271
§. I.
Defenditur cognitio omnium singularium per speciem repræsentativam totius naturæ. 272
§. II.
Solvuntur obiectiones. 272
Articulus V.
Utrùm Angeli naturaliter vel certò cognoscant futura contingentia? 273
§. I.
Negatur Angelis naturalis cognitio futurorum contingentium. 273
§. II.
Solvuntur obiectiones. 273
Articulus VI.
An Angeli naturaliter cognoscant secreta cordium? 274
§. I.
Statuitur resolutio negativa. 274
§. II.
Solvuntur obiectiones. 275
§. III.
Corollaria. 275
Disputatio XXXI.
De modo cognitionis Angelicæ. ad q. 58. 276
Articulus I.
An Angelus aliqua obiecta semper, aut plura simul intelligat? 276
§. I.
Resolvitur prima pars quæsiti. 276
§. II.
Resolvitur altera pars quæsiti. 277
Articulus II.
An Angelus intelligat, discurrendo, componendo, dividendo? 277
§. I.
Removetur formalis discursus. 278
§. II.
Solvuntur obiectiones. 278
§. III.
Removetur compositio & divisio. 279
Disputatio XXXII.
De voluntate Angeli. 280
Articulus unicus.
Quænam obiecta Angelus liberè & necessario amet? 280
Disputatio XXXIII.
De gratia & merito Angelorum. 281
Articulus I.
An Angeli fuerint in sua creatione beati? 281
§. I.
Adstruitur beatitudo naturalis, non supernaturalis. 281
§. II.
Solvuntur obiectiones. 281
Articulus II.
An, & quâ suâ dispositione Angeli fuerint creati in gratia? 282
§. I.
Adstruitur Angelorum creatio in gratia. 282
§. II.
Fuerintne Angeli dispositi ad gratiam? 283
§. III.
Mensura gratiæ Angelicæ. 283
Articulus III.
An & quantò tempore Angeli meruerint suam beatitudinem? 284
§. I.
Adstruitur meritum beatitudinis. 284
§. II.
Instantia viæ Angelicæ. 284
Disputatio XXXIV.
De malitia, seu peccato Angelorum. ad q. 63. 285
Articulus I.
Utrum dari possit creatura impeccabilis? 285
§. I.
Prænotanda circa statum quæstionis. 285

§. II.

§. II.
Excluditur impeccabilitas simpliciter. 286
§. III.
Asseritur impeccabilitas secundùm quid. 286
§. IV.
Solvuntur obiectiones. 287
Articulus II.
Utrùm Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis? 287
§. I.
Negativa eligitur. 288
§. II.
Solvuntur obiectiones. 288
Articulus III.
Quodnam fuerit, aut potuerit esse primum Angeli peccatum? 289
§. I.
Præsupposita. 289
§. II.
Primum Angeli peccatum superbia. 290
Articulus IV.
Quale obiectum habuerit dæmonum superbia? 291
§. I.
Pro obiecto superbiæ in dæmonibus statuitur propria beatitudo naturalis. 291
§. II.
Solvuntur obiectiones. 292
§. III.
Refelluntur consectaneè aliorum opiniones. 293
§. IV.
Aliqua quæsita expediuntur. 293
Disputatio XXXV.
De Pœna Dæmonum, ad q. 64. 294
Articulus I.
An & quomodo voluntas Dæmonis sit obstinata in malo? 294
§. I.
Statuitur intrinseca inflexibilitas voluntatis Angelicæ. 294
§. II.
Solvuntur obiectiones. 295
Articulus II
Quomodo Dæmones ab igne infernali torqueantur? 296
§. I.
Certioribus præmissis refelluntur diversæ explicationes. 296
§. II.
Solvuntur obiectiones. 297
Disputatio XXXVI.
De ordinatione & officiis Angelorum. 298
Articulus I.
Quomodo Angeli invicem loquantur, séque illuminent? 298
§. I.
Exponitur locutio Angelorum. 298
§. II.
Explicatur illuminatio Angelorum. 299
Articulus II.
Quæ & quot sint hierarchiæ & ordines Angelorum. 299
§. I.
Exponuntur hierarchiæ. 299
§. II.
Ordines & Chori Angelorum. 300
Articulus III.
De Missione & custodia Angelorum. 300
§. I.
Quorum ordinum Angeli mittantur? 300
§. II.
Varia quæsita de Angelorum custodia resolvuntur. 301

THEO-

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ TRADITÆ

Secundùm Doctrinam Angelicam

D. THOMÆ AQUINATIS,

TOMUS I.

In I. Partem Summæ S. Thomæ.

TRACTATUS I.

DE

DEO UNO.

QUamvis rectè in omni graviori negotio à DEO, vel ut Poëta, *à Jove principium*, id tamen potissimùm in studio Theologiæ, quippe quæ, sicuti ipso nomine *Doctrinam* sive *Sermonem de DEO* significat, sic pro objecto non tantùm dignitate primario, sed adæquato DEUM respicit. Unde quemadmodum DEUS ipse fons est, simúlque scopus & centrum omnium veritatum Theologicarum, ita pariter Tractatus de DEO fundamentum & radix est reliquorum Tractatuum Theologicorum. Quem proinde, eodem adspirante DEO Optimo Maximo ordimur, priùs tamen juxta methodum communem Scholarum, ipsiusmet Angelici Doctoris, cuius mentem unicè sequi cupimus, ipsiusmet sacræ doctrinæ, ut idem appellat, hoc est, nostræ Theologiæ considerationem præmittimus.

DISPUTATIO I. PROOEMIALIS,

DE

Necessitate, natura, & qualitatibus Theologiæ.

Ad Quæstionem I. Primæ Partis.

ARTICULUS I.

De Notione, Divisione & Existentia Theologiæ.

SUMMARIA.

1. *Alia Theologia naturalis, alia supernaturalis.*
2. *Alia de objectis formaliter, alia de virtualiter*
3. *Isque vel clarè, vel obscurè revelatis.*
4. *Theologia Beatorum matutina & vespertina.*
5. *Mystica & Scholastica.*
6. *Symbolica & demonstrans.*
7. *Positiva, scholastica, moralis.*
8. *Initium Theologiæ Scholasticæ in Adamo.*
9. *Jacobus & Moyses Theologi.*
10. *Ante Moysen nec sacra, nec prophana Scriptura alphabetaria.*
11. *A Christo in Apostolos.*
12. *Ab Apostolis in Doctores SS. derivata.*
13. *SS. Doctores Theologi ex Ordine S. Benedicti.*
14. *Scriptum Sententiarum Petri Lombardi.*
15. *Summa Angelica D. Thomæ Aquinatis.*
16. *Theo-*

16. *Theologia necessitas hypothetica & respectiva.*
17. *Esse necessariam omnibus, sitne accipiendum collectivè vel distributivè?*
18. *Theologia Scholastica quoad substantiam toti Ecclesiæ necessaria pro singulis.*
19. *Est Juris Divini, esse in Ecclesia Doctores Theologos.*
20. *Non est necessaria Theologia in singulis.*
21. *Quoad methodum Theologia est necessaria ad melius esse.*
22. *Est etiam necessaria secundùm quid ad naturales scientias.*
23. *Quid intelligat Apostolus per inanem fallaciam?*

Dicimus hoc articulo, quid nomine S. Theologiæ intelligatur, an & quando illa extiterit, sitne etiam Ecclesiæ necessaria? unde ut crebriori divisione major accedat materiæ claritas, tam istum, quàm sequentes articulos in §§. dividimus.

§. I.

Notio & divisio Theologiæ.

1. Quia *Theologia* in latissima acceptione doctrinam aut sermonem de DEO significat; ideò latissimè potest dividi *in naturalem & supernaturalem.* Naturalis est scientia methaphysica, quatenùs ex effectibus creatis & principijs solo lumine naturæ notis ascendit ad cognitionem primæ causæ, & entis primi, non tanquam objecti adæquati, sed principalis. Supernaturalis, quæ est scientia seu notitia de DEO per lumen supernaturale, dividitur in *Increatam & creatam.* Increata sive DEI Theologia, est visio, quâ DEUS in suâmet & per suammet essentiam, & se & alia omnia cognoscibilia comprehendit. Creata est cognitio supernaturalis de DEO, quam sub lumine divinæ revelationis habent tam Angeli, quàm homines, tam beati, quàm viatores. Et hæc est acceptio atque divisio latissima S. Theologiæ.
2. Secundò dividitur Theologia creata seu doctrina sacra in illam, quæ tractat res divinas, quatenùs per divinam revelationem formaliter cognitas. Quo sensu D. Joan. Evangelista à D. Cyrillo cognominatur Theologus, eò quòd Christi Divinitatem sublimiùs & clariùs quàm alij Evangelistæ in suo Evangelio expresserit: & in illam, quæ ex principijs revelatis veritates & conclusiones inibi con-
3. tentas per discursum deducit. Theologia primo modò accepta, vel procedit formaliter ex revelatione clara, vel obscura: si est notitia formaliter procedens ex clara revelatione, tunc est vel visio beatifica, quando nimirum veritas supernaturalis per increatam DEI essentiam clarè visam manifestatur; vel est visio Prophetica, cum per creatum lumen tam ipsa revelatio, quàm objecti creati connexio clarè innotescit. Si procedit ex obscura revelatione, tunc est ipse habitus fidei, qui non nisi impropriè scientia dici potest, quatenùs nimirum scientiæ nomen accipitur quo quacunque certâ cognitione infallibilis objecti. Theologia secundo modo accepta est illa, quam tractamus & aggredimur, scientia Theologica, & vel procedit ex principijs clarè, vel obscurè revelatis: si primum, tunc est Theologia Beatorum; si secundum, tunc est nostra Theologia Viatorum.
4. Tertiò Theologia Beatorum rursus dividitur ex D. Augustino in *matutinam, & vespertinam.* Theologia seu cognitio matutina est ipsa, de qua primùm dixi, visio beatifica, per quam Beati in Verbo, seu essentia divina seipsam manifestante, absque discursu & simplici mentis intuitu, discunt veritates supernaturales. Vespertina est, quâ per species creatas ex principijs visione beatifica clarè cognitis, aut aliàs extra Verbum sive essentiam divinam in aliquo creato & prophetico lumine clarè manifestis, proprio discursu deducunt veritates in illis virtute contentas. Illa dicitur matutina, quia est præstantior, purior, illuminatior; ista vespertina, quia est imperfectior, &, ut inquit S. P. Aug. *decoloratior.* Utraque inter se distinguitur essentialiter, quia procedit sub medio, & lumine formaliter diverso: prima sub lumine gloriæ, & essentiæ divinæ; altera sub lumine revelationis virtualis, de qua in seqq.

Quartò Theologia Viatorum propriè accepta, §. dividitur rursus in *Mysticam*, & *Scholasticam*; Theologia Scholastica est scientia, quæ ex principijs fide divinâ creditis, discurrendo deducit conclusiones. Theologia Mystica est sapida DEI notitia, quâ intellectus prævio discursu Theologico excitatus, & charitate impulsus, in divinorum contemplatione defigitur. Hæc divisio est in membra realiter & formaliter distincta; nam Theologia mystica, quamvis ordinariè præsupponat discursum rationis ex principijs fidei deductum, tamen nititur immediatè lumine supernaturali, & habet pro principali actu contemplationem, ut habet D. Dionys. l. de Theol. Myst. c. 1. Contemplatio autem est actus doni sapientiæ, ut habet S. Thom. 2. 2. q. 45. a. 3. Unde & ipsa Theologia Mystica est entitativè supernaturalis, pertinens ad donum sapientiæ, & fæpiùs oratione, quàm studio comparatur. Theologia Scholastica verò proximè innititur objectivæ connexioni præmissarum, tanquam rationi formali, éstque, ut dicetur, entitativè naturalis. Utraque porrò Theologia, tam, 6.
Mystica, quàm Scholastica ex D. Dionys. aeciden-
taliter dividitur in *symbolicam* & *demonstrantem*. Symbolica tunc est, quando ex mystico sensu dictionum metaphoricarum, quæ in S. Script. reperiuntur, eruit divinas perfectiones, aut veritates inibi contentas. Demonstrans dicitur, cùm divinas perfectiones aut veritates eruit ex proprio sensu Mysterij in S. Scriptura revelati.

Quintò communiter dividitur Theologia *in* 7.
positivam, scholasticam, moralem. Positiva Græcè θετικὴ hoc est firma vel rata, prout in scholis tractatur, est, quæ ex posito & expresso aliquo *S. Script.* loco, examinatâ SS. PP. interpretatione, idiomatum diversitate, & aliorum locorum comparatione, eruit veritates ibidem contentas. Scholastica dicitur, quæ ex principijs, sive per S. Scr. sive alio modo revelatis, accuratiori formâ, & methodo magis dialecticâ, ad fidem non tantùm gignendam & nutriendam, sed etiam contra Adversarios propugnandam educit veritates virtualiter contentas tam practicas quàm speculativas. Et teste Ysamberto hîc d. 5. a. 1. n. 3. Inde accepit nomen Theologiæ Scholast. quia vit subtilis, & apprimè peritus secundùm Ciceronem lib. 2. de Oratore, vocatur *homo de schola.* In quo sensu hanc vocem usurpavit D. Augustinus l. de Catech. rud. Moralis Theologia dicitur, quæ practicas veritates ex ijsdem principijs deducit methodo simpliciori ac bre-

breviori. Hæc divisio, uti patet, tantùm est accidentalis, quia non est secundùm diversitatem objecti formalis, sed modi & methodi accidentalis. Theologia controversistica non necessariò constituit distinctum membrum hujus divisionis, quia solet vel secundùm methodum vel Theologiæ positivæ, vel Scholasticæ in confirmandis fidei dogmatibus, hæresibúsque confutandis procedere.

§. II.

Existentia, Status, & Progressus Theologiæ.

8. SAcra Theologia, non tantùm latè pro qualibet supernaturali cognitione accepta, sed propriè pro doctrina, quæ ex principijs divinitùs revelatis, & fide infusâ cognitis per discursum conclusiones deducit, cum ipso Mundo in Adamo sumpsit exordium, quippe quem omni aliarum scientiarum genere instructum, indecens erat, ad deducendas ex revelatis fidei mysterijs conclusiones rudem esse. Quantò plura deinceps fidei mysteria sequentibus Patriarchis & Prophetis fuerunt revelata, tanto ampliùs profecit Theologia, utpotè pluribus ad discurrendum principijs instructa: unde in Lege naturæ & Jacobus & Moyses Theologi fuerunt.

9. Jacob quidem, quia, ubi Gen. 25. vulgata habet Jacob *habitâsse in tabernaculo*, alij apud Lyranum ex Hebræo legunt *in domo doctrinæ*, quod Hebræi intelligunt de Scholis Theologiæ, quibus ajunt Jacobum operam dedisse, Doctoribus Sem, Heber, & Melchisedech, ut est apud Corn. à Lap. loc. cit. Moyses autem, quia ut inquit sacer textus Ex. 18. *Veniebat ad eum populus inquirere sententiam DEI*, quam certè non semper ex immediata revelatione habere poterat, sed ex sibi revelatis Theologicè deducebat, ac tandem, quia scriptis voluminibus sacris (cum priùs nulla nec sacra nec profana scriptura extaret) instituit scribas & Legis peritos, quorum munus erat legem veterem & sacram doctrinam publicè profiteri.

10. Insuper ex omnibus non tantùm Hagiographis & sacris scriptoribus Moysi primatum competere, ipsúmque Alphabetariæ Scriptionis divinitus acceptæ primum Authorem esse, quem propterea Ægyptij sub nomine & schemate Anubis seu Mercurij coluerint, multis gravibus argumentis probat Nieremberg. de Orig. S. Script.

11. Tandem verò cùm per adventum Divini Verbi fidei prædicatio esset perficienda, & consummanda etiam ipsa doctrina Theologica ab eodem fuit consecrata, & maximo cum incremento in Apostolos derivata: neque enim solùm ipsemet Theologicis argumentationibus Judæos confutavit, veluti cùm Matt. 22. Resurrectionem mortuorum ex eo, quòd DEUS se dicat DEUM Abraham, Isaac, & Jacob, & tamen non sit DEUS mortuorum sed vivorum Theologicè intulit: sed etiam Apostolos *hominum piscatores* constituit, non aliâ ratione, quàm per Theologicorum discursuum retia, quibus fidem illustrârunt, propugnârunt, Scripturas ritè exposuerunt, expositas erroribus opposuerunt, ut passim est reperire tum in Actis, tum in Epistolis Apostolorum.

12. Secuti sunt Apostolorum Discipuli, præcipuè D. Dionysius Areopagita, optimè de Theologia meritus præstantissimis Libris de cœl. & Eccl. Hier. de Div. nom. aliísque, quorum vestigiis insiterunt inprimis Clemens Alex. & Origines, quorum utercque cùm fuerit dialecticâ instructissimus, verisimile est, etiam methodo dialecticâ in tradendis Theologicis usos fuisse. Invalescentibus deinde hæresibus eminuerunt in Ecclesia DEI Sanctissimi simul Patres, & summi Theologi tum Græci, Athanasius, Basilius, Gregorius Naz. & Nyssenus, Chrysostomus; tum Latini, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, &c. Inter quos potissimum emicat Ecclesiæ lumen Augustinus, qui & ipse Dialecticæ peritissimus, cùm pleraque Theologicas doctrinas & difficultates in suis operibus doctissimè ventilaverit, subsecutis Theologis facem prætulit, & præfert in hodiernum diem.

13. Posterioribus deinde sæculis à sexto usque ad duodecimum, præcipuè in sacro D. Benedicti Ordine studium S. Theologiæ floruit, dum post D. Gregorium M. Leonem II. aliósque, prout ex irrefragabili authoritate historiæ Ecclesiasticæ agnoscit Franc. de Lugo in Prol. n. 14. Hispanicas scholas S. Isidorus Hispalensis Antistes, Venerabilis Beda Anglicas illustravit, cujus discipulus Alcuinus jussuCaroliM. Parisiensem Academiam, quæ etiamnum hodiè sub Sorbonæ nomine inter alias eminet, instituit: D. tandem Anselmus methodicâ ratione & ordine (unde Theologiæ Scholasticæ appellatio) quemadmodùm inter Græcos D. Damascenus Theologicam doctrinam tradidit, ut videre est ex ipsiusmet libris, & testatur præcit. Franc. de Lugo.

14. Denique in Universitate Parisiensi Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis ad imitationem D. Damasceni, qui Græcorum PP. dogmata & sententias collectas certis locis distinxerat, Latinorum PP. præsertim D. Augustini dicta & sententias in quatuor Libros (quos ex inde sententiarum libros nominavit, ipse appellatus Magister Sententiarum) certósque titulos, quos distinctiones vocat, digessit. Cujus scriptum deinceps à sæculo 12. varij scriptores præstantissimi ex diversis Religiosis familijs commentarijs Theologicis illustrârunt, eandem methodum in tradenda Theologia secuti. Continet autem primus Liber sententiarum doctrinam de DEO in se, de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & de divinis perfectionibus. Secundus agit de DEO Creatore, & creaturis præsertim rationalibus, earúmque motibus erga DEUM, vel contra DEUM. Tertius de DEO Restauratore per Incarnationem, déque gratijs & virtutibus exinde in nos collatis. Quartus de Medicinis, nempe Sacramentis, quibus ad salutem reparamur, ac postremò de glorificatione ad quam pervenimus.

15. Novam denique & Angelicam methodum invenit D. Thomas Aquinas, quam *Summam*, quasi totius Theologiæ medullam appellavit, distinctam in tres præcipuas partes. Prima agit de DEO, tam ut in se est Unus & Trinus, quàm ut est causa creatrix ad extra. Secunda agit de DEO ut fine ultimo, isque principijs & actibus, quibus vel ad ipsum accedimus, vel ab ipso recedimus. Quæ tamen propter suam amplitudinem est bipartita, & divisa in primam & secundam secundæ. In. 1. 2. præter finem ultimum considerantur actus humani in communi, & ea omnia quæ ad eorum moralitatem sive in bonum sive in malum concurrunt. In. 2. 2. agitur de illis in speciali secundùm diversas virtutes, aut vitia, à quibus procedunt. Tertia

pars tractat de DEO ut reparatore hominis lapsi, & sic primò consideratur ipsum Verbum incarnatum, deinde Sacramenta, tanquam instrumenta nostræ justificationis & salutis à Christo instituta. In hâc D. Thomæ Summa Angelica commentanda, explicanda, elaboranda, nunc omnium scholarum Doctores Theologi occupantur, quæ nostra quoque fuit, & erit deinceps occupatio.

§. III.

Necessitas S. Theologiæ.

16. SUppono primò, quæstionem procedere de necessitate non absoluta, sed hypothetica & respectiva, quâ aliquid in ordine ad certum finem consequendum dicitur necessarium: Unde sensus est, utrum ex suppositione, quòd homo sit elevatus ad consequendum finem vitæ æternæ, præter naturales scientias, etiam sit ipsi necessaria alia scientia derivata ex lumine supernaturali.

Suppono secundò, quæstionem procedere de Theologia propriè accepta, nempe de scholastica, nam si latissimè S. Doctrina vel Theologia accipiatur pro quacunque notitia divinorum, etiam includente habitum fidei, sic fide certum est, quòd aliqua ejusmodi notitia sit simpliciter necessaria ad salutem: cùm fides sit fundamentum nostræ salutis, & *sine illa impossibile sit placere DEO.*

17. Suppono tertio, hanc propositionem, quòd *Theologia sit omnibus necessaria* accipi posse in *sensu collectivo & distributivo.* In sensu collectivo accipitur, cùm significatur, quòd communitas & corpus Ecclesiæ necessariò indigeat S. Theologiâ ad sui defensionem & conservationem. In sensu distributivo, cùm significatur, etiam singulis hominibus ad consequendam salutem Theologiam esse necessariam, quod iterum duplici sensu potest accipi: primò, quòd sit necessaria in singulis, hoc est, quòd singuli homines ad consequendam suam salutem debeant habere talem scientiam. Secundò quòd sit necessaria pro singulis, hoc est, quòd ad singulorum salutem necesse sit, ut in aliquibus sit talis scientia, quemadmodum dicitur, gubernationem Principis omnibus Reipublicæ membris esse necessariam, quantumvis hæc gubernatio subjectivè sit in solo principe, in subditis autem tantùm ministerialiter. Sit igitur his positis.

18. CONCLUSIO I. Theologia scholastica, quoad substantiam est simpliciter necessaria toti Ecclesiæ pro singulis (2.) non tamen in singulis fidelibus.

Probatur prima Pars. Illa scientia est Ecclesiæ DEI simpliciter necessaria, *quâ fides saluberrima, gignitur, nutritur, defenditur & roboratur*: sed hæc est S. Theologia. Ergo. Minor est D. Augustini l. 14. de Trin. c. 1. & ulteriùs ostenditur primò. Ut in adulto generetur fides, necesse est, ut præcedat judicium credibilitatis, ut ex tr. de fide suppono, sed judicium credibilitatis plerumque per discursum Theologicum, explicationem, prædicationem credendorum generatur: Unde Apostolus Rom. 10. *Quomodo credent, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? &c.* Ergo.

Secundò. Ecclesiæ DEI est simpliciter necessarium, ut veritates obscuriores, & ab hæreticis oppugnatas stabiliat atque defendat; ne scilicet in horum nequitia fideles *tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ.* Eph. 4. Atqui ad hoc necessaria est S. Theologia, cujus est unum locum S. Scr alio confirmare, unum altero probare. Unde rectè infert Gammachæus, esse 19. juris divini, ut sint Doctores Theologi in Ecclesia DEI. Prout indicavit Apost. cit. c. 4. ad Ephes. dicens de Christo. *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Ubi indicat, non tantùm esse in Ecclesia DEI necessitatem Pastorum, sed etiam Doctorum. Est igitur S. Theo- 20. logia necessaria in Ecclesia DEI pro singulis, non tamen in singulis, prout dicit Secunda pars conclusionis, quæ constat experientiâ & ex Apostolo 1. Cor. 12. *Quosdam posuit DEUS in Ecclesia, primùm Apostolos, Secundò Prophetas, Tertiò Doctores.* Et infra: *nunquid omnes Doctores?* Unde D. Aug. cit. 14. d. Trin. cap. 1. *Hâc scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide.*

CONCVSIO II. Theologia secundùm 21. methodum Scholasticam est Ecclesiæ utilis, seu necessaria ad meliùs esse. Ita communis contra hæreticos. Ratio est: quòd hæc nostra methodica Theologia non differat à veteri quoad substantiam, sed tantum superaddat majorem ordinis concinnitatem, & collectionem materiarum anteà dissipatarum, atque dialecticam in probando & arguendo efficaciam ac claritatem: sed ex hoc S. Theologia Ecclesiæ evadit utilior. Ergo.

CONCLVSIO III. Theologica scientia 22. est etiam necessaria secundùm quid, ad aliquas veritates naturales cognoscendas. S. D. a. 1. Ratio est: quia illa scientia est secundùm quid seu ad meliùs esse necessaria ad veritates naturales cognoscendas, per quam faciliùs evitatur error circa illas: sed hoc fit per scientiam Theologicam, quia in statu naturæ lapsæ lumen naturale intelectûs est valde debilitatum, ut Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum sine labore. Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt, &c.* Ideoque nisi lumine superiori regatur, hallucinatur in multis, pro ut patet in crassissimis erroribus veterum Sapientum circa æternitatem Mundi, occisionem sui, communitatem uxorum, &c. Tale autem lumen habet fides, &, quæ ex fide deducitur, scientia Theologica.

Dices primò. Apostolus Coloss. 2. cavit. *Videte, ne quis vos seducat, per Philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum* Subsumunt hæretici: sed Theologia Scholastica est inventum humanum procedens per rationes philosophicas & sophisticas. Ergo. Secundò. Si Theologia esset ad salutem simpliciter necessaria, esset omnibus salvandis necessaria, sed consequens est absurdum & falsum; cùm multi simplices & rudes solius fidei illustratione salventur.

R. ad 1. neg. Min. D. quoque Paulus loc. cit. locutus est de prophana ethnicorum philosophia contradicente mysterijs fidei. Ad. 2. dist. Mai. esset omnibus salvandis, & in omnibus necessaria, nego, pro omnibus, & in aliquibus, concedo. Quod non obstat, quin multi simplices sine Theologia salventur.

AR-

ARTICULUS II.

An S. Theologia sit Scientia.

SUMMARIA.

1. *Status Quæstionis & notio Scientiæ.*
2. *Theologia est scientia proprie dicta.*
3. *Adstruitur Theologiæ evidentia sufficiens.*
4. *Scientia evidens nequit cum habitu fidei assistere; bene inevidens.*
5. *Scientia potest esse de singularibus.*
6. *Quandonam propositio virtualiter revelata ad fidem Divinam pertineat?*
7. *Disparitas inter principia, credita & opinativa.*
8. *Hæresis opponitur conclusioni Theologicæ virtualiter & mediatè.*

§. I.

Nostra Sententia affirmativa.

1. SCientia propriè accepta (prout hoc loco accipitur) in 1. post. Definitur, quod sit *cognitio certa & evidens rei per causam necessariam.* Ubi quatuor involvuntur conditiones ad scientiam requisitæ; discursus vel formalis, si est cognitio per medium, vel causam formaliter præcognitam: vel virtualis, si est per medium vel causam tantùm virtualiter præcogniam. Secundò necessaria connexio inter causam & effectum cognitum. Tertiò. certitudo. Quartò evidentia cognitionis orta ex certitudine & evidentia obiecti. Porrò aliqua propositio dupliciter potest esse evidens, vel immediatè, quia est per se nota, cùm nempe connexio extremorum sine medio per se ipsam intellectui fit manifesta, velut, quòd 2. sint paria, & hæc evidentia est propria habitui primorum principiorum; vel mediatè; quia resolvitur in principia per se nota, & hæc evidentia est propria scientiæ discursivæ. Unde S. D. Q. 14. & Ver. a. 9. *Quæcunque sciuntur, proprie acceptâ Scientiâ, cognoscuntur per resolutionem in principia quæ per se præsto sunt intellectui, & sic omnis Scientia in visione rei præsentis perficitur.* Hinc oritur difficultas, an nostra Theologia Viatorum sit vera & proprie dicta Scientia siquidem certum est nostram Theologiam, utpotè in fide divina fundatam, & ex ea derivatam, esse inevidentem; aliunde verò inter conditiones essentiales Scientiæ, quibus à fide distinguitur, evidentia recensetur. Negativam sententiam defendit Scotus in prol. n. 4. & 30. ejusque Commetatores. Affirmativa est expressa D. Th. Q. 1. a. 2. quem præter Thomistas etiam sequuntur plures è RR. diversis tamen ducti principiis, ut patebit ex seqq.

2. CONCLUSIO: *S. Theologia est vera & proprie dicta scientia.* Ita S. D. l. cit. Probatur primò authoritate tam S. Scr. quàm SS. PP. Nam in Scr. doctrina Theologica passim appellatur scientia ut Prov. 25. *Labia sapientum disseminabunt scientiam. Jer. 3. Dabo vobis pastores, qui pascant vos scientiâ & doctrina.* Scientiam quoque imò & sapientiam appellat D. August. præcitato l. 14. de Trin. c. 1. & D. Hieron. ad Paulin. dicens: *talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in cœlis.*

Probatur secundò ratione. Omnis virtus intellectualis vel est sapientia, vel scientia, vel habitus principiorum, vel prudentia vel ars: Theologia est virtus intellectualis; quia maxime perficit intellectum in cognitione veri; nec est ex tribus ultimis membris divisionis: ergo ex duobus primis.

Probatur tertiò. Si quid deesset Theologiæ ad rationem scientiæ, esset evidentia, ut Adversarii fatentur sed hæc non deest. Min. probatur: Illa evidentia sufficit ad rationem scientiæ, quâ ipsius conclusiones resolvuntur in principia per se nota, vel proprio lumine, vel lumine scientiæ superioris, ut inquit hìc S. D. sed tametsi conclusiones Theologicæ non resolvantur in principia per se nota per ipsam Theologiam, tamen resolvuntur lumine superioris scientiæ, nempe scientiæ DEI & Beatorum, quæ per beatificam visionem mysteria fidei obscurè cognita in via (quæ sunt Theologiæ nostræ principia) clarè cognoscit in patria: ergo nostra Theologia habet sufficientem evidentiam. Maj. probatur exemplo scientiæ subalternatæ: hæc enim procedit ex principiis non per se notis intra propriam sphæram, sed per se notis lumine scientiæ subalternantis. E. G. Musica ex principiis per Arithmeticam, Perspectiva ex principiis per Geometricam notis: ergo ratio scientiæ salvatur in habitu, cujus conclusiones à scientia superiori resolvantur in principia per se nota; tametsi habitus ipse in principia per se nota non possit resolvere. 3.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBijcit primò Scotus q. 4. n. 30. & cum illo Veckenus, aliique RR. Theologia stat cum fide in eodem intellectu, uti patet experientiâ: ergo non potest esse scientia: Consequentia probatur ex fundamentis Thomistarum, qui in 2. 2. q. 1. a. 5. docent, scientiam & fidem non posse simul consistere, quod esset falsum, si Theologia simul cum fide consistens foret scientia. 4.

Resp. negando consequentiam, cujus probationem dist. scientia formaliter evidens non potest cum fide consistere: conc. formaliter inevidens & tantùm evidens radicaliter & inclinativè, qualem dicemus esse nostram Theologiam, nego, tunc enim eo ipso quòd in fide radicetur & originetur, indeque sua principia accipiat, non potest esse incompossibilis cum illa. Unde Scotus loc. cit. immeritò S. Doct. contradictionis & inconsequentiæ arguit; siquidem ex ratione ejusdem satis constare poterat, incompossibilitatem scientiæ cum fide tantùm adstrui de scientia clara, non de scientia inevidente: ratio enim est, quòd in eodem intellectu darentur effectus privativè oppositi circa idem objectum, videlicet evidentia & inevidentia.

Objc. secundò. Scientiæ non sunt de singularibus secundùm Philosophum; sed Theologia est de singulatibus, quia tractat de DEO, de Christo &c. ergo non est scientia. Resp. disting. maj. De singularibus ut cognitis sub aliqua ratione contingentiæ & mutabilitatis non datur scientia, conc. sub aliquâ ratione necessitatis vel infallibilitatis, nego maj. sed Theologia cognoscit singularia, sub ratione infallibilitatis derivatâ ex lumine revelationis divinæ, conc. (hâc enim ratione jam fundantur passiones, & prædicata demonstrabilia de tali 5.

subjecto) sub ratione mutabilitatis, nego min. & consequentiam.

6. Objic. tertiò. Conclusio Theologica est propositio credita: ergo non est scita; ergo nec habitus Theologiæ est scientificus. Antecedens probatur: propositio Virtualiter revelata creditur fide divinâ: utpote ad quam sufficit revelatio virtualis, juxta ea quæ Thomistæ tradunt in Tract. de fide: sed conclusio Theologica est virtualiter revelata, ut supponitur; ergo creditur fide divinâ.

Confirmatur primò. Ita se habent principia credita ad suam conclusionem, sicuti se habent principia opinativa ad suam: sed principia opinativa non nisi opinativam conclusionem producunt: ergo etiam principia credita non producunt nisi conclusionem creditam. Confirmatur secundò. Hæresi non nisi fides opponitur: sed hæresi opponitur conclusio Theologica: ergo conclusio Theologica magis est actus fidei, quàm scientiæ. Minor probatur: qui negaret conclusionem Theologicam: v. g. quòd Christus sit risibilis, esset hæreticus: ergo hæresis opponitur conclusioni Theologicæ.

R. neg. antec. de propositione formaliter & quatenus Theologica, quia aliud est motivum formale fidei, aliud Theologiæ. Ad prob. dist. maj. Propositio virtualiter revelata creditur fide divinâ, quando ratio assentiendi immediata est divina revelatio conc. quando ratio formalis & immediata assentiendi est connexio medii cum extremis, nego maj. sed conclusio Theologica est virtualiter revelata; ita ut divina revelatio sit formalis ratio assentiendi, nego, ut connexio medii cum extremis conc. min. & neg. consequentiam.

Ad primam Confirmationem nego maj. Disparitas est multiplex. Nam primò fides divina non 7.
est discursiva, sicut opinio, adeoque inepta ad parandam conclusionem. Secundò principia fide divina credita certificant intellectum de sua subordinatione ad scientiam DEI & Beatorum; & sic sufficiunt, ut ex iis deduci possit conclusio scientifica: hoc autem non potest opinio. Tertiò. Conclusioni Theologicæ tantùm pro hoc statu & & accidentaliter ex conditione subjecti, non autem per se primò essentialiter convenit, ut sua principia sint fide divinâ credita, cùm ex se possent esse clarè visa: atqui conclusioni opinativæ per se essentialiter convenit, ut habeat principia opinativa. Ad 2. Confirmationem dist. maj. hæresi non 8.
nisi fides opponitur formaliter & immediatè conc. virtualiter & mediatè nego. Et ad prob. qui negaret conclusionem Theologicam esset hæreticus formaliter neg. illatum, mediatè & virtualiter conc. Nam qui contradicit consequenti, contradicit etiam antecedenti: cùm ergo antecedens in discursu Theologico sit de fide, ideò qui negaret conclusionem Theologicam, argueretur etiam negare promissam, quæ est de fide.

ARTICULUS III.

Quomodo inevidentia non obstet Theologiæ ad salvandam rationem Scientiæ.

SUMMARIA.

1. *Difficultas de evidentia Theologiæ.*
2. *Reiicitur evidentia luminis supernaturalis, vel naturalis Theologiæ.*
3. *Sola certitudo non sufficit ad rationem scientiæ.*
4. *Exponitur evidentia radicalis Thomistarum.*
5. *Sufficit scientiæ inferiori evidentia scientiæ superioris.*
6. *Quomodo conclusio Theologica Viatoris per se exigat obscuritatem principiorum.*
7. *Sitne necesse evidentiam è scientia DEI in Theologiam Viatorum derivari?*

1. POtissima difficultas, initio prioris articuli indicata, consistit in hoc discursu: Omnis scientia est habitus evidens: Theologia non est habitus evidens, quia non resolvit suas conclusiones in principia per se nota: sed tantùm in propositiones fidei, quæ sunt essentialiter obscuræ: ergo Theologia non est scientia.

§. I.

Varia Authorum responsa.

2. REspondent primò Franc. de Marchia & Henricus cisatus à Reding & Mastrio hìc a. 1. neg. min. & ille quidem dicit, ipsos articulos fidei supposito semel assensu fidei, fieri lumine naturali evidentes penetrabiles. Iste (ut refert Scot. in 3. de 24.) dicebat, ex ipso lumine fidei per frequens exercitium in Theologis nasci tertium quoddam lumen supernaturale, medium inter lumen fidei & lumen gloriæ, quo mediante Theologus evidentes cognoscat articulos fidei.

Sed uterque docendi modus à Theologis passim reiicitur: nam primò manifestè contradicit S. Scripturæ & Apostolo 1. Cor. 13. dicenti, nos *nunc ambulare per speculum in ænigmate*. Secundò. Assensus fidei in statu viæ est liber & meritorius: sed talis non est assensus evidens, cùm evidentia objecti pariat determinationem ad assensum. Tertiò repugnat experientia: quis enim exercitatissimus Theologorum unquam expertus est tale lumen vel evidentiam de mysterio Trinitatis, Incarnationis &c. cùm Paulus Apostolus Magister Theologorum dicat. *Se* pro hoc statu illa cognoscere *in ænigmate*? Quartò. Non est assignabilis causa talis luminis supernaturalis: non assensus fidei, cùm sit impossibile, ut notitia intrinsecè obscura pariat claram cognitionem, tanquam effectum contrarium. Non naturale lumen intellectûs, cùm omnis effectus supernaturalis sit ipsi improportionatus, & supra vires ipsius.

Respondent secundò Zumel, Fasolus, Canus de 3.
locis Theologicis c. 2. neg. maj. & dicendo, non evidentiam, sed certitudinem esse de essentia scientiæ, ideoque Theologiam, utpotè summa certitudine præditam, non obstante inevidentiâ pertinere ad clarum scientiarum. His accedit Illustrissimus Reding. a. 2. conc. 3. & dela Moneda a. 2.

affirma-

affirmantes, quòd evidentia principiorum in scientiis etiam naturalibus ad scientificum assensum non se habeat formaliter & essentialiter, sed tantùm causaliter; nec sine fundamento authoritatis, & rationis petitæ ex philosopho in 2. post. c. 2. ubi dicit: *Perfectè rem scire unusquisque æstimatur, quando causam, per quam res est, ita cognoscit, ut non posse omninò aliter rem se habere credat.* Si ergo hæc causæ certitudo & necessitas aliunde, quàm per evidentiam haberi possit, quid obstabit, quin etiam sine evidentia scientia haberi possit. Atqui licèt hæc certitudo in naturalibus scientiis haberi nequeat, nisi cùm fit resolutio in principia per se nota: (unde meritò antiqui Philosophi divinorum expertes requisierunt ad scientiam non in sensu formali, sed causali) tamen Theologia summam certitudinem obtinet etiam sine evidentia, eò quòd ipsius principia sint assensus fidei sub motivo veritatis divinæ tam in cognoscendo, quàm dicendo, infinitè infallibilis.

Contra hanc sententiam pugnat Mastrius primò, quòd licèt scientia per certitudinem sufficienter distinguatur ab opinione, à fide tamen non nisi per evidentiam intrinsecè per se primò distinguitur: fides enim Divina majorem obtinet certitudinem, quàm ipsa Theologia, neque tamen exinde sortitur prædicatum differentiale scientiæ. Sed facilè respondet de la Moneda, non quamlibet certitudinem esse essentialem scientiæ, sed mediatam; sicuti nec quælibet evidentia, sed mediata & deducta scientiis convenit; unde sicuti ab habitu primorum principiorum sufficienter distinguitur scientia, quòd ille habeat evidentiam immediatam, ista mediatam, sic etiam sufficientrr à fide distinguitur, quòd ista immediatam, illa verò habeat certitudinem mediatam.

Contra tamen est secundò. Scientia cùm sit maxima perfectio intellectûs, ex suo intrinseco fine habet satiare intellectum secundûm connaturalem appetitum ipsius: atqui connaturalis appetitus, inclinatio & exigentia intellectûs est, veritatem perspicuè & clarè cognoscere, non ex alieno testimonio (ut benè loquitur Mastrius) sed rem in se ipsa cernendo & intuendo, unde experimur nunquam quiescere intellectum, quousque rem in se ipsa cernat & intueatur: ergò scientia ex intrinseco suo fine habet, quòd sit evidens.

Contrà est tertiò. Quod S. D. hîc a. 2. in c. propter evidentiam principiorum in superiore scientia Theologiæ tribuat rationem scientiæ non propter solam certitudinem. Ad argumentum ex Philosopho petitum. Resp. sensum esse, quòd tunc aliquis rem perfectè sciat, quando causam rei ita cognoscit, ut non posse omninò rem aliter se habere credat (hoc est sentiat) cognitione satiativa intellectûs & distinctivâ ab omni alio assensu, non autem cognitione certâ, qualem etiam habere potest fides.

4. Respondet tertiò. Cajetanus cum plerisque Thomistis: scientia est habitus evidens evidentiâ vel formali excludente omnem prorsus inevidentiam, vel radicali excludente tantùm inevidentiam privativam, non autem negativam, conc. evidentiâ tantùm formali, nego maj. sed Theologia non est evidens, evidentiâ formali excludente omnem inevidentiam, conc. evidentiâ radicali, excludente tantùm inevidentiam privativam, non autem negativam, nego min. & consequentiam. Item ad probationem: Theologia non resolvit suas conclusiones in principia per se nota pro statu viæ, & in intellectu viatoris, concedo. in statu patriæ & in intellectu comprehensoris, nego: ibi enim, sunt manifesta, & per se nota per scientiam beatam.

Sensus est: quòd aliquando scientia ex proprii luminis efficacia suas veritates resolvit in principia per se nota, & hæc appellatur evidentia formalis & actualis; aliquando supponit sua principia tanquam demonstrata & manifestata per lumen superioris alicujus scientiæ, habet tamen intrinsecam inclinationem, ut conjungatur & continuetur cum scientia superioti, atque ex tali conjunctione suorum principiorum, & consequenter conclusionum, intrinsecam evidentiam sortiatur, & hæc est evidentia radicalis. Prima evidentia propria est scientiis subalternantibus, altera subalternatis. Rursus potest aliqua cognitio vel habitus ex vi sui motivi formalis intrinsecè exigere obscuritatem, sicut fides tam humana quàm Divina, & illa obscuritas dicitur privativa, hoc est, privativè & repugnanter excludens evidentiam objecti: aliquando potest actu & permissivè habere obscuritatem propter accidentalem conjunctionem cum aliquo subjecto, vel statu exigente obscuritatem; ita tamen, ut illam inevidentiam ab intrinseco non exigat, sed æquè possit admittere evidentiam, si in alio statu, & subjecto aliter dispositio collocetur, quæ est inevidentia negativa.

Hoc igitur modo Thomistæ docent, Theologiam Viatoris esse inevidentem, quia non ex intrinseca vi & exigentia revelationis virtualis, ceu motivi formalis excludit evidentiam conclusionum, nec ab intrinseco petit suas conclusiones deducere ex obscuris principiis fidei, sed hoc ipsi accidentaliter competit, quia reperitur in subjecto hominis Viatoris, cujus status exigit ambulare per speculum in ænigmate. Si verò collocetur in intellectu hominis beati, statim exutâ accidentali obscuritate, fiet formaliter evidens, & evidentes deducet conclusiones ex principiis clarè visis: Quæ responsio est bona.

§. II.

Nostra resolutio & solutio objectionum.

CLariùs tamen, & breviùs ex S. D. hîc in c. dist. 5. maj. scientia est evidens per evidentiam vel propriam, vel scientiæ superioris concedo. semper per propriam, nego, vel quod idem est, est evidens per resolutionem in principia per se nota, vel lumine proprio, vel superioris scientiæ, conc. semper proprio, nego. Theologia nostra non est evidens per resolutionem in principia sibi per se nota, conc. superiori scientiæ DEI & Beatorum, cui subordinatur, nego min. & consequentiam.

Opponit primò de la Moneda. Conclusio Theologica viatoris qua talis per se exigit procedere ex principiis inevidentibus: ergò est intrinsecè inevidens. Anteced. probatur: exigit procedere à principiis à Viatore cognitis, sed hæc sunt intrinsecè obscura. 6.

Con-

Confirmatur. Illa conclusio est intrinsecè obscura, quæ infertur ex principio intrinsecè obscuro, quia conclusiones sortiuntur suam certitudinem, evidentiam, vel inevidentiam ex præmissis: sed conclusio Theologica Viatoris infertur ex principiis intrinsecè obscuris, nimirum articulis fidei, quatenùs obscurè revelatis: ergò est intrinsecè obscura.

Respond. Conclusio Theologica Viatoris quà talis, per se exigit procedere ex principiis inevidentibus, perfectate exigentiæ reduplicatâ supra statum & subjectum Viatoris, conc. supra ipsam licentiam & conclusionem Theologicam, nego. Eadem est responsio ad probationem. Unde in his & similibus argumentis est fallacia reduplicationis, dum id, quod subjecto & statui per se convenit, transfertur ad ipsam scientiam: sicuti malè ex eo probares, quòd Christus per intrinsecam exigentiam fuerit mortalis, quia quà Viator fuit talis.

Ad Confirmationem Resp. Conclusio illata ex principio per se intrinsecè obscuro est intrinsecè obscura; si ab intrinseco per se dependeat ab illo principio, conc. si tantùm ratione statûs & subjecti, nego. Sed conclusio Theologica infertur ex articulis intrinsecè obscuris; ita, ut ab iis dependeat ratione statûs, conc. ab intrinseco, nego min. & consequentiam. Et ad probationem: Conclusiones sortiuntur inevidentiam ex præmissis, & omni modo, quo est in præmissis, nego. aliquo, conc. Sortitur ergò inevidentiam negativam, non autem privativam.

Oppones secundò contra ultimam responsionem. Si Theologia esset scientia propter evidentiam principiorum in superiori licentia DEI & Beatorum, tunc ex illa scientia deberet derivari aliqua evidentia in Theologiam Viatorum: sed nulla derivatur: ergò. Major constat: quia si nulla derivatur evidentia, tunc vel Theologia non erit scientia, utpotè carens prædicato essentiali ipsius, vel sola certitudo sufficiet ad rationem scientiæ, quod non est ad mentem S. D. min. probatur. Si quæ derivaretur, hoc fieret mediantibus principiis: sed hoc non, quia principia sunt articuli fidei per se obscuri. 7.

Resp. dist. maj. deberet derivari evidentia in Theologiam Viatorum, nisi ista sufficientissimè certificetur de sui evidentia in scientia superiori, conc. secùs, nego. Hæc quippe certitudo jam præstat inferiori scientiæ, ut per se inclinet in connexionem cum scientia superiori & satiet (quamvis modo imperfectiori) intellectum scientis.

ARTICULUS VI.

Sitne S. Theologia scientia propriè subalternata?

SUMMARIA.

1. *Conditiones 4. requisitæ ad subalternationem scientiæ proprie dictæ.*
2. *Theologia habet aliquam subalternationem ad scientiam beatam.*
3. *Non tamen rigorosam.*
4. *Mens Angelici Doctoris exponitur.*
5. *Dantur scientiæ, quæ nec sunt subalternantes, nec subalternatæ.*
6. *Cur per separationem scientiæ beatæ subalternantis à Theologia non destruatur ratio scientiæ?*
7. *Alia dependentia principiorum in subalternata scientia naturali, quàm in Theologia.*

§. I.

Negativa præfertur.

EX Authoritate S. Doct. cit. loco docentis, ideò Theologiam esse scientiam, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia DEI & Beatorum, inferunt communiter Thomistæ, Theologiam esse scientiam propriè subalternatam scientiæ DEI & Beatorum, hoc est, visioni beatificæ. Negat Scotus, & omnes ij, qui Theologiam negant esse scientiam. In qua quæstione, quæ magis de nomine quàm de re esse videtur.

1. Notandum: Ad propriè dictam subalternationem scientiarum 4. conditiones requiri primò. ut subalternata accipiat sua principia à scientia subalternante, ubi enim desinit subalternans, ibi incipit subalternata, ac proinde secundò, ut principia scientiæ subalternatæ, tantùm fiant evidentia per lumen scientiæ subalternantis. Tertiò ut subalternata supra objectum materiale scientiæ subalternantis addat aliquam differentiam accidentalem, vi cujus acquirit novam scibilitatem seu demonstrabilitatem passionum. Quartò, ut subalternata conjungatur cum subalternante in eodem intellectu, e. g. Musica Arithmeticæ, Perspectiva subalternatur Geometriæ: quia illa ab Arithmetica, hæc à Geometria sua accipit principia, ita enim perspectiva probans, quòd radii visuales, quantò magis accedunt ad oculum, tantò angustiùs coëant, assumit principium istud ex Geometria, quantò propiùs duæ lineæ à peripheria accedunt ad centrum, tantò faciunt acutiorem angulum, quod ipsum principium non in Perspectiva sed in Geometria demonstratur. Sic pariter ad objectum materiale Geometriæ, quod est linea, superaddit differentiam accidentalem, quæ est visualitas, & Musica ad numerum, quod est objectum materiale Arithmeticæ, differentiam sonori. Nisi etiam perspectiva continuetur in eodem intellectu cum scientiæ Geometrica, non habet certitudinem sufficientem ad rationem scientiæ: quia illa non est sufficiens certitudo, quæ fundatur in fide humana essentialiter fallibili: sed certitudo scientiæ subalternatæ separatæ à scientia subalternante tantùm fundaretur in assensu fidei humanæ: quia in tantum præbet assensum suis principiis, in quantum credit Authoritati Magistri docentis. Unde S. D. q. 14. d. ver. a. 9. ad 3. *dicendum*, inquit, *quòd ille, qui habet scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum ejus cognitio continuatur quodammodò cum cognitione ejus, qui habet scientiam subalternantem.*

CON-

2. CONCLUSIO. *Theologia aliquo modo subalternatur scientiæ DEI, & Beatorum, non tamen propriè dictâ & rigorosâ subalternatione.*

1. Pars constat primò ex authoritate S. D. qui hîc instituit comparationem inter Theologiam & Musicam, quoad manifestationem principiorum in scientia superiori.

Constat secundò ratione, quia habitus inferior quoad evidentiam & manifestationem suorum principiorum dependens ab habitu superiori, rectè ipsi dicitur subordinari; adeoque saltem in latiori sensu subalternari, sed quoad evidentiam suorum principiorum Theologia pendet à scientia DEI & Beatorum; quippe in qua clarè videntur, quæ hîc obscurè credimus: ergò eidem aliqualiter saltem subordinatur.

3. Secunda pars prob. quia Theologia in multis deficit à perfecta subalternatione, & differt à scientiis subalternatis.

Nam primò. Principia scientiæ subalternatæ pertinent per se ad scientiam subalternantem ceu conclusiones ipsius: atqui principia nostræ Theologiæ, non ad scientiam beatam, sed ad fidem intrinsecè pertinent. Unde fides ita se habet ad Theologiam, sicuti habitus principiorum ad scientiam.

Secundò. Principia Theologiæ, hoc est, articuli fidei non manifestantur à scientia Beata modo scientifico & probativo, quod est proprium scientiæ subalternantis, sed formaliter, modo intuitivo; neque lumen fidei perficitur per lumen gloriæ, sed destruitur; cùm tamen lumen scientiæ subalternatæ perficiatur per lumen scientiæ subalternantis, neque ipsi accedit illud lumen gloriæ, sed succedit: Unde æquali modo sicuti visio beatifica se habet, ut habitus primorum principiorum respectu claræ Theologiæ in patria, sic se habet fides respectu Theologiæ inevidentis in via: cùm fides defacto vices obeat beatæ visionis. Hoc totum verò non habet locum in scientiis propriè subalternatis.

Tertiò. Quantascunque conclusiones per Theologicum discursum deducimus, illæ ipsæ clarè videntur à DEO & Beatis per visionem beatificam: atqui scientia subalternans non penetrat conclusiones scientiæ subalternatæ.

4. Quartò. Theologia non propriè superaddit objecto materiali scientiæ beatæ differentiam accidentalem, quâ fundetur novus modus scibilitatis. Illa enim vel esset inevidentia, ut aliqui volunt, vel virtualis revelabilitas. Non inevidentia, tum quia hæc Theologiæ est accidentalis, & in Beatis scientia Theologica est evidens. Tum quia inevidentia potiùs impedit, quàm causat subalternationem cum scientia visionis: eò quòd reddat habitum inevidentem incompossibilem cum illa, prout in habitu fidei. Non etiam virtualis revelabilitas: quia scientia visionis æquè se extendit ad virtualiter, quàm ad formaliter revelata, sicut & ipsa fides, prout communiter docent Theologi: scientia autem subalternans non debet comprehendere intra suum objectum illam differentiam accidentalem. Virtualis quoque revelatio potiùs diversum motivum & formalem rationem *sub qua*, quàm differentiam accidentalem materialis objecti significat, nec tam ad objectum terminativum, quàm ad modum cognoscendi pertinet.

Quintò. Propriè dicta subalternatio scientiarum requirit utriusque conjunctionem: sed nostra saltem Theologia non conjungitur cum scientia visionis, quam habent DEUS & Beati: ergò saltem nostra Theologia non est propriè subalternata scientiæ DEI & Beatorum.

Nec urget in oppositum authoritas allegata S. Doctoris; quia ut ex textu patet, inter Theologiam & habitum subalternatum instituit comparationem tantùm in duobus: primò, quòd sicut Musica procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sic etiam Theologia. Secundò, quòd sicut Musicus credit principia sibi tradita ab Atithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi à DEO. Ex quibus nequaquam inferri potest omnimoda paritas, & univocatio subalternationis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. OBijcies primò. Omnis scientia aut est subalternans aut subalternata: sed ex nostris principiis Theologia nec est subalternans, nec subalternata: ergò ne quidem est scientia, quod repugnat suprà dictis.

Resp. negando maj. nam metaphysica, physica &c. sunt scientiæ, nec tamen vel subalternantes, vel subalternatæ.

6. Instabis. In naturalibus scientiis, si subalternata separetur à subalternante, deficit à ratione veræ scientiæ: ergò idem magis dicendum de nostra Theologia, quæ nec est perfectè subalternata, neque conjuncta cum scientia DEI & Beatorum.

Resp. assignando disparitatem: quia intellectus habitu in Theologiæ instructus fide Divina infallibiliter certificatur, sua principia esse à DEO, & & in DEO à Beatis clarè cognita: unde ipsa etiam evidentia scientia DEI & Beatorum mediante hac certificatione potest influere in certitudinem conclusionum Theologicarum; hoc non fit in subalternata naturali separata à sua subalternante, quippe quæ tantùm supponit sua principia tanquam fide humanâ fallibili credita.

7. Objc. secundò. Ita se habet Theologia ad scientiam DEI & Beatorum, quo se habet Perspectiva ad Geometriam, & Musica ad Arithmeticam: sed perspectiva propriè subalternatur Geometriæ, Musica Arithmeticæ: ergò etiam Theologia scientiæ DEI & Beatorum. Major est D. S. Minor Aristotelis.

Confirmatur. Ideò perspectiva & Musica subalternantur Geometriæ & Arithmeticæ, quia earum principia dependent à Geometria & Arithmetica; sed etiam principia nostræ Theologiæ in esse manifestabilis dependent à scientia DEI & Beatorum: ergò.

Resp. ex antè dictis. Ita se habet &c. inadæquatè, & secundùm aliquas conditiones subalternationis, conc. adæquatè & secundùm omnes, nego; nec aliud evincit Angelici Doctoris Authoritas. Similiter ad confirmationem. Ideò &c. quia illarum principia dependent &c. cum omnibus requisitis ad adæquatam subalternationem, conc.

conc. quomodocunque, nego. sed principia nostræ Theologiæ dependent &c. aliquo modo, conc. cum omnibus requisitis, nego min. & consequentiam.

Inferes ex dictis contra Gonet. Nostram Theologiam non esse propriè subalternatam fidei: neque Theologiam Beatorum scientiæ visionis, quia & fides ad nostram Theologiam & scientia visionis ad Thologiam Beatorum se habent, sicuti habitus primorum principiorum ad alias scientias, sed istæ non propterea sunt scientiæ subalternatæ: ergò nec illæ. Multò minùs admittendum est, quòd nostra Theologia subordinetur Theologiæ Beatorum; cum sit unus idemque formaliter habitus, ut mox dicetur.

ARTICULUS V.

De Objecto S. Theologiæ.

SUMMARIA.

1. *Explicantur notiones objecti formalis, materialis & adæquati.*
2. *Deus virtualiter revelabilis est objectum formale quod Theologiæ.*
3. *Ratio formalis quæ est Deitas.*
4. *Ratio formalis sub qua est virtualis revelatio.*
5. *Objectum materiale Theologiæ est ens virtualiter revelatum.*
6. *Quo sensu Apostolus dicat, se judicâsse, se nihil scire, quam Christum Crucifixum.*
7. *Non omnis adæquatio constituit objectum adæquatum formale.*
8. *Quomodo Theologia probet, DEUM esse?*
9. *Ad demonstrandum sufficit causa virtualis.*
10. *Definitio Theologiæ Scholasticæ.*
11. *Est Sapientia.*

§. I.

Objectum formale & Materiale S. Theologiæ statuitur.

1. NOtandum, *Objectum* Theologiæ, sicut & aliorum habituum, dividi in *formale*, quod per se consideratur & attingitur à Theologia, & in *materiale*, quod attingitur ratione alterius. Formale dividitur in *formale quod* seu *terminativum*, & in *formale quo* seu *motivum*. Formale quod terminativum est, ad quod per se terminatur habitus, & ad omnia alia propter ipsum (logici vocant objectum attributionis) & quia ipsum adæquat intentionem habitus, rectè objectum *adæquatum* dici potest. Id quod in isto objecto per modum abstractæ formalitatis per se primò attingitur, appellatur *ratio formalis quæ*; sicuti naturalitas in corpore naturali, quod est physicæ objectum adæquatum, est ratio formalis quæ. Objectum formale motivum, quod apud logicos etiam vocatur ratio formalis sub quâ, est certus modus, & ratio sub qua vel per quam objectum attingitur, quem in scientiis appellamus esse scibile, seu modum scibilitatis, & in naturalibus scientiis solet esse connexio principiorum cum certa abstractione à materia. Objectum adæquatum seu formale quod in scientiis etiam appellatur subjectum, quia de ipso in conclusione demonstrantur propriæ passiones. Objectum materiale adæquatum est, quod complectitur omnia contenta in habitu, & à Logicis appellatur objectum communitatis, seu prædicationis, quia de omnibus in habitu contentis prædicatur in recto. Quibus positis sit.

2. CONCLUSIO I. *DEUS ut virtualiter revelatus est objectum formale quod & adæquatum Theologiæ: (2.) ita ut DEItas sit ratio formalis quæ (3.) virtualis revelatio sit ratio formalis sub qua.* Ita communiter Thomistæ ex S. D. a. 7. Scotus q. 3.

Prima pars, præterquam quòd ex ipso nomine Theologiæ pateat, probatur hâc ratione S. D. Illud est objectum formale quod, sive adæquatum Theologiæ, de quo per se tractat Theologia, & de quibuscunque aliis ratione ipsius: sed Theologia per se tractat de DEO: & (ut hic S. D.) *Omnia pertractantur in Sacra doctrina sub ratione DEI, vel quia sunt ipse DEUS, vel quia habent ordinem ad DEUM ut ad principium & finem:* ut Angeli, Incarnatio, Sacramenta, actus humani eorumque principia &c. ergo.

Confirmatur primò. Ratione Scoti q. 3. n. 7. Primum objectum alicujus scientiæ debet virtute continere omnes veritates illius scientiæ, sed omnes veritates Theologicas non nisi DEUS continet, ergo solus DEUS est primum, hoc est formale objectum Theologiæ.

Secundò. Nobilissima scientia debet habere nobilissimum objectum specificativum. Theologia est nobilissima scientia: ergo DEUM debet habere pro objecto specificativo.

3. Secundæ partis ratio est: Theologia vel considerat DEUM per se primò ratione alicujus attributi, vel ratione Deitatis. Non ratione alicujus attributi, tum quia hæc consideratio esset nimis angusta, tum quia omnia attributa resolvuntur in ipsam DEItatem tanquam virtualem causam & rationem à priori: ergo considerat DEUM per se primò ratione Deitatis: quippe quæ propter se attingitur, & omnia alia propter ipsam, tanquam causam formalem vel virtualem.

4. Tertiæ partis ratio est: Ratio formalis sub qua est illa formalitas, per quam scientia in modo tendendi per se primo distinguitur ab omnibus aliis, sed ita se habet revelatio virtualis in Theologia, ergo. Min. probatur: Theologia non potest DEUM considerare sub lumine purè naturali, & quatenus ex creaturis cognoscibilem; sic enim non esset S. doctrina, *quâ fides saluberrima gignitur* nec foret distincta à metaphysica.

Neque secundò sub lumine gloriæ; quia hæc est scientia visionis propria patriæ: neque sub immediato lumine revelationis obscuræ; quia hoc modo non esset discursiva scientia, nec distingueretur à fide: ergò tantùm potest DEUM considerare sub mediato lumine revelationis, quod ipsum appellamus revelationem virtualem, & nihil

hil est aliud, quàm vis & efficacia discursivè inferendi conclusiones ex principiis fidei formaliter & immediatè revelatis, in quibus illæ tanquam in semine & radice virtualiter continebantur; ita ut proxima ratio assentiendi conclusionibus non sit testimonium Divinum, sed connexio præmissarum.

5. CONCLUSIO II. *Objectum materiale adæquatum Theologiæ sunt res omnes mediate & virtualiter revelatæ, seu ens virtualiter revelatum.*

Ratio est: objectum materiale & adæquatum extensivè est, quod in se adæquatè recipit formalem rationem sub qua, & totam extensionem seu terminationem habitûs adæquat; sed ens à DEO virtualiter revelatum subest virtuali revelationi, ut ex terminis patet, & terminat adæquatè considerationem Theologicam, quia quicquid infertur per Theologicam conclusionem, est virtualiter revelatum: ergo.

§. II.

Solvuntur Objectionis.

6. OBjc. primò. Apost. 1. Cor. 2. negat se scire aliquid nisi Christum: ergo potiùs Christus est objectum Theologiæ: Resp. Apostoli sensum esse, quòd Corinthiis nihil aliud prædicaverit, quàm Christum: quia alia non erant accommoda ipsorum salúti, unde non dicit, nihil aliud scivi, sed *non judicavi me aliquid scire inter vos.*

7. Objc. secundò. Illud est adæquatum objectum scientiæ, cui immediatè convenit & adæquatur ratio formalis scientiæ, sed hæc adæquatur enti virtualiter revelato, unde & S. D. in prol. sent. pro objecto Theologiæ posuit ens Divinum per inspirationem cognoscibile, hoc est virtualiter revelatum.

Resp. absolutè neg. maj. quæ verificari etiam potest de objecto materiali, cui ratio formalis alicujus habitûs adæquatur, non quidem per attributionem, sicut objecto formali, benè tamen per extensionem. S. Doctor autem in loco allegato non de objecto formali quod, & adæquato intensivè, sed de objecto materiali circa quod & adæquato extensivè locutus est,

8. Objc. tertiò scientia non debet probare, sed supponere suum objectum, atqui Theologia probat DEUM esse; ergò DEUS non est ipsius objectum. Resp. neg. min. neque enim Theologia per se probat existentiam DEI, ut authoris supernaturalis, sub quâ tantùm ratione Theologiæ objicitur: & licèt initio statim DEUM ut authorem naturæ probat, id tamen facit ex principiis extrinsecis & metaphysicis.

Objc. quartò. Si DEUS esset objectum Theologiæ, tunc Theologia deberet de DEO demonstrare proprietates, sed has non potest demonstrare: quia quid quid in DEO est, est ens à se, nec habet sui causam. Resp. neg. min. prob. dist. quicquid est in DEO, non habet sui causam formalem conc. virtualem neg. hoc autem sufficere ad rationem scientiæ constat exemplo metaphysicæ, quæ de ente demonstrat proprietates non per causam formalem sed virtualem. 9.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis primò. Theologiam sic rectè definiri: Est *scientia acquisita, quâ è principiis divinitùs revelatis, & pro hoc statu viæ creditis, de DEO rebúsque divinis conclusiones deducimus & demonstramus.* Dicitur primò *scientia*, ut art. 2. probatum ad distinctionem à fide, opinione, & aliis virtutibus intellectualibus. Dicitur secundò. *Acquisita*, ad distinctionem Theologiæ mysticæ, & doni sapientiæ divinitus infusi. Tertiò *ex principiis revelatis.* Unde est radicaliter & originativè supernaturalis, & distincta à scientiis naturalibus. Quartò, *pro hoc statu creditis*: quibus ostenditur inevidentia Theologiæ non essentialis, sed accidentalis, non privativa sed negativa; quippe proveniens non ex Theologiæ ipsius intrinseca exigentia, sed ex conditione statûs viæ: Quintò. *De DEO, rebúsque, divinis*, quibus indicatur objectum tam materiale, quàm formale quod Theologiæ. Sextò. *Conclusiones deducimus*, ubi assignatur ratio formalis sub qua, nimirum virtualis revelatio, sive illa discursiva connexio inter duas præmissas revelatas, vel unam revelatam & alteram naturalem, quæ formaliter intellectum movet ad assensum conclusionis. 10.

Inferes secundò cum S. D. hic a. 6. Theologiam esse *sapientiam*, quia considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quæ DEUS est, non tantùm secundùm quod est per creaturas cognoscibilis, sed etiam in quantum est à se ipso, & solo connaturaliter ab aliis autem per communicationem cognoscibilis. Unde etiam S. Theologia judicat de principiis omnium aliarum scientiarum, & se se super sua propria principia reflectendo, illa contra impugnatores defendit, quod est proprium sapientiæ. 11.

ARTICULUS VI.

De reliquis generícis & specificis prædicatis Theologiæ.

PLura Theologiæ prædicata controversiam subeunt. Sitne habitus naturalis an supernaturalis? num speculativus vel practicus? an certior omni scientiâ naturali? an in hæreticis vel beatis maneat? An habeat atomam unitatem? Singulis quæstitis per totidem §§. Satisfiat.

SUMMARIA.

Supernaturalitas Theologiæ.

1. *Theologia est habitus non intrinsecè, sed extrinsecè supernaturalis.*
2. *Causa proxima assensus Theologici est connexio præmissarum.*
3. *Theologiæ objectum est supernaturale in esse entis, non in esse scibilis.*
4. *Theologia est simul eminenter formaliter speculativa & practica.*
5. *Speculativum & practicum non sunt differentiæ essentiales in habitibus superioribus.*
6. *Sitne omnis actus Theologicus simul speculativus & practicus?*

7. *Theologia principaliùs est speculativa, quàm practica.*
8. *Est aliis scientiis dignior & certior.*
9. *Præmissa naturalis in Theologicam conclusionem influit ut extrinsecè elevata.*
10. *Destruitur per hæresin.*
11. *Non destruitur, sed perficitur per lumen gloriæ in patria.*
12. *Est una scientia specie atomâ.*

§. I.

Supernaturalitas S. Theologiæ expenditur.

CONCLUSIO prima. *Theologia licèt extrinsecè & originativè sit supernaturalis, tamen intrinsecè & entitativè est habitus naturalis.* Ita communis Thomistarum & clarè indicatur à. S. D. tum hìc a. 6. ad 3. ubi dicit, *hanc doctrinam per studium haberi, licèt ejus principia ex revelatione habeantur.* tum 2. 2. q. 54. a. 1. ad 2. ubi distinguens inter nostram Theologiam & sapientiam, quæ est donum spiritûs *S.* dat istud discrimen: quòd *Theologia acquiritur studio humano, illa autem est de sursùm descendens.* Ut dicitur Jac. 3. Ex quibus formatur hæc ratio: Habitus, qui intrinsecè petit produci per causam proximam naturalem, est naturalis; sed Theologia petit produci per causam intrinsecè naturalem, nempe discursum & studium humanum, discursum & syllogisticam illationem conclusionis &c. ergo est intrinsecè naturalis.

2. Negat min. Illustrissimus Reding, & dicit: discursum Theologicum esse intrinsecè supernaturalem. Sed contrà minor probatur: quamvis utraque præmissa in discursu Theologico possit esse de fide, adeoque intrinsecè supernaturalis, non tamen causant assensum conclusionis Theologicæ, nisi quatenùs per lumen discursivum intellectûs sunt artificiosè connexæ: sed sub hac ratione, & ut formaliter non materialiter spectatæ cùm sunt aliquid naturale. Influxus enim causæ remotæ determinatur & modificatur per causam proximam, cui debet effectus proportionari: veluti patet in qualibet demonstratione, cujus conclusio licèt remotè procedat ab habitu principiorum, non tamen est actus principiorum, nec per ipsam generatur habitus principiorum, sed est actus scientiæ: atqui ratio & causa proxima assentiendi est connexio & coordinatio præmissarum, per quam ex principiis revelatis veritas & conclusio virtualiter contenta artificiosè deducitur. quæ tota habetur ex lumine discursivo naturali, ergò. Unde cum S. D. Theologiam vocat scientiam revelatam vel inspiratam, intelligit non formaliter, sed virtualiter revelatam, hoc est, cujus conclusiones sint per discursum & legitimam consequentiam deducibiles ex formaliter revelatis, in quibus virtute continebantur.

3. Neque refert primò, quod objectum formale Theologiæ sit DEUS in ratione DEItatis, adeoque supernaturale. Nam Resp. esse objectum supernaturale, in esse entis, non autem in esse scibilis, vel objecti, quatenùs nimirum subsistat virtuali revelationi tanquam rationi formali sub qua.

Nec obest secundò, quòd principia Theologiæ sint supernaturalia; nam Resp. principia remota & materialiter sumpta sunt supernaturalia, conc. proxima, vel etiam remota, si formaliter sumantur, quatenus per naturalem discursum coordinata, nego. e. g. in hoc syllogismo: *quot sunt in Divinis personæ relativè oppositæ, tot sunt personæ distinctæ: sed tres sunt personæ relativè oppositæ: ergo tot sunt personæ distinctæ:* hìc utraque præmissa est de fide, sicut & ipsa conclusio: nihilominùs quatenùs intellectus ex vi connexionis præmissarum assentitur conclusioni, quæ est aliquid naturale, sic est conclusio naturalis.

§. II.

Quomodo Theologia sit speculativa, vel practica.

CONCLUSIO II. *Theologia simul est eminenter formaliter speculativa & practica:* tum 4.
quia derivatur ab habitu fidei, quia simul est eminenter formaliter speculativus & practicus, ut suppono ex Tract. de fide, tum quia in ipsius objecto formali utraque ratio eminenter formaliter conjuncta reperitur: siquidem DEUS in ratione Deitatis, non tantùm formaliter, sed etiam virtualiter revelabilis, est simul prima veritas per essentiam speculabilis, & simul ultimus finis per nostros actus assequibilis. & secundùm utrasque rationes est virtualiter revelabilis.

Dixi esse speculativam & practicam *eminenter formaliter.* Formaliter est talis, quia utriusque definitionem formaliter participat: eminenter verò, quia illam participiat sine admixta imperfectione contradictionis & limitationis, cum qua reperitur in scientiis inferioribus. Unde non sequitur, si speculativum & practicum sunt differentiæ essentiales in scientiis purè naturalibus, ut communiter docent Thomistæ; ergò non possunt convenire in scientia Theologica. 5.

Nam speculativum & practicum tantùm sunt differentiæ essentiales habituum, quatenùs nimirum sunt rationes limitatæ in scientiis inferioribus, non autem speculativum & practicum, & fundant diversum tendendi modum, ac abstractionem diversam à materia: non autem speculativum & practicum absolutè: hìc enim locum habet illud D. Dionysii: *quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt adunata in superioribus.* Sicuti licèt eadem anima non possit esse simul vegetativa tantùm, & sensitiva tantùm, potest tamen anima rationalis esse simul formaliter eminenter vegitativa & sensitiva.

Eritne propterea omnis actus Theologiæ si- 6.
mul speculativus & practicus? Resp. quamvis dici possit, quòd omnis actus Theologiæ sit remotè simul speculativus & practicus, quatenùs videlicet subordinatur beatificæ visioni, quæ DEUM attingit tam sub ratione primæ veritatis, quàm ultimi finis. propriè tamen ex fine proximo aliquos actus esse speculativos, alios verò practicos: speculativos, quorum finis proximus est, DEUM & divina in se cognoscere, practicos, quorum finis proximus, actus humanos in DEUM, ut ultimum finem dirigere. Nec refert, quòd quilibet actus debeat participare rationem formalem ob-

jecti

jecti: nam distinguo: debet participare adæquatè vel inadæquatè conc. semper adæquatè nego. & ita sufficit ut aliquis actus Theologiæ, v. g. de DEO uno & Trino, ex formali objecto participet rationem speculativi, alius v. g. de actibus humanis rationempractici.

7. Inferes tamen, Theologiam esse magis speculativam quàm practicam. nam ut S. D. a. 4. Theologia *principaliùs agit de rebus divinis, quàm de actibus humanis: de quibus agit secundùm quod per eos ordinatur homo ad perfectam DEI cognitionem in qua æterna beatitudo consistit.* Hoc est, quamvis Theologia de actibus humanis agendo, & illos ordinando in ultimum finem sit practica; tamen & principaliùs agit de rebus divinis, & ipse ultimus finis seu beatitudo æterna consistit in intuitiva cognitione DEI: adeoque ex utroque capite est principaliùs speculativa. Oppositum sentiunt Scotistæ, supponentes beatitudinem consistere in fruitione, quod Thomistæ impugnant. in 1. 2.

§. III.

Certitudo Theologiæ.

8. CONCLUSIO III. *Theologia est dignior & certior aliis scientiis.* Dignior ut probat S. D. a. 5. est primò, quia objectum Theologiæ, quod est DEUS author supernaturalis, transcendit & superat omnium aliarum scientiarum dignitatem; ideoque juxta interpretationem S. D. hìc in arg. sed contrà, aliæ scientiæ naturales respectu Theologiæ dicuntur ancillæ, juxta illud prov. 9. *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Secundò hoc ipso, quia est omnibus scientiis naturalibus certior, utpotè certitudine derivatâ ex immutabili veritate DEI, tum in dicendo, tum in essendo. Nec ideo existimes, istam Theologiæ certitudinem esse intrinsecè supernaturalem, nihil enim est aliud, quàm firmitas naturalis assensûs omnisexclusiva formidinis habens tamen relationem ad supernaturalem assensum fidei divinæ, in quo radicatur.

9. Neque dicas: Præmissæ debent esse certiores conclusione: sed frequenter contingit, ut una ex præmissis discursûs Theologici sit desumpta ex scientia naturali, velut in hoc syllogismo. *Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo Christus est risibilis.* ergo præmissa scientiæ naturalis est certior conclusione Theologica. Nam Resp. dist. min. præmissa aliquando desumitur ex scientia naturali, ita tamen ut sit alteri præmissæ supernaturali conjuncta, & ab illa extrinsecè elevata ad participationem certitudinis supernaturalis, conc. ut se sola principaliter influat in conclusionem, nego. ergo est certior, ut conjuncta & elevata conc. ut seorsim sumpta, nego consequentiam.

§. IV.

Duratio, subjectum, & unitas Theologiæ.

10. CONCLUSIO IV. *In hæretico non potest manere Theologia, verè univocè sumpta.* Nam destructis principiis, motivo formali, & certitudine alicujus scientiæ, etiam ipsam destrui est necesse; sed in hæretico pereunt principia Theologiæ, nempe propositiones fidei, perit lumen revelationis virtualis, hoc ipso quod desinat lumen revelationis formalis, perit consequenter certitudo, quippe quæ non amplius ex fide & veritate divina derivari potest: ergo perit etiam scientia Theologica, sicque similitudinariè vel æquivocè tantùm manet, & ut loquitur Phil. à S. Trin. cadaver scientiæ Theologicæ.

11. CONCLUSIO V. *Nostra Theologia viæ quoad substantiam manet in patria.* Ita sentit D. Aug. l. 3. c. 6. cont. 2. ep. Pelag. dicens: *Scientia & cognitio de DEO post resurrectionem perficitur in nobis.* Chrys. in c. 13. ad Cor. *Non abolebitur scientia, sed desinet esse non perfecta.* & D. Hier. S. cit. *Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in cælis.* Ratio est: manente formali objecto scientiæ; manet scientia quoad substantiam; sed in Theologia manet objectum formale Theologiæ; ergo manet etiam quoad substantiam. Min. probatur, quamdiù conclusio est discursivè deducta ex principio formaliter revelato, tamdiù manet formale objectum Theologiæ; sed in patria per cognitionem vespertinam Beati deducunt conclusiones ex principiis formaliter revelatis, non quidem revelatione obscura, sed clarâ: hoc enim nihil interest ad virtualem revelationem, sitne ex principio clarè, vel obscurè revelato, ergo.

12. CONCLUSIO VI. *Theologia est una specie infimâ scientia.* quia, ut ex philosophia supponitur: unitas formalis objecti tribuit unitatem habitui; sed omnia objecta Theologica conveniunt in uno objecto & ratione formali, nempe DEO & revelatione virtuali, ergo:

Inferes ex dictis, ad syllogismum propriè & principaliter Theologicum semper esse necessarium ut conclusio deducatur, vel ex utraque præmissa de fide debitè disposita, vel ex una de fide, & altera naturaliter evidente, quia assensus scientificus, qualis est assensus conclusionis, est essentialiter incapax procedendi ex aliquâ præmissa seu assensu opinativo, neque enim opinio essentialiter conjuncta cum formidine oppositi generare potest certum assensum. Quid si ergo Theologia cum præmissa de fide conjungat alteram tantùm opinativam? Non erit discursus Theologicus? Erit secundariò; non autem primariò; sicuti cùm scientiæ naturales defectu luminis naturalis non semper suppeditant propositiones evidentes, ex secundaria intentione inferunt conclusionem opinativam.

ARTICULUS VII.

De locis Theologicis, & sensibus S. Scripturæ.

SUMMARIA.

1. *Theologia quomodo sit argumentativa?*
2. *Quaternarius numerus locorum genericus.*
3. *Authoritas Divinæ continet 5. locos specificos.*
4. *Authoritas PP. quanta in Theologia?*
5. *Qualem fidem faciat ratio, historia, philosophia humana?*
6. *Sensus S. Script. litteralis & mysticus.*
7. *Mysticus dividitur in allegoricum, analogicum, & tropologicum.*
8. *Quid dicendum & sentiendum de sensu accommodatitio?*
9. *Quinam sensus præbeant argumentum Theologicum?*
10. *Sensus spiritualis sæpè multiplex sub una littera.*

§. I.

Quot, & quinam sint loci Theologici?

1. THeologiam esse argumentativam S. D. concludit hìc a. 8. & probat partim ex illo Apostoli Tit. 1. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*; partim hâc ratione: Vel intelligitur per argumentationem deductio conclusionum ex principiis, vel probatio propriorum principiorum. Si primum; ex dictis constat, Theologiam esse argumentativam ad instar aliarum scientiarum: si secundum; tunc ceu sapientia & suprema scientiarum ad instar metaphysicæ disputat contra negantem sua principia, ex uno fidei articulo alterum inferendo, quamdiù Adversarius unum concedit: quo modo Theologus disputat contra Judæos ex veteri, & contra hæreticos tum ex veteri tum novo testamento. quemadmodum 1. Cor. 15. Apostolus ex resurrectione Christi probat resurrectionem mortuorum. Si verò adversarius nihil concedat, aut credat ex articulis fidei, velut Athei & pagani, solvit rationes, quibus fidem oppugnant, & fidei credibilitatem ostendit. Hâc occasione quærunt Theologi, quinam sint loci, seu sedes argumentorum, è quibus Theologus argumenta depromit, & cùm inter illos præcipuè recenseatur S. Script. quæritur quotnam sint ejusdem sensus, & quis eorum sufficiens ad Theologicum argumentum?

2. D. Th. a. 8. ad 2. ad numerum quaternarium redigit omnes locos, ex quibus Theologia argumenta depromit. Videlicet authoritatem divinam, dicta SS. rationem naturalem, & authoritatem philosophorum. Cujus divisionis ratio est: quòd aliqua doctrina vel continet in se ipsa authoritatem divinæ revelationis, vel saltem in illa fundatur. Si contineat, constituit primum lumen, si in illa fundatur, constituit secundum; nam sententiæ SS. PP. nec non doctrinæ Theologorum Scholasticorum nituntur consequentiis & principiis depromptis ex authoritate divina per S. Scr. & SS. Canones indicata.

Vel secundo illa doctrina continet luminis naturalis instinctum aut in illo fundatur. Si primum; constituit tertium lumen. Si secundum, constituit authoritatem philosophorum, His positis sit,

3. CONCLUSIO I. *Primus locus authoritatis divinæ est S. Theologiæ proprius, & continet in se 5. locos, nempe S. Script. sive Verbum DEI scriptum. Secundus traditiones Apostolicas, seu Verbum DEI non scriptum. Tertius totius Ecclesiæ consensus, quartus. Conciliorum, & quintus summi Pontificis definitiones.*

Ratio est: Theologiæ proprium est argumentari ex principiis revelatis: sed ista continentur in 5. prædictis, prout suppono ex Tract. de fide. ergo 5. prædicti loci, qui reduci possunt ad unum genericum locum Authoritatis divinæ, sunt proprii Theologorum.

4. CONCLUSIO II. *Secundus locus, comprehendens dicta SS. PP. & Doctorum Theologorum, est proprius Theologiæ, sed non quatenùs scientificæ, sed quatenùs probabiliter disputantis.*

Ratio est: quia judicio & doctrinæ SS. Patrum non est promissa assistentia Spiritûs S. sicuti Pontificis & Ecclesiæ Romanæ. Unde magnam quidem faciunt authoritatem, præsertim si multi vel omnes in unum conspirent, siquidem supponuntur ferre judicium non ad placitum, sed ad fidei orthodoxæ regulas efformatum: ideoque faciunt sententiam (teste Esparza a. 3.) proximè ab Ecclesia definibilem, prout colligitur ex Clement. un. d. S. Tr. §. 1. ubi Clemens V. *Nos ad sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes sacro approbante Concilio declaramus &c. &c.* & qui concordibus eorum sententiis refragaretur, temerarius meritò diceretur: nihilominùs non probat omninò infallibilem & divinâ veritate subnixam authoritatem: qualis competit S. Scripturis & SS. Pontifi. definitionibus. Hinc est celebre illud D. Augustini ep. 19. *Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt. Et Hier. in ep. ad Theoph. Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare.*

Cæterùm inter omnes SS. PP. maxima semper fuit authoritas D. Dionysii Areop. quippe familiarissimi Apostolorum, & Pauli discipuli, tanti (ut inquit Esparza) ab omnibus semper habiti, ut nemo audeat ullâ in re illi apertè contradicere. De D. Greg. Naz. & Athanasio ipsemet D. Th. 1. p. q. 61. a. 3. in c. *Cujus tanta est in doctrina Christiana authoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis.* Præcipuè verò eminet inter SS. PP. autho-

authoritas D. Augustini, quippe ipsorum SS. Pontiff. Conciliorum, Scholarum, sapientium acclamationibus celebrata. Quæ de SS. PP. authoritate dixi, proportione servatâ, & in gradu inferiori ad authoritatem quoque Theologorum & S. Script. Interpretum sunt accommodanda.

5. CONCLUSIO III. *Ratio naturalis, historia humana tam Ecclesiastica, quàm profana, nec non authoritas Philosophorum sunt loci solùm extranei*: quia nec continent authoritatem revelationis divinæ, nec in illa fundantur: nihilominus tamen deserviunt ad discursum Theologicum, partim scientificum, cùm nempe ratio naturalis est evidens, & cum propositione revelata in ordine ad inferendam conclusionem Theologicam jungitur; partim probabilem, quando ratio non est evidens, sed probabilis tantùm.

Addit a. 47. jure merito Esparza, argumentum à pari cùm aliàs ut permolestum glorioso defendenti, sic penè sit inutile ad veritatem investigandam (ut enim paritas concludendi habeat efficaciam necesse erit superaddi ulteriorem rationem efficacem, quæ sit communis antecedenti & consequenti) alienum esse à Theologo, ut assuescat argumento à pari, eique fidat secundùm se præcisè considerato, imò esse insuper pernicioſum, quando agitur immediatè de DEO, prout eleganter indicavit D. Greg. Naz. or. 5. de Theologia. *Valdè*, inquiens, *turpe est, nec turpe solùm, sed etiam admodum stultum, & inane, ex humilibus ac terrenis rebus superarum simulacrum sumere, quódque Isaias ait, viventia in mortuis quærere.* Similes textus ex D. Dionys. & Athanas. refert Esparza l. cit. In harum inutilium & nimiopere claudicantium paritatum censu numerandam semper existimavi illam paradoxam paritatem, quâ nonnulli Theologi evincere conantur positivum peccati formalis: Virtualis distinctio in divinis præstat, quod persona terminet productionem ad intra; non item natura: ergo eadem distinctio præstabit, quòd in formali peccati bonitas transcendentalis terminet divinam productionem ad extra, non item malitia identificata cum illa: nam quæ, obsecro, umbra pariatis ab ineffabili mysterio Trinitatis, & virtuali distinctione fundatâ in infinita perfectione, ad naturam abjectissimam & infinitè imperfectam peccati? sed de hoc suo loco.

§. II

Sensus varius S. Script.

6. SEnsus S. Script. universim est duplex; *litteralis*, ac *mysticus*. Litteralis est, quem spiritus S. per voces immediatè intendit & significat; Mysticus, quem mediatè per voces intendit & significat. Cujus ratio in c. à S. Doctore traditur. Cùm auctor S. Scr. Sit DEUS, potuit non tantùm voces, sed etiam res per voces significatas accommodare ad significandum: prout accommodâsse constat ex S. Script. ubi secundùm Apostolum Heb. 7. lex vetus est figura legis novæ. Sed prior litteralis, & posterior est sensus mysticus: ergo constat, DEUM in S. Script. & litteralem & mysticum sensum intendisse.

Sensus litteralis dividitur in *proprium* & *figuratum*, seu *metaphoricum*, ad quem etiam commodè reducitur parabolicus. Ille est, quem ex intentione spiritûs S. verba immediatè in propria acceptione significant: iste, quem ex eâdem spiritûs S. intentione significant in impropria & translativa acceptione uti cum dicitur: *Oculi Domini super justos.* Lij *Oculi* non oculos materiales quibus DEUS caret, sed specialem providentiam significat. Sensus Mysticus rursus tripliciter dividitur, in *allegoricum*, *anagogicum*, & *tropologicum*. 7. Allegoricus, qui secundùm Albertum M. *fidem ædificat*, est, cùm res immediatè significata in uno tempore militantis Ecclesiæ; significat mysterium aliquod fidei pro alio & sequenti tempore. Sic Apostolus Gal. 4. per duos filios Abrahami allegoricè significari dicit duo testamenta. Et sic totum vetus testamentum erat figura novi. Sic etiam per Lazari resuscitationem SS. PP. figuratam intelligunt justificationem peccatoris, per sessionem Christi super asinam & pullum ejus in Triumphali ingressu Hierosol. Matt. 21. intelligunt regnum Christi primò super veterem synagogam, deinde super gentilitatem. Sensus anagogicus *erigit spem*, & tunc est, quando res per voces significata ulteriùs significat aliquid pertinens ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem. Quo modo Apostolus Heb. 9. per ingressum Sacerdotis in sancta sanctorum intelligit significatum ingressum Christi in Cælum. Sensus tropologicus seu moralis, qui *fovet charitatem*, est, cùm res & gesta significata per voces significant aliquid ad morum institutionem, & fovendam pietatem pertinens, quemadmodum illud Deut. 25. *Non alligabis os bovi trituranti* litteraliter de veris bobus intellectum, Apost. 1. Cor. 9. tropologicè intelligit de Concionatoribus, quibus debetur victus à populo. Idcircò communiter 4. enumerantur sensus S. Script. his versibus comprehensi:

Littera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quò tendas anagogia.

Ad sensum spiritualem reducitur sensus accom- 8.
modatius, in quo per quandam allusionem præter, non autem contra sensum à spiritu S. intentum verba S. Script. propter aliquam analogiam & similitudinem accommodantur & applicantur ad aliam significationem, quemadmodum Eccles. 44. de Noe dictum, *inventus est Justus*: &c. accommodatur ab Ecclesia in officio Confessoribus. qui sensus frequentissimus est in divino officio. PP. & Concionatoribus: non tamen est propriè & rigorosè inter S. Scr. sensus adnumerandus, hoc ipso quòd non sit ex intentione spiritûs S. sed ex arbitrio & conceptu applicantis: unde nec facit locum Theologicum pro scientifico discursu. sed.

Quæres primò. Quinam ex prædictis sensibus 9.
& quandonam præstent Theologo firmum argumentum? Resp. ex quolibet sensu S. Scr. duci efficax argumentum, quandocunque certò constat sive per ipsam scripturam, sive per declarationem Ecclesiæ, talem sensum esse intentum à spiritu S. tunc enim etiam certum est, quòd ipsi competat divina, adeòque infallibilis authoritas: ordinariè tamen & ut plurimùm solus sensus litteralis efficax præbet argumentum, ut habet S. D. a. 10. cujus ratio est, quòd sensus litteralis ut

ut

ut plurimum sit apertus, non item Mysticus & Spiritualis. Unde est illud D. Dionysij in ep. ad Titum, *Theologia symbolica non est argumentativa.*

Porrò toties in sensu proprio & litterali sensu accipienda esse S. Scr. verba, quoties ex horum proprietate nullus sensus absurdus sequitur, regula est communis Theologorum tradita à D. Basilio homil. 9. in hexam. & D. Aug. de Genesi ad lit. L. 8. c. 1.

10. Quæres secundò. An sensus litteralis vel spiritualis possit esse multiplex sub eadem littera? Resp. tam litteralem, quàm spiritualem posse esse multiplicem. Ratio est à S. D. tum hìc, tum quodl. 7. a. 15. adducta, quia *author S. Scripturæ DEVS est*, qui omnia suo intellectu comprehendit, adeóque potest talia signa eligere, quibus plura tam litteraliter, quàm spiritualiter significentur. Sic unica vox Jerusalem litteraliter significat civitatem Palæstinæ, allegoricè Ecclesiam Christi, anagogicè patriam Cælestem, tropologicè animam justi. Sic integra ferè Cantica Canticorum amorem Christi tum erga Ecclesiam, tum erga animam significant. Et hæc de prolegomenis Theologiæ.

DISPUTATIO II. DE EXISTENTIA DEI.

ARTICULUS I.

Vtrum DEVM esse sit per se notum?

SUMMARIA.

1. *Varietas sententiarum.*
2. *Propositio duplici modo per se nota.*
3. *Deum esse per se notum quo ad se & intellectum beatorum.*
4. *Quo ad nos tantùm radicaliter, & præsuppositio discursu.*
5. *Authoritates in speciem oppositæ.*
6. *Argumentum ex authoritate S. Anselmi.*
7. *Patres tantùm asserunt notitiam DEI nobis à natura insitam radicaliter.*
8. *Non necessariò in hoc termino DEVS semper apprehenditur ens quo majus excogitari non potest.*
9. *Aliquando apprehenditur solùm existentia signata, non exercita.*
10. *An DEVM esse Trinum, sit per se notum?*

§. I.

Sententia Doctoris Angelici.

1. CIrca hanc quæstionem prima est sententia D. Bonavent. in 1. d. 8. a. 1. q. 2. Abulensis in c. 5. Ex. Alensis, Lyrani, quam etiam tuentur de la Moneda, Isquierdo, Henr. à S. Ignatio, pro se allegantes complures SS. PP. inf. referendos: hanc propositionem *DEVS est*, esse simpliciter etiam *quoad nos per se notam*. Altera est Scoti in 2. dist. 2. q. 2. Omnem propositionem per se notam, etiam esse *per se notam quoad nos*: Et hanc propositionem *DEVS est* esse *per se notam* respectu cujuscunque intellectûs terminos apprehendentis; Si verò existere prædicetur de aliquo conceptu, quem pro hoc statu formamus de DEO, sic ejusmodi propositionem nullo modo esse *per se notam*: Tertia Doctoris Angelici sententia est, hîc a. 1. *DEVM esse, per se notum* esse *quoad se*, non autem *quoad nos*: quam amplectitur major pars Theologorum, Pro cujus explicatiori captu.

2. Notandum: quòd aliqua veritas seu propositio objectiva dicatur per se nota, in qua connexio extremorum sine medii probantis indigentia per se ipsam innotescit.

Potest autem contingere, quòd aliqua propositio ideò non egeat medio probante: quia prædicatum immediatè connectitur cum subjecto, vel ut S. D. hîc, quia *prædicatum includitur in ratione subjecti*, & tunc dicitur per se nota quoad se, eò quòd ex propriæ veritatis efficaciâ sit immediatè cognoscibilis. Vel secundò, quia licèt veritas ipsa & connexio extremorum non sit ita immediata, quin habeat intrinsecam rationem & medium probativum: termini tamen ita clarè sunt nobis perspecti, ut ex prima illorum apprehensione trahamur ad assensum: velut ista, *cygnus est albus*: & tum propositio dicitur per se nota tantùm quoad nos, non autem quoad se. Jam vel intellectus habet species sufficienter & quidditativè repræsentativas extremorum in propositione per se nota quoad se, vel non habet. Si habet, est propositio per se nota tam quoad se, quàm quoad nos: si non habet, est propositio tantùm per se nota quoad se, non autem quoad nos. Unde patet propositionem per se notam à S. D. rectè dividi in per se notam quoad se, & quoad nos. Quo posito sit

CONCLUSIO I. *DEVM esse est veritas* 3. *& propositio per se nota quoad se, & quoad intellectum Beatorum; non autem quoad nos.* Ita Thomistæ communiter contra Scotistas & nonnullos RR.

Ratio est: Esse, hoc est actualis exercita existentia est de essentia DEI, ita ut prædicatum essendi *includatur in ratione subjecti*, atque, prout in sequentibus dicetur, tam re, quam ratione identificetur cum illa: & hoc ipsum vident Beati, quia vident DEUM, sicuti est: ergo hæc propositio quo ad se & intellectus Beatorum est per se nota: nec habet ex parte sui, aut indiget medio probativo.

At verò, quia nos viatores non habemus quidditativum conceptum Deitatis, & *nescimus de DEO quid est*? ideo *quoad nos* non est per se & immediatè ex terminis notum, DEUM esse: sed ad assensum hujus propositionis, & penetrandam connexionem utriusque extremi deducimur non quidem median-

te

te aliquo medio à priori, quod est impossibile, sed à posteriori; videlicèt per ascensum à creaturis ad creatorem: dum *ex visibilibus invisibilia DEI conspicimus.* Rom. 1. quæ omnia clarissimè explicat S. D. in 3. cont. gent. c. 11. dicens: *sicut nobis est per se notum, quod totum suâ parte sit majus, sic videntibus ipsam divinam essentiam per se notissimum est, DEVM esse, ex hoc, quod sua essentia est suum esse: sed quia suam essentiam videre non possumus, ad ejus esse cognoscendum non per se ipsum, sed per ejus effectus pervenimus.* Inde fit, quòd aliqui Athei negaverint existentiam DEI. *Nemo autem potest judicare oppositum ejus, quod est per se notum*, inquit S. D. in arg. sed cont.

4. CONCLUSIO II. *In aliquo sensu, nimirum radicaliter, & supposito aliquali discursu etiam quoad nos per se notum est, DEVM esse.* Ita S. D. q. 10. de verit. a. 12. ad. 1. & 1. contra gentes c. 2. Radicaliter hoc per se notum est nobis, quia omnibus hominibus rationis usu præditis insita naturaliter est vis facillimo discursu cognoscendi connexionem inter creaturam & creatorem. *Omnibus*, inquit, S. D. in priori loco, *naturaliter insitum est aliquid, unde possunt pervenire ad cognoscendum DEVM esse.* Et hoc sensu loquuntur SS. PP. quando dicunt cum Damasc. l. 7. de fide c. 1. & Hier. in c. 1. ad Gal. *Notitiam DEI omnibus à natura esse insitam.* Dixi etiam *supposito aliquali discursu*, postquam enim homo ex se ipso tanquam imagine, & è creaturis, tanquam vestigiis, ex totius quoque universi aspectu ad istorum omnium authorem & gubernatorem, nativâ intellectûs propensione semel deductus est, per simplicem deinceps apprehensionem hujus termini *DEVS*, statim inducitur ad cognoscendam & affirmandam ipsius existentiam. Nec aliud videntur velle, vel evincere Authores in speciem oppositi, cum dicunt, hanc propositionem, *DEVS existit*, esse nobis per se notam sub conceptu denotante connexionem DEI existentis cum creaturis existentibus: ut enim hæc ipsa connexio sit cognita, jam supponitur aliquis discursus, & ascensus rationis.

§. II

Solvuntur objectiones.

1. OBije. 1. authoritatem sapientum & PP. nam Cicero l. 1. de Nat. Deor. post Platonem: *quæ fuit, vel est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, & animæ præviam quandam informationem, sine quâ nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari possit.* Damasc. l. 1. de fide c. 11. *Nemo est mortalium, cui non hoc à DEO naturaliter insitum sit, ut DEVM esse perspectum habeat.* Et l. 7. c. 1. *Notitia DEI omnibus à natura est insita.* Hier. in c. 1. ad Gal. *Perspicuum est, naturâ omnibus inesse DEI notitiam.* Nissenus l. de beatit. *Opinio de Numine Divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus.* Præcipuè verò D. Anselmus noster in prosolog. expendens illa verba psalmi 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS.* Post multa alia c. 4. sic loquitur: *Nullus quippe intelligens id, quod DEVS est, potest cogitare; quia DEVS non est: licet hæc verba dicat in corde: aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione: DEVS enim est id, quo majus cogitari non potest; quod qui benè intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse DEVM, nequit eum non esse cogitare.* Ex quibus conficitur hæc ratio, &

Obije, secundò. Illa propositio est nobis per se 6.
nota, cujus extremorum connexio & identitas absque demonstratione aut medio probante solâ intelligentiâ terminorum evidenter innotescit; ita ut intellectus nequeat dissentire; sed in hâc propositione, *DEVS est*, intellectus immediatè cognoscit connexionem extremorum, & inclusionem prædicati *existentiæ* in subjecto DEUS: ergo hæc propositio non tantùm est per se nota beatis, sed etiam nobis viatoribus. Minor probatur: quia per tò DEUS apprehenditur *ens necessariò existens, quo majus & melius excogitari non potest*: sed utique intellectus judicat tale ens existere: aliàs de eodem ente simul affirmaret duo contradictoria; judicaret quippe existere, quia ens non existens extra intellectum, non est, quo melius excogitari non potest, cùm utique melius sit esse, quàm non esse: & tamen ex hypothesi, quod intellectus dissentiret, judicaret simul non existere, quod implicat contradictionem. sequitur ergo, quòd ex ista notitione terminorum convincatur intellectus ad assenti: ndum huic propositioni: *DEVS est.*

Resp. ex S. D, hîc ad authoritatem sapientum 7.
& Patrum, illos affirmare, inditam & insitam omnibus ratione præditis notitiam DEI, non formaliter & immediatè, sed radicaliter, juxta expositionem 2. concluf. Neque videtur D. nostro Anselmo fuisse alia mens, quàm quòd suppositâ cognitione dependentiæ, quam habet creatura ad creatorem (quod non fit sine discursu) convincatur intellectus ad asserendam DEI existentiam: ita enim loquitur loco cit. *Solus igitur verissimè omnium, & ideò maximè omnium habes esse, quia quicquid aliud est, non sic vere est, & idcirco minus habet esse.* En! ut S. Pater ex contingentia rerum creatarum adstruat necessitatem existentiæ in ente primo increato. Verùm ulteriùs

Ad argumentum ex D. Anselmo formatum, ex 8.
Angelico Doctore Resp. primò. neg. min. ejusque probationem: vel gratis disting. per tò *DEVS*, apprehenditur ens necessariò existens, quo majus & melius excogitari non potest: præcisè in virtute hujus termini incomplexi simpliciter apprehensi, nego. in virtute hujus termini prævio discursu ritè & benè intellecti, conc. constat enim antropomorphitas sub hoc nomine *DEVS* corpus, Manichæos DEUM malum, Gentiles, nescio quos chimæricos deastros, idola, dæmonem ipsum intellexisse. Et ideò notanter dixit S. Anselmus: *DEVS enim est id, quo majus excogitari non potest; quod qui* (NB.) *benè intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.* Igitur S. P. solùm de benè & ritè hunc terminum *DEVS* intelligente loquitur, cùm negat existentiam de ipso negari posse.

Respondeo secundò disting. min. intellectus in- 9.
telligit inclusionem existentiæ in subjecto *DEVS*, in actu signato, & in apprehensione, trans. in actu exercito, & ut extra intellectum positam, nego, h. e. intelligit existentiam involui in conceptu Deita-

tis, abstrahendo adhùc à reali exercitio existentiæ, eámque solùm relinquendo in esse apprehenso, quia de hoc ipso explicito conceptu Deitatis nondum habet evidentiam, quòd à parte rei & exercitè ita se habeat: ideóque cùm tribuit DEO in apprehensione existentiam signatam, potest adhuc de ipso negare existentiam exercitam, & dicere cum insipiente: *non est DEVS.* Ubi nulla est contradictio: néque enim est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem.

10. Oppones tertiò. Hæc propositio, *DEVS est colendus*, ceu primum principium Syndereseos est per se nota *quoad nos*: ergo etiam hæc inclusa: *DEVS est.* Respon. neg. consequent. nam illa propositio, *DEVS est colendus*, pertinet ad intellectum practicum, in quo ut sit per se nota quoad nos, sufficit quòd in & per eundem intellectum practicum hæc inclusa: *DEVS est* non probetur; quamvis non nisi per discussum intellectûs speculativi, qui practico præsupponitur, in notitiam venerit.

11. Objicies quartò. Contra rationem conclusionis primæ. *DEVM esse Trinum*, non est per se notum quoad se, & tamen Trinitas est de ratione DEI: ergo etiamsi existentia sit de ratione DEI, non sequitur, DEUM existere esse per se notum quoad se. Respondent primò Bannez & Godoy neg. antec. siquidem omnes tres Divinæ Personæ existunt existentiâ absolutâ ipsius essentiæ Divinæ, ut habet S. D. q. 28. a. 2. Responderi potest secundò. neg. conseq. & paritatem: quia esse DEI tanquam intrinsecè pertinens ad constitutionem Divinæ essentiæ dicitur de illa in primo modo perfectitatis absque indigentia & admissione alicujus medii virtualis: Trinitas autem Personarum præsupponit virtualiter essentiam constitutam, & ex processionibus ac relationibus Theologicè probatur.

ARTICULUS II.

An & quomodò demonstrari possit DEVM esse?

SUMMARIA.

1. *Testimonia script. & PP. pro demonstrabilitate esse Divini.*
2. *Evidentia effectus probat existentiam causæ primæ.*
3. *Fides Divina credit esse DEVM, ut authorem gratiæ.*
4. *Per effectus improportionatos causa demonstratur, quoad an est.*
5. *Qualem cognitionem rei spiritualis possint gignere species in repræsentando materiales.*
6. *Esse DEI attingitur cognitione inadæquata.*
7. *Non sequitur naturalis demonstrabilitas Trinitatis.*
8. *Prima demonstratio ex motu.*
9. *Quo sensu viventia moveantur à se?*
10. *Implicat in moventibus per se subordinatis processus in infinitum.*
11. *Altera demonstratio ex effectibus.*
12. *Necessaria realis distinctio inter producens & productum.*
13. *Prima implicantia circularis causalitatis in infinitum ex causalitate suiipsius.*
14. *Altera, quòd infinitum esset pertransibile.*
15. *Tertia, quòd nulla causa esset completa & efficax.*
16. *Quarta. Nulla esset sufficiens ad operandum.*
17. *Instantia ex accidente.*
18. *Instantia ex instrumento.*
19. *Infinitum finito additum non mutat prædicata essentialia.*
20. *Quando nam sit diversitas inter partes distributivè & collectivè acceptas?*
21. *Confirmatio ab exemplis.*
22. *Tertia demonstratio ex contingentia rerum creatarum.*
23. *Possibilitas entis necessarii infert existentiam DEI.*
24. *Quarta demonstratio ex inæqualitate rerum.*
25. *Quinta ex ordinatissima mundi fabrica.*
26. *Varietas opinionum de invincibili ignorantia DEI.*
27. *Nullo casu admittendam suadet S. Script.*
28. *Et SS. PP.*
29. *Probat facillimus ascensus à Creaturis.*
30. *Notitia DEI pertinet ad prima principia honestatis.*
31. *Varia absurda, quæ sequerentur ex ignorantia invincibili DEI.*
32. *Quid dicendum ad Americanam existentiam.*

§. I.

Probatur demonstrabilitas existentiæ Divinæ.

CONCLUSIO: *DEVM esse est à posteriori ex creaturis evidenter demonstrabile.* 1. Ita cum S. D. comm. Catholicorum DD. Oppositam S. D. vocat *manifestè falsam.* q. 10. d. ver. a. 12. & 1. contra gentes c. 12. *erroneam.*

Probatur primo. Ex illo sap. 13. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* & Rom. 1. *Quod notum est DEI, manifestum est in illis, DEVS enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* ubi verba *cognoscibiliter videri, intellecta conspici*, juxta SS. PP. interpretationem evidentem cognitionem denotant: nam Hier. in citatum Apostoli locum, *tam evidenter*, inquit, *intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* August. tr. 2. in Jo. *potest inveniri per creaturam Creator evidenter*, dicente Apostolo, *invisibilia enim ejus &c.* S. Maximus cent. 3. c. 1. *conspicua creatura claram probat notitiam, quòd sit Creator.* Et D. Anselm. *notum DEI est, quòd naturali ingenio sciri potest de DEO.*

Probatur secundò ratione. Quoties est evidens existentia effectûs, toties à posteriori est evidenter demonstrabilis existentia causæ; sed evidens est existentia creaturarum, ceu effectuum: ergo à posteriori etiam est evidenter demonstrabilis existentia Creatoris, tanquam causæ primæ. 2.

Dices

Dices primò. Quod fide divina creditur, non 3. demonstratur; sed *DEVM esse*, creditur fide divinâ: ita enim Apostolus Heb. 6. *accedentem ad DEVM credere oportet, quia est.*

Resp. DEUM esse ut authorem gratiæ creditur fide divinâ, & ita requiritur ab Apostolo, concedo. DEUM esse, ut authorem naturæ, nego: sic enim potiùs est præambulum ad articulos fidei.

Dices secundò. Nulla causa demonstrati potest 4. per effectum sibi improportionatum, sed omnes effectus creati, utpotè finiti, sunt DEO infinito improportionati, ergo.

Resp. cum eodem S. D. hic a. 2. ad 5. distinguo maj: nulla causa perfectè & *quoad quid est* potest demonstrari per effectum improportionatum, concedo; imperfectè, & *quoad an est*, nego.

Dices tertiò. Species in repræsentando materia- 5. les non possunt gignere cognitionem rei spiritualis, sed nostræ species, quibus utimur in hoc vitæ statu, sunt in repræsentando materiales, quia sunt abstractæ à phantasmatibus: ergo non possunt gignere cognitionem DEI. Quod etiam videtur asserere S. D. in hâc. 1. p. q. 88. a. 2. ad ult. ubi dicit: *per similitudines rerum materialium aliquid affirmativè potest cognosci de Angelis secundùm rationem communem, licet non secundùm rationem speciei; de DEO autem nullo modo.*

Resp. dist. maj. species in repræsentando materiales & habentes modum repræsentandi materialem, non possunt gignere cognitionem rei spiritualis, conc. habentes modum repræsentandi immaterialem, nego maj. & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Rursus: Non possunt gignere cognitionem rei spiritualis perfectam, immediatam, & quidditativam, conc. imperfectam, mediatam, & connotativam, quoad an est, nego maj. & pariter distinguo consequens: ergo non possunt gignere cognitionem DEI quidditativam conc. connotativam, nego conseq.

Authoritatem Doctoris Angelici exponit Godoyus per *cognosci affirmativè*, intelligi *quidditativè*, & hanc statui differentiam inter DEUM & Angelos; quòd istos per species à phantasmatibus abstractas aliquo modo quidditativè possimus cognoscere, in quantum videlicet in gradu generico conveniunt cum substantiis materialibus, non autem DEUM: quippe qui nec in physico, nec in logico genere convenit cum substantiis materialibus.

Dices quartò. Ubi essentia & esse nec re nec ra- 6. tione differunt; ibi nulla est differentia inter cognitionem essentiæ & esse, inter cognitionem *quid est*, & *an est*: sed essentia & esse in DEO nec re nec ratione distinguuntur: ergo cognito esse DEI etiam cognoscitur essentia DEI; atqui hanc demonstrativè non cognoscimus: ergo nec esse DEI.

Resp. dist. maj. si attingatur cognitione quidditativâ & adæquatâ, conc. maj. si inadæquatâ & connotativè repræsentante, nego maj. & sic dist. consequens: ergo quidditativè & adæquatè cognito esse DEI, cognoscitur essentia DEI, conc. inadæquatè & connotativè cognito, nego conseq.

Secundò. Ubi essentia & esse nec re nec ratione differunt, tam ex parte rei cognitæ, quam ex parte modi cognoscendi, conc. maj. si solùm ex parte rei cognitæ non differunt; benè autem in imperfecto modo cognoscendi, nego maj. sed essentia & esse in DEO nec re nec ratione differunt, ex parte rei cognitæ conc. ex parte modi imperfectè inadæquatè cognoscendi, nego min. & consequentiam.

Dices quintò. Sequeretur, etiam naturaliter 7. demonstrari posse Trinitatem DEI, quod tamen est contra communem. Sequela probatur. Demonstrabilitas esse Divini fundatur in dependentia effectuum creatorum à causa prima: sed etiam humana natura habet dependentiam à Trinitate Divinarum Personarum: ergo etiam naturaliter demonstrari poterit Trinitas Personarum. Minor probatur: Imago habet dependentiam à suo exemplari: sed homo est imago DEI, non tantùm ut Unius, sed etiam ut Trini: ergo etiam habet dependentiam à DEO ut Trino. Minorem habet S. D. inf. q. 113. a. 5. ubi docet, *in homine esse imaginem DEI, & quantum ad Divinam naturam, & quantum ad Trinitatem Personarum.*

Resp. neg. sequel. & probat. distinguo. Demonstrabilitas esse Divini fundatur in dependentiâ effectuum creatorum, & ut lumine naturæ cognitâ, conc. Altiori lumine, nego. Sed etiam humana natura habet dependentiam in ratione imaginis à DEO Trino, ita ut hæc sit altiori lumine cognita, conc. merè naturali, nego min. & consequentiam.

§. II.

Prima demonstratio ex ratione primi moventis.

CONCLUSIO. *Evidenter demonstratur existentia DEI ex Philosophico principio, quòd quicquid movetur, ab alio movetur.* 8. Ita S. D. q. 2. a. 3. Cujus sententiæ præter ejus Discipulos subscribunt Gronado, Tasolus, Henric. à S. Ignat. aliique.

Probatur. Si datur motus in rerum natura, tum evidens est dari primum motorem immotum: sed evidens est dari motum: ergo evidens est dari primum motorem, quia omnia moveat ipse immotus: & hic est DEUS. Major probatur: quicquid movetur, ab alio movetur: vel ergo devenitur ad movens immotum: vel inter moventia per se subordinata datur processus in infinitum: sed iste non datur: ergo perveniendum est ad movens immotum.

Veritas hujus axiomatis in eo fundatur, quòd mobile comparatur ad movens, tanquam perfectibile ad suum perfectivum, ut ab illo actum & perfectionem recipiat, quâ caret: unde moveri est reduci de potentia in actum, & motus definitur *actus entis in potentia.* Cùm igitur implicet, idem respectu ejusdem formæ simul esse in potentia & in actu, esse perfectum & perfectibile, habere & non habere formam, esse in possessione termini, & ad illum acquirendum tendere, ideò etiam necesse est, id quod movetur ad actum obtinendum, moveri ab alio habente actum.

Neque refert, quòd viventia dicantur moveri à 9. se ipsis: hoc enim tenet, in quantum virtutes & principia motuum vitalium habent in se ipsis, sine tamen præjudicio alterius moventis & applicantis: cùm enim movere & operari consequatur ad esse,

ideò sicut sibi ipsis non sufficiunt ad esse, sed in illo à superiori ente dependent, quod solum sibi sufficit unum, estque actus purus sine admixtione potentiæ; sic pariter in suis motibus ab alio influente & ad motum applicante dependent, adeoque persistit inconcussa veritas illius axiomatis: *quicquid movetur, ab alio movetur.*

10. Nunc alterius quoque axiomatis veritas, quòd in moventibus per se subordinatis non detur processus in infinitum, est dilucidanda. Si daretur infinitus circulus mobilium & moventium, absque aliquo motore immoto, tunc idem respectu ejusdem, saltem mediatè, esset in actu & potentia; nam ipsum movens virtutem movendi haberet dependenter à suo mobili; quod cùm involvat implicantiam, deveniendum est ad movens immotum & immobile, quod eo ipso, quia non est mobile & perficibile ab alio perficiente & actuante, est actus purus & ens à se. Præterea: Non est possibilis processus in infinitum in causis efficientibus; ergo nec in moventibus per se. Antec. & ratio paritatis elucescet ex §. seq.

§. III.

Secunda demonstratio per viam causalitatis effectivæ.

11. CONCLUSIO. *Ex eo, quòd evidenter dentur causæ producentes & effectus producti, evidenter infertur admittendam esse causam improductam, & ens à se, h. e. DEVM.* Ratio est: quando in causis per se subordinatis non potest dari processus in infinitum: tunc deveniendum est ad causam primam improductam: sed in causis per se subordinatis non potest admitti processus in infinitum, ergò.

12. Supponit hoc argumentum realem distinctionem inter causam & effectum, ex universali sententia PP. & Scholasticorum, nam August. l. 1. de Trin. c. 1. *Nulla enim res*, inquit, *se ipsam gignit, ut sic.* Cyril. Alex. l. 1. in Jo. c. 2. de Verbo Divino loquens: *Genitum à Patre scriptura prædicat, & veritas ita se habet, quod necessario à generante genitum re ipsa distinguitur.* Nec aliunde probatur distinctio duarum Personarum, nisi quia reales processiones fundant oppositas relationes producentis & producti. Manifesta quoque ratio realem distinctionem inter causam & effectum evincit. Nam causa efficiens præintelligitur existens, priusquam causans, cùm operari sequatur ad esse: effectus autem vel terminus non potest præintelligi sub actu existentiæ ante productionem: ergo effectus nequit intelligi producere se ipsum.

13. Itaque minor principalis de implicantia processûs in infinitum in causis per se subordinatis, probatur primò. Admisso processu in infinitum idem saltem mediatè produceret se ipsum; sed non minùs implicat mediatè, quàm immediatè produci à se ipso, ob rationem primùm adductam: ergo implicat in causis per se subordinatis processus in infinitum.

14. Secundò. Si daretur iste processus in infinitum, tum infinitum pertransiri posset; sed hoc est contra naturam infiniti. Sequela patet: quia proximum & ultimum agens non agit, nisi in virtute superiorum agentium, à quibus in operando dependet: ergo si daretur infinita series agentium, deberet aliquod superius agens pertransire illorum infinitorum agentium seriem, sicque influxum tribuere ultimo agenti.

15. Tertiò. Nullus daretur novus effectus in rerum natura: conseq. est absurdissimum, ergo. Sequela probatur: Nulla causa operatur de novo nisi dependenter ab influxu causæ primæ: sed dato processu causarum per se subordinatorum in infinitum, nulla foret causa prima: ergo etiam nulla causa de novo operaretur, vel produceret effectum. Minor est Advers. major probatur: nisi sit assignabile instans naturæ, in quo compleatur & terminetur dependentia effectûs à suis causis, non potest causa completâ efficaciâ producere suum effectum; sed sine causa prima nullum ejusmodi instans naturæ est assignabile, eo ipso quòd quævis causa ab altera in infinitum dependeat, ergo causa nunquam poterit completâ efficaciâ producere suum effectum.

16. Præterea, argumento illustrissimi Godoy: ut causa possit producere suum effectum, oportet, ut sit sufficiens ad producendum effectum: sed nisi perveniatur ad primam causam, nulla causa est sufficiens: ergo ut causa producat suum effectum, perveniendum est ad causam primam. Major patet ex terminis. Minor prob. Causa dependens in causando ab alia priori non est se sola sufficiens ad producendum effectum: sed priusquam deveniatur ad causam primam omnes causæ dependent ab alia priori, hoc ipso, quòd nulla sit prima, sed tantùm intermedia: ergo nulla est sufficiens ad supplendam alterius insufficientiam, & consequenter nullus producetur effectus.

17. Confirmatur primò. Non potest accidens sere solo aliud accidens sustentare, quia ex essentia dependet à subjecto sustentante? ergo etiam, quia causa media non prima, & essentialiter in causando dependens ab alia causa priori, nulla causa media se sola potest supplere insufficientiam alterius causæ mediæ sibi subordinatæ.

18. Confirmatur secundò. Quia causa instrumentalis ex suo essentiali conceptu dependet ab alia causa, non potest se sola supplere insufficientiam alterius causæ instrumentalis: ergo nec causa media poterit præbere sufficiens juvamen alteri causæ sibi subditæ, cùm sit essentialiter dependens à causa ulteriori.

19. Probatur quartò. Impossibile est, dari infinitam seriem ejusmodi moventium, quorum quodlibet distributivè indigeat ab alio ex se moveri, quia simul tota collectio infinitorum moventium indigeat perfici & moveri ab alio extra se: sed hoc jam esset movens immotum, ut patet ex terminis. ergo. Major probatur: Infinitum finito additum nihil mutat in prædicatis essentialibus, sed tantùm ad genus quantitatis continuæ vel discretæ pertinentibus: sed insufficientia ad complendum effectum, & indigentia ulterioris causæ est essentiale prædicatum cujuslibet causæ creatæ: ergo tametsi ponas infinitas causas, manebunt insufficientes ad ponendum effectum, & indigebunt alio motore extra se.

20. Rursus: Implicat prædicatum non quantitatis vum præscindens à ratione quantitatis, totius, vel partis,

partis, convenire absolutè secundùm se omnibus partibus distributivè, quin etiam conveniat iisdem collectivè sumptis: sed insufficientia ad se ipsa producendum vel movendum est tale prædicatum, ergo. Major probatur: In quibus prædicatis collectio & distributio non differunt, in ijs conveniunt: sed in istis prædicatis essentialibus non differunt; collectio enim partium nil aliud est, quàm partes collectæ, iisque tantùm superaddit rationem totius. Unde si omnes partes distributivè sint substantiales, vel spirituales; tota collectio est talis. Si nulla partium est existens vel possibilis, neque collectio est existens vel possibilis.

21. Confirmatur. Etiamsi foret infinita series instrumentorum, tamen omnes causæ instrumentales, tam collectivè, quàm distributivè acceptæ, indigerent influxu causæ alterius principalis. Item si esset infinitus processus insipientium, tota illorum collectio egeret directione sapientis extra illam collectionem constituti: ergo patiter, quia singula moventia mota indigent alio movente extra se, etiam tota eorum collectio indiget distincto motore non moto.

Hinc optimè Damascenus: *Omnia quæcunque sunt, vel creata sunt, vel increata: si creata prorsus ab aliquo condita sunt. Oportet autem conditorem increatum esse: nam si etiam ille creatus est, eminùs ab alio creatus est, donec ad increatum aliquod procedendo perveniatur.*

§. IV.

Cæteræ demonstrationes existentiæ Divinæ.

22. TErtia demonstratio petitur ex effectuum contingentia & necessitate entis necessarii. Si in mundo non esset aliquod ens essentialiter necessarium, nihil esset eorum, quæ sunt; imò nec quicquam eorum foret possibile: consequens est absurdissimum: ergo. Sequela probatur: tota collectio contingentium est quid indifferens ad esse & non esse, & aliquando non fuit: sed quod hoc modo est indifferens, non potest esse sibi ipsi ratio, cur potiùs sit, quàm non sit, ex nihilo quoque & à nihilo fieri nil potest: ergo nisi admittas ens necessarium, nihil vel actualiter, vel pòssibile erit in mundo.

Confugiet fortè Atheista ad circularem processum in infinitum; Sed præterquam quòd iste maneat refutatus ex dictis. Tota collectio omnium rerum crearum est ens contingens, ergo saltem potuit non esse. Da ergo aliquando non fuisse, tunc certè impossibile est aliquando esse, cùm nihil possitse ipsum, & multò minùs ex nihilo producere: ergo omnes creaturæ erunt impossibiles.

23. Confirm. Argumento P. Bonæ spei. Ens necessarium est possibile: ergo datur. Antecedentis nulla ostendi potest implicantia. Consequentia probatur: quod ita est possibile, ut non possit non esse, illud necessariò datur: sed entis necessarii possibilitas excludit potentiam non essendi; aliàs esset, & non esset ens necessarium: ergo ens necessarium si est possibile, hoc ipso datur.

24. Quarta est demonstratio, quâ utitur D. Anselmus in Monolog. C. 4. Aliqua entia dicuntur magis vel minùs bona propter majorem vel minorem participationem illius, quod imparticipatè, & per se est optimum: sed datur in rerum natura ens majus & melius, magis vel minùs bonum, perfectum, &c. ergo datur consequenter ens optimum maximum, quod est DEUS. Sic eleganter discurrit Boëtius. 3. de consol. *Quin existat (DEUS) sitq; veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur: quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit, &c.*

Quinta, quæ non tantùm SS. PP. sed etiam ethnicis Philosophis est familiaris demonstratio, petitur ab hujus universi ex partibus etiam inter se pugnantibus indissolubili nexu, pulchritudine, harmonia, ex ordinatissima tam cælestium, quàm sub cælestium operandi efficaciâ, motu, revolutione &c. Quæ cùm casui adscribi nequeant, arguunt summam quondam providentiam directricem & *dictatricem operum*, mundo superiorem, *attingentem à fine usque ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter*. Sap. 8. unde & *Cœli enarrant gloriam DEI*. Ps. 17. & una omnium creaturarum vox est: *Ipse fecit nos, & non ipsa nos*. Ps. 99. 25.

§. V.

Virum DEI existentia invincibiliter ignorari possit.

26. ABsolutè dari posse invincibilem DEI ignorantiam, non tantùm ad longum tempus, sed etiam totâ vitâ in hominibus ratione quidem capacibus, sed tamen incultis & hebetis ingenii probabiliùs censent Molina in præs. q. 2. c. 1. Zumel conc. 3. Ariaga disp. 2. sc. 3. Pennafiel disp. 2. sc. 3.

Positivè in nullo casu, nempe per media intrinsecè probantia ignorari posse, benè autem negativè defectu instructionis & excitationis specierum, vel etiam per media extrinseca, putâ authoritatem malè instituentis, ad breve saltem tempus, docuit Magnif. P. Stadlmair in disp. de DEO. c. 1. n. 11. Multò plures præsertim in utraque tam Angelici, quàm Subtilis Doctoris schola tenent, in nullo homine rationis compote, ne quidem ad breve tempus, dari posse ignorantiam invincibilem DEI. Hanc tenent Alensis, Lyranus, Abulensis, Aureolus, Gonett, Alvarez, Godoy, Reding, aliique plurimi, estque conformior doctrinæ D. Thomæ.

27. CONCLUSIO. *In nullo casu homo rationis capax potest invincibiliter ignorare existentiam DEI.* Hanc *assertionem probat ipsa authoritas S. Script.* Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI, nec his debet ignosci, si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Job. 36. *Omnes homines viderunt eum, unusquisque intuetur procul.* Ps. 17. *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Apostolus Rom. 1. *inexcusabiles* vocat Philosophos, quia *invisibilia ipsius* (DEI) *à creatura mundi* (homine) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* 2. Thessal. 1. dicitur Christus *Judex venturus in flamma ignis, dare vindictam ipsis, qui non noverunt DEVM.*

Probant secundò testimonia SS. PP. partim adducta 28.

duct sup. a. 1. n. 5. partim sequentia: Cypr. l. de van. idol. *hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Tertul. l. 1. adv. Marcion. *prima animæ rationalis dos DEI notitia est.* Et l. de spect. C. 2. *homo ignorat, quod ultrò natura suggerit, DEVM esse?* August. tr. 106. in Jo. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti penitùs abscondi non possit.* Greg. 27. moral. c. 3. *Omnis homo, eo ipso, quòd rationalis conditus est, debet ex ratione colligere, enm, qui se condidit, DEVM esse.* Paulus Oros. l. 6. hist. adv pag. *DEVM quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest.*

29. Probatur tertiò ratione. Illud invincibiliter ignorari non potest, in cujus notitiam quilibet homo quantumvis rudis hebetisque ingenii saltem probabilissimo discursu, ipsoque nativo rationis impulsu devenire potest: sed in DEI cognitionem quilibet ita devenire potest, tum ex totius universi aspectu, tum ex sui ipsius notitia: unde ps. 138. dicitur: *mirabilis facta est scientia tua ex me.*

Ita pulcherrimè observavit Theodoretus apud Van der verken d. 2. c. 4. *Si quis maximum & pulcherrimum ædificium inspiciens architectum miratur, & navigium videns benè pulchreq; instructum, naupegum considerat, & cum contemplatione imaginis memoria pictoris simul occcurrit, multò magis mundi fabrica, quæ videtur, ad opificem videntes adducit.*

30. Probatur quartò. Impossibile est, ut homo invincibiliter ignoret omnia principia vitæ honestæ, aliàs sequetur hoc maximum absurdum, quòd homo adultus propter invincibilem ignorantiâ prorsus peccare non possit: atqui primum inter omnia principia moralibus principiis præsupposita, est *DEVM esse*, ex quo consequitur alterum universalissimum principium morale, *DEVM esse colendum*: ergo illius notitiam invincibiliter ignorare nemo potest.

Probatur quintò absurdis. Nam primò sequeretur hominem DEI invincibiliter ignarum excusari ab omni peccato: quia quâ ratione DEUS ignoratur, eâ ratione etiam ignoratur, dari offensam DEI, esse aversionem à DEO: si ergo DEUS invincibiliter ignoratur, etiam inculpabiliter ignoratur effensa DEI, aversio à DEO; consequenter non potest esse voluntaria: si non voluntaria, ergo nec imputabilis in culpam. Secundò sequeretur, quòd adultus rationis compos non posset exercere actum moralem: quippe ejus exercitio præsupponitur cognitio finis ultimi, ut supp. ex Tr d. act. hum. Sequeretur tertiò. Hominem in prima suæ rationis aurora constitutum non teneri, ut se convertat in DEUM, quippe quem invincibiliter ignorare posset. Quartò, quòd non omnis homo reciperet auxilia sufficientia ad salutem, cùm essent aliqui invincibiliter destituti cognitione divinitatis, quæ omnibus aliis auxiliis præsupponitur. 31.

Unde neganda est omni modo experientia adducta à Pentasiele loco citato dicentis: *in his Indiarum provinciis, præsertim hoc regno Peruano quotidie experimur esse aliquos homines adeò barbaros, ut nullam habeant DEI cognitionem, &c.* Esto enim, quòd non habeant vel habere potuerint notitiam Numinis valdè claram, & ex perfecto discursu contractam, quin tamen in ipsa rationis aurora inchoatam Numinis supremi agnitionem, & quasi suspicionem quandam habuerint, & habere potuerint ex ipso universi aspectu, rudi saltem discursu comparatam, admitti non potest. 32.

DISPUTATIO III.
DE NATURA DEI, EIUSQUE CONSTITUTIVO.
ARTICULUS I.

An essentia & natura DEI sint virtualiter distinctæ, habeantque duplex constitutivum.

SUMMARIA.

1. *Inquiritur constitutivum metaphysicum.*
2. *Naturæ, ut virtualiter distinctæ ab attributis.*
3. *Quod est constitutivum per modum simplicitatis.*
4. *Tres conditiones ad constitutivum naturæ requisitæ.*
5. *Diversitas sententiarum.*
6. *Fundamentum distinguendi essentiam & naturam per habitudinem ad diversos actus,*
7. *Propter sequelam operationis ad esse.*
8. *Quia natura ad essentiam se habet, ut includens ad inclusum.*
9. *Duo constitutiva pro essentia & natura.*
10. *Reijcitur distinctio virtualis essentiæ & naturæ propter imperfectionem.*
11. *Propter defectum purissimæ actualitatis, quam infert in DEVM.*
12. *Et vitalitatis.*
13. *Propter distinctionem actûs essendi & intelligendi.*
14. *Ob puritatem actûs primi inconceptibilis in DEO.*
15. *Prima operatio vitalis in DEO non distinguitur virtualiter à natura.*
16. *Natura non est proprie relativa.*
17. *Disparitas inter naturam creatam & increatam.*

§. I.

Præsupposita, & status quæstionis.

1. VIdimus DEUM esse, quod pertinebat ad primam quæstionem: *An est?* modò quidditativa DEI prædicata (quod pertinet ad alteram quæstionem *quid est?*) inspicimus; non quòd inquiramus ejusmodi quidditativum conceptum, qui divinam

vinam essentiam adæquatè ut in se est exprimat: is enim beatis mentibus tantùm concessus, abstractivam viatoris cognitionem longè transcendit, quo sensu Damasc. l. 1. c. 4. *quòd DEVS sit, liquidò constat, quid autem ratione essentiæ, naturæq; sit, nullo modo cognosci potest*, sed quod in omnium divinarum perfectionum & prædicatorum cumulo, quæ per inadæquatos conceptus attingimus, sicuti alia invenimus prædicata ad exprimendas operationes, alia ad proprietates, attributa, personas spectantia; ita investigemus perfectionem, quæ ipsam DEI naturam, ut nostro modo concipiendi ab omni alio, quod est extra naturæ conceptum, distinctam exprimat: quam perfectionem *constitutivum essentiæ & naturæ* nominamus.

1. Naturæ, inquam, ut ex modo concipiendi ab omni, quod ipsa non est, distinctam, adeóque sub metaphysica consideratione spectatam; si enim eandem physicè, & prout est entitativè in se ipsa, spectes, haud dubiè sicuti divina essentia & natura est infinitum & interminatum substantiæ pelagus, omnem perfectionem in se simplicissimè uniens & identificans; ita quoque pro suo constitutivo cumulum omnium divinarum perfectionum habebit.

2. Per tò *constitutivum naturæ* tamen non intelligimus constitutivum *per modum compositionis*, quæ in actu puro & simplicissimo locum non habet; sed *per modum simplicitatis*, qualiter divinas Personas relationibus constitui in Tract. de Trinit. dicemus:

4. Cæterùm tres conditiones (suppositâ in præsens inter naturam & attributa divina distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ secundùm conceptum explicitum & implicitum) ad naturæ divinæ constitutivum necessarias invenimus: Prima est, quòd sit prædicatum essentiale intrinsecum & distinctivum ab omni alio; aliàs quo pacto essentiam omnibus personis communem constituet? Altera, ut sit prima radix (non formalis, sed virtualis; in quam videlicet ratione nostra cum fundamento in re omnia alia prædicata ultimatò revocentur) non tantùm operationum, sed etiam attributorum, à quibus virtualiter distinguitur; quemadmodum rationale in homine est radix formalis operationum & proprietatum, quæ hominis speciem consequuntur. Tertiò, ut exprimat gradum vitæ divinæ, adeóque actualissimæ & perfectissimæ. Cùm enim natura viventium sit ipsum *radicale & substantiale principium vitæ, seu principium, quo per se primò, vivimus, movemur & sumus*, tam diu non exprimitur specifica natura viventis, ut ab omni alia natura distincta, quamdiu gradus ipse vitæ non exprimitur: sed qui DEI naturam considerat, utique considerat naturam non modò primi entis, sed etiam primi viventis: ergo pro constitutivo ipsius naturæ non debet statuere prædicatum, quod solummodò exprimat perfectionem & gradum entis increati; (qui conceptus nimiùm quantum est confusus & imperfectus) sed etiam gradum vitæ increatæ & perfectissimæ.

5. Quibus positis in hâc subtili & profundâ contemplatione admodum diversa sunt Authorum placita. Scotus q. 3. prol. n. 12. & in 1. dist. 3. q. 2. n. 17. formalitatem primò expressivam Divinæ essentiæ collocat in infinitate. Pro cumulo aggregato ex omnibus perfectionibus certant Ruiz, Amicus, Bonæ spei & Quiros tr. 2. disp. 17. sc. 6. & 7. Aseitatem, hoc est formalissimam & independentissimam actualitatem essendi propugnant Bannes, Mariales, Aversa, Derkennis, Contenson. Petrus à S. Joseph. l. 1. c. 1. resol. 4. Stadlmair Universi. Salisb. Rector Magnif. disp. de DEO c. 1. §. ult. Essentiam & naturam virtualiter distinguunt, & illi quidem aseitatem, huic verò actualissimam intellectionem pro constitutivo assignant Cornelio to. 1. q. 14. a. 4. disp. 1. dub. 3. & 4. Franciscus de Lugo l. 1. disp. 16. c. 7. Illustrissimus Reding q. 2. a. 2. controv. 3. Intellectualitatem seu intelligere radicale amplectuntur Arrubal, Serra, Jo. de Bacone, Henr. à S. Ignat. dist. 3. a. 5. Intelligere actualissimum statuunt Salmanticenses, Jo. à S. Th. disp. 16. a. 2. Gonet disp. 2. de nat. DEI concl. ult. & complures è nostris Salisburgensibus.

§. II.

Fundamenta pro distinctione virtuali essentiæ & naturæ.

6. SEntentia docens virtualem distinctionem inter essentiam & naturâ DEI probatur his rationibus. Primò. Conceptus, qui desumuntur per habitudinem ad actus formaliter vel virtualiter distinctos, sunt inter se virtualiter distincti; sed essentiæ & naturæ conceptus desumuntur per habitudinem ad actus formaliter vel virtualiter distinctos: ergo. Minor probatur, ex S. D. q. 39. a. 2. ad 3. *natura designat principium actûs; essentia ab essendo dicitur.* Et est commune Philosophorum dogma: essentiam dici per ordinem ad esse, nomen autem naturæ desumi ex ordine ad operationem, natura enim dicta est, *quasi aliquid nasci faciat*: sed esse & operatio uti in creatis formaliter & realiter, ita in divinis sunt actus virtualiter distincti, uti etiam linea essendi ac operandi: ergo & actus, ad quos essentia & natura dicunt habitudinem, sunt inter se virtualiter distincti. Min. probatur, quæ realiter distinguuntur in creatis, virtualiter distinguuntur in divinis; sed actus essendi & operandi realiter distinguuntur in creaturis: ergo virtualiter distinguuntur in divinis.

7. Confirmatur. Esse priùs concipitur, quàm operari, quia operari sequitur ad esse; ergo conceptus essendi & consequenter etiam conceptus essentiæ est virtualiter prior, quàm conceptus naturæ. Adde: quòd absoluta sunt priora relativis: conceptus essentiæ est absolutus; conceptus naturæ est relativus ad operationem, ergò.

8. Probant secundò. Includens saltem virtualiter inadæquatè distinguitur ab incluso, quemadmodum actus notionalis ratione superadditæ relationis virtualiter inadæquatè distinguitur ab actu essentiali, quem includit; sed natura se habet ad essentiam tanquam includens ad inclusum, quia ad esse, quod est constitutivum essentiæ, superaddit operationem, velut insinuat S. D. in opusc. *de ente & essent.* dicens: *Nomen naturæ significare videtur essentiam rei, secundùm quod habet ordinem ad propriam operationem.* Unde communiter docetur tam à Philosophis, quàm Theologis, in creaturis naturam superaddere essentiæ, quòd sit principium primum & radicale operationis.

9. Positâ ergo distinctione virtuali inter essentiam & natu-

& naturam divinam, necessariò etiam ponenda sunt utriusque constitutiva virtualiter distincta; sed pro essentia nullum convenientius est assignabile, quàm *esse à se*, utpotè perfectio actualissima & præsupposita omni alteri perfectioni attributali: similiter pro constitutivo naturæ rectissimè assignatur *intelligere substantiale*; siquidem in divinis non datur principium operandi nisi per modum actûs secundi: prima autem operatio & actus vitæ secundus in pura intelligentia est intelligere, de quibus infer. plura.

§. III.

Oppositа sententia statuitur.

10. His non obstantibus ex oppositis fundamentis oppositum statuendum & dicendum; neque duos conceptus objectivos essentiæ & naturæ ab invicem virtualiter intrinsecè distinctos; neque duplex constitutivum utriusque in DEO admitti posse.

Ratio est primò: quòd conceptus inferens imperfectionem in DEUM admitti non potest: sed conceptus essentiæ præcisus à conceptu naturæ infert imperfectionem in DEUM; ergo. Min. probatur, ideò in creaturis essentia virtualiter distinguitur à natura, quia esse est naturâ prius, quàm operari, unde eadem entitas ut constituta sub actu essendi, (ubi habet conceptum essentiæ) nondum concipitur ut habens vel emanans actum operandi; adeóque ut constituta in potentia ad actum operandi. Sed iste conceptus dicit limitationem & imperfectionem repugnantem DEO, quia supponit primò distinctionem realem inter esse & operari: secundò prioritatem naturæ, quâ esse præsupponitur non tantùm uni vel alteri, sed omni operationi: tertiò conceptum potentialitatis & perfectibilitatis ab actu operandi.

Ac proinde quartò defectû purissimæ vitalitatis, siquidem conceptus cujuscunque operationis (in qua vita secunda consistit) extra lineam essentiæ peti debet.

11. Unde *Ratio est secundò*: Vel concipis divinam essentiam in gradu essendi perfectissimo, vel non: si non; nec quidem concipis divinam essentiam; nisi fortè conceptu tantùm confuso, & solùm distincto ex imperfecto modo concipiendi: quia quascunque perfectiones divinas concipimus, debemus concipere per modum purissimæ actualitatis in illa linea; ut si concipis unum, debes concipere omnem possibilem & infinitam perfectionem, quæ in linea unitatis haberi potest: cùm ergò gradus essendi pertineat ad lineam essendi, nisi concipias perfectissimum gradum essendi, etiam non concipis essentiam DEI in sua linea infinitè perfectam. Si concipis essentiam in gradu essendi perfectissimo constitutam, necessariò exprimis, & concipis ut vitalem & intelligentem; adeóque non concipis essentiam, prout præscindit ab operatione & natura.

12. Confirm. Essentia ut præscindens à natura est radix proprietatum præscindens à radice operationum: sed essentia divina hoc modo non rectè concipitur; ergò. Min. prob. Essentia divina non potest concipi ut præscindens à vitalitate & gradu vitæ; sed hoc modo præscinderet à gradu vitæ: cùm enim vita secunda consistat in operatione, essentia præscindens ab operatione & principio operandi, etiam præscindit à gradu vitæ.

Tertiò. Esse à se & intelligere in DEO nec re, 13.
nec ratione distinguuntur: ergò nec sunt virtualiter distincta constitutiva, nec ratione ipsorum essentia & natura virtualiter distingui possunt. conseq. est manifesta. antec. inf. probabimus.

Quartò. Natura ceu radix operandi saltem se- 14.
cundùm communiorem Thomist. in DEO *per AA.* non est virtualiter distincta ab ipsa operatione; siquidem non potest concipi per modum actûs primi: ergò etiam essentia non distinguitur virtualiter à natura. Conseq. prob. Ideò non potest natura concipi per modum actûs primi, & virtualiter distincta ab operatione intellectiva, quia conciperetur ut incompleta & actuabilis in propria linea: sed etiam essentia, si foret virtualiter distincta à natura, conciperetur ut incompleta & actuabilis in propria linea: nam ultima actualitas essentiæ vitalis est esse vitale; sed si essentia DEI conciperetur præcisè sub actu essendi, abstrahente ab actu & principio intelligendi, non conciperetur sub illa actualitate essendi vitaliter; ergò non conciperetur ut constituta in ultima actualitate suæ lineæ.

§. IV.

Solvuntur fundamenta contraria.

AD primam rationem contr. sent. nego min. 15.
universaliter sumptam. Esto enim quòd non tantùm actiones virtualiter transeuntes, sed etiam aliquæ immanentes, prout in decursu patebit, sint ab esse divino virtualiter distinctæ; primum tamen operari, sive illa operatio, quæ dicit actualitatem perfectissimam vitæ intellectualis, videlicèt intelligere, non est virtualiter distincta ab esse. Unde etiam linea operativa latissimè accepta, quamvis in operationibus consecutivis ad constitutionem esse & vitæ divinæ, admittat distinctionem virtualem à linea entitativa; non tamen eandem distinctionem exigit ex vi suæ lineæ, neque proinde illud axioma: *operari sequitur ad esse*, locum habet, nisi in operationibus creatis, quæ ceu actus accidentales radicantur in esse substantiali, & vitam primam substantialem priùs naturâ supponunt. In divinis autem ad illas tantùm operationes pertinet, quæ non constituunt gradum vitæ, sed jam constitutum supponunt. Ad prob. min. nego maj. neque enim ideò rationes entis & actûs virtualiter intrinsecè distinguuntur in DEO, quia, secundùm Thomisticam doctrinam, inveniuntur realiter separatæ in materia prima.

Ad confirm. Responsio patet ex dictis. Ad addi- 16.
tamentum dico: conceptum naturæ non esse relativum, nisi secundùm dici, cùm sit communis tribus Personis: illud autem axioma est intelligendum de relativis secundùm esse.

Ad secundam probationem, itidem patet Respon- 17.
sio: esto enim, quòd in creatis natura superaddat operationem ad esse; siquidem ibi omnis operatio est extra lineam essendi; & ideò distinctio naturæ sit distinctio includentis & inclusi: attamen in divinis cùm aliqua operatio vitalis necessariò pertineat ad lineam essendi, non potest operatio totaliter ad esse superaddi, neque proinde dari distinctio includentis & inclusi.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quid de cumulo omnium perfectionum, & de infinitate sentiendum.

SUMMARIA.

1. *Authoritates pro cumulo omnium perfectionum.*
2. *Probationes ex ratione.*
3. *Fundamenta pro infinitate.*
4. *Prior sententia ponit magis physicum constitutivum quam metaphysicum.*
5. *Tollit conceptus attributales.*
6. *Et diversitatem inter processionem Verbi & Spiritûs S.*
7. *Infinitas est tantùm modus essendi.*
8. *Et reducitur in esse à se.*
9. *Authoritates exponuntur.*
10. *Infinitas in essentia includitur implicitè.*
11. *Essentia simplicissima in sui constitutione non admittit prioritatem partium.*
12. *Natura DEI est infinita radicaliter.*
13. *Incommunicabilitas prædicati non sufficit ad constitutivum divinæ essentiæ.*

§. I.

Argumenta pro cumulo perfectionum & infinitate.

1. CUmulum omnium perfectionum Bernaldus de Quiros loco citato probat primò authoritate SS PP. qui dicunt primò: nomen *Qui est*, ideò esse maximè proprium DEO, & explicare ipsius essentiam, quia imbibit totam perfectionem essendi. Ita Nazianz. or. 38. de Nat. *videtur principalius omnium de DEO dictorum nominum esse, Qui est, totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & interminatum.*

Dicunt secundò: attributa DEI non minùs essentialiter dici de DEO, quàm corpus & rationale de homine, ut S. Anſ. in Monol. c. 16. Dicunt tertiò. *Idem esse quodlibet unum illorum* (prædicatorum) *quod omnia sunt simul, sive singula*, ut S. Anſ. 16. Dicunt quartò: per omnes divinas perfectiones æquè respondeti ad quæstionem: *Quid est, DEUS?* uti idem Anſ. l. c. c. 15. *Si quæratur quid sit ipsa summa natura, de qua agitur, quid verius respondetur, quàm Justitia?* Et infrà. *Quid quid eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit monstratur.* Sed per nihil essentiæ extraneum respondetur ad quæstionem, *quid est?* ergò omnes divinæ perfectiones pertinent ad constitutionem essentiæ divinæ.

2. Ex ratione fundamentum est secundò: significatum formalissimum DEI exprimit pluralitatem omnium perfectionum; ergò DEUS non per unam solam, sed per omnes debet constitui. Tertiò; Essentia DEI est formaliter infinita in omni genere: ergò ad sui constitutionem requirit omnes omnis generis perfectiones. Antec. videtur certum, eò quòd essentia DEI sit optimum, quo majus & melius excogitari non potest. Quartò: Non est inconveniens, ut plura concurrant ad constitutionem unius essentiæ, quantumvis unum sit altero nostrâ ratione posterius; quemadmodum ad constitutionem compositi physici concurrunt materia & forma, & ad constitutionem discursûs tres mentis operationes.

Pro infinitate ratio, est primò: quòd Essentia 3.
divina secundùm se est infinita, sed non est infinita, nisi per infinitatem: ergò infinitas convenit naturæ divinæ secundùm se.

Secundò: Natura DEI cùm debeat ipsum distinguere ab omni creatura, debet constitui per prædicatum incommunicabile creaturis: sed tale prædicatum est infinitas.

§. II

Utraque sententia reijcitur.

VErùm neutra sententia admitti potest. Et prior 4.
quidem physicam potiùs quàm metaphysicam constitutionem tradit divinæ essentiæ, neque potest subsistere: Primò: quia constitutivum metaphysicum divinæ essentiæ debet esse prima radix attributorum & operationum; sed cumulus omnium perfectionum non potest esse prima radix illorum, quippe in quo eademmet attributa & operationes continentur. Adde, quòd inter ipsa attributa detur ordo virtualis, secundùm quem aliqua sunt & concipiuntur nostrâ ratione aliis posteriora; quomodo ergò ad primam radicem pertinere poterunt?

Secundò, si quælibet perfectio pertinet ad formale constitutivum essentiæ, jam non est ratio, cur una 5.
perfectio magis dicatur attributalis quàm alia: siquidem ex hoc dicitur attributum, quod superadditur essentiæ; sed si est de ipso constitutivo essentiæ, non superadditur essentiæ; ergò.

Tertiò, non esset major ratio, cur Verbum proce- 6.
dens per intellectum, procederet in similitudinem naturæ, eâque de causâ ipsius processio foret generatio, quàm Spiritus S. procedens per voluntatem; cùm non minùs voluntas, quàm intellectus pertinerent ad intrinsecam constitutionem divinæ naturæ.

Contra infinitatem facit primò, quod infinitas est 7.
modus tantùm essendi naturæ increatæ, sicut finitas est modus essendi naturæ creatæ; ergò sicut ista consequitur, non autem constituit naturam creatam; ita etiam illa non constituit, sed consequitur naturam increatam.

Secundò, quia, ut infra videbimus, infinitas re- 8.
ducitur in esse à se & irreceptum, tanquam in rationem à priori, & consequenter non est primum constitutivum.

Tertiò, quia non exprimit gradum vitæ divinæ, quod tamen pertinere ad constitutivum naturæ sup. dictum.

§. III.

Solvuntur oppositæ rationes.

AD authoritatem PP. pro cumulo omnium per- 9.
fectionum Resp. Eos vel in physica acceptione divinæ essentiæ, vel de implicita & radicali continentia perfectionum fuisse locutos, atque ita perfectio essendi explicita per nomen *qui est*, si physicè accipiatur, formaliter imbibit totam perfectionem essendi: sin metaphysicè; radicaliter & implicitè tantùm. In quo sensu etiam D. Anselmus cit. c. 15. & 16. loquitur.

Ad rationem *secundo loco* in contrarium allatam tam facilè negatur antec. quàm ab Adversariis ponitur. Ad tertium distinguo antec. est infinita formaliter in omni genere, ita ut Essentia dicat formaliter infinitudinem omnis generis explicitè, nego, ut illam dicat implicitè; concedo antec. & nego consequent. Rursus: Essentia DEI est optimum bonitate suæ lineæ explicitè, & aliarum linearum implicitè & radicaliter, conc. aliarum linearum bonitate explicitè, nego.

11. Ad quartum: Esto quod essentia composita constitui possit ex pluribus mutuam prioritatem importantibus, ut est essentia physica ex materia & forma; metaphysica ex genere & differentia; artificialis, ex præmissis & conclusione; simplicissima tamen essentia omnis compositionis expers, ejusmodi mutuam prioritatem in sui constitutione non potest admittere: cùm in meliori Philosophia & Theologia creatarum qualitatum simplices essentiæ (ut verbi gr. formalis beatitudo) ex pluribus ordine naturæ sibi succedentibus intrinsecè constitui non possint.

Ad rationes pro infinitate productas quoque 12.
Respondeo & ad 1. disting. antecedens. Essentia divina secundùm se hoc est in conceptu explicito essentiæ est infinita radicaliter conc. formaliter nego: sed non nisi per infinitatem est infinita, formaliter conc. radicaliter nego.

Ad 2. distinguo maj. debet constitui per prædi- 13.
catum incommunicabile modo infinito, & impartecipato, concedo; modo finito & participato, nego. Item: debet constitui per prædicatum incommunicabile, & quod sit prima radix cæterorum, concedo; secùs, nego. Certè etiam immensitas DEI est incommunicabilis creaturis; nec tamen ipsa Deitatem constituit, quia fluit ex alio priori prædicato, & in aseitatem (etiam incommunicabilem creaturis) reducitur: ergò ob eandem rationem infinitas non potest esse constitutivum Deitatis.

ARTICULUS III.

Vtrum constitutivum Divinæ naturæ sit aseitas?

SUMMARIA.

1. *Significatum aseitatis.*
2. *Authoritates oppositæ.*
3. *Opponitur transcendentia.*
4. *Instantia à conceptu generico animalis & entis.*
5. *Instantia de esse ab alio.*
6. *Authoritas pro aseitate ex S. Script.*
7. *Ex Doct. Angelico.*
8. *Quid significet nomen DEI,* qui est.
9. *Aseitas est ultima actualitas in linea essendi.*
10. *Fact DEVM differre ab omni alio, quod non est DEVS.*
11. *Et quidem primò differre.*
12. *Est ultima actualitas etiam in specifica linea essendi.*
13. *Essentia distinguitur ab esse tantùm virtualiter extrinsecè.*
14. *Natura & attributa in aseitate tantùm conveniunt implicitè.*
15. *Disparitas inter rationem animalis & aseitatis.*
16. *Eadem paritas & instantia retorquetur.*
17. *Quomodo esse à se possit explicitè pertinere ad attributa.*
18. *In instantia de esse ab alio major disparitas, quam paritas.*

§. I.

Rationes contra aseitatem.

1. NOta. Quamvis ex modo significandi *Aseitas* videatur esse prædicatum negativum, & dicere negationem causæ: tamen ex parte rei significatæ est prædicatum intrinsecum & positivum, & significat ipsum esse divinum in supremo gradu perfectionis. Est enim perfectio independentiæ à subjecto, quæ convenit substantiæ ut sic. Est perfectio independentiæ ab alia comparte componente; & hæc convenit substantiæ secundæ. Est perfectio independentiæ ab alio supposito sustentante; & hæc est perfectio substantiæ primæ. Est tandem perfectio independentiæ ab omni causa influente, & hæc est perfectio substantiæ increatæ & infinitæ. Igitur per *Aseitatem* nihil aliud intelligimus, quàm *esse* independens ab omni quacunque causa influente.

Contra hanc aseitatem opponitur primò autho- 2.
ritas Doct. Angel. in 1. dist. 19. q. 2. a. 1. ad. 1. dicentis, *quòd essentia divina secundùm intellectum est priùs, quam esse suum.* Et a. 2. in corp. *Esse divinum est idem cum eo, cujus est esse, sed differt ratione.* Et q. 10. de verit. a. 12. ad 9. dicit, quòd *ea, quæ sunt ratione distincta, non semper possunt cogitari ab invicem separata, quamvis separatim cogitari possint; quamvis enim DEVS cogitari possit sine hoc, quòd ejus bonitas cogitetur, non tamen potest cogitari, quòd sit DEVS & non sit bonus: unde licet in DEO distinguatur, quod est, & esse ratione, non tamen sequitur, quòd possit cogitari non esse.*

Ex quibus ducitur hoc argumentum: quod præsupponit essentiam DEI constitutam, & sine quo essentia DEI cogitari potest, illud prædicatum non est primò constitutivum essentiæ DEI, sed esse (quod intelligitur per aseitatem) præsupponit ipsam essentiam, & essentia potest præcisa ab esse cogitari: ergò esse non potest agnosci pro constitutivo Divinæ essentiæ. Sed neque constitutivum essentiæ potest virtualiter & ratione ratiocinatâ distingui ab essentia: hoc ipso enim forent conceptus objectivi adæquatè inter se diversi: atqui juxta S. D. essentia & esse distinguuntur inter se ratione: ergò esse non potest dici constitutivum essentiæ divinæ.

Secundò. Nullum prædicatum transcendens om- 3.
nem formalitatem & perfectionem Divinam potest metaphysicè constituere Divinam essentiam: sed esse à se est prædicatum transcendens omnes perfectiones, omnesque lineas attributales DEI: ergò non potest metaphysicè constituere essentiam divinam. Minor, patet quia sicuti quicquid in

DEO

DEO est, DEUS est, ita etiam est ens à se, unum, verum, bonum, infinitum, &c. Majorem probat Godoy: Prædicatum constitutivum divinæ essentiæ debet eandem non tantùm distinguere ab omni eo, quod non est DEUS, sed etiam ab omni perfectione, quæ non est divina essentia: nam in præsenti inquirimus formalitatem expressivam Divinæ naturæ sub proprio conceptu naturæ, quatenùs ab attributis distinctæ: sed hoc non potest præstare ullum prædicatum transcendens: quia sub qua ratione duo extrema conveniunt, per illam rationem distingui nequeunt, sed sub prædicatis transcendentibus Divina essentia convenit cum attributis: ergò per illa ab attributis distingui nequit.

Confirm. primò. Animal non potest hominem à bruto distinguere, neque ens substantiam ab accidente; quia in prædicato & generico gradu animalis homo cum bruto, & in analogico ac transcendentali conceptu entis substantia convenit cum accidente; ergò nec esse à se potest naturam DEI distinguere ab attributis; quia in hoc prædicato natura & attributa concordant, idque omnes Divinas perfectiones transcendentaliter pervagatur. quemadmodum ob eandem transcendentiam nec ratio actûs puri, perfecti boni, &c. Divinam naturam constituit aut distinguit.

Confirm. secundò. Quando quæritur in quo propriè consistat essentia, vel natura hominis? non benè respondes, consistere in abaleitate, seu esse ab alio, quia est ratio nimis communis involuta in omnibus proprietatibus & accidentibus hominis: ergò si quæram, in quo propriè consistat essentia & natura DEI? non benè respondes, in esse à se, quia non sola essentia DEI, sed quicquid de DEO dicitur, est ens à se.

§. II.

Fundamenta pro aseitate.

PRobatur primò authoritate S. Script. Exodi 3. DEUS à Moyse suum nomen rogatus, respondit: *Ego sum, qui sum.* & ipse dein Moyses ad populum: *qui est, misit me ad vos.* Ubi nota, in Hebræo expressum fuisse nomen *Jehova* tetragrammaton, omnium divinorum Nominum sacratissimum, maximeque DEO proprium, cujus significatum exprimitur illis vocibus *est qui est.* ut proinde *esse per essentiam, esse à se, esse fontale* & originale, formali causalitate respectu omnis esse creati, & virtuali respectu omnis esse attributalis increati, sit maximè DEO proprium ejusque quidditativum conceptum explicet.

Quæ etiam videtur esse mens S. D. cùm q. 7. de pot. a. 2, & hic q. 3. a. 3. in c. dicit: *DEUS non tantùm est sua essentia, sed etiam suum esse.* & q. 13. a. 11. *Cùm esse DEI sit ipsa ejus essentia.*

Respondent per nomen *qui est*, DEUM denominari tanquam pelagus substantiæ infinitum sub communi conceptu entis increati contradistincti à creaturis, non verò exprimi determinatam rationem naturæ, de qua hic quæritur. Sed *Contrà.* DEUS per hoc nomen longè familiariùs & expressiùs manifestavit Moysi suam essentiam, quàm præcedentibus Patriarchis; sed illis utique erat cognitus secundùm communem rationem entis increati, & incausati: ergò per hoc nomen *qui sum*, magis determinatam specificam & differentialem rationem suæ essentiæ Moysi manifestavit. Major liquet ex seq. c. 6. Ex v. 3. Ubi DEUS loquitur: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in DEO omnipotente & nomen meum Adonai* (in Hebræo est nomen tetragrammaton) *non indicavi eis.* ergò Moyses longè expressiùs in hoc nomine & magis quidditativè divinam inspexit essentiam, quàm illi PP. quibus illud erat additum: & quâ aliâ ratione, nisi quia in hoc nomine intellexit primatium & fontale prædicatum Deitatis, quod est esse per essentiam?

Accedit ratio primò: ultima actualitas divinæ essentiæ, quæ nec re, nec ratione distinguitur ab essentia, rectè assignatur pro constitutivo ipsius: *Sed esse à se*, est ultima actualitas essentiæ, cùm in linea essendi non detur ulterior actualitas, quàm esse; ac præterea nec re, nec ratione distinguitur ab essentia; quia si vel solâ ratione distingueretur ab essentia, tunc essentia jam posset compatari ad actum essendi, tanquam perfectibile ad suum perfectivum, & consequenter posset fieri compositio rationis inter essentiam & esse, quod totum propter imperfectionem inclusam, in DEO cum fundamento in re concipi non potest.

Secundò. Per quod DEUS primò differt ab omni alio, quod non est DEUS, id rectè assignatur constitutivum essentiæ ipsius; sed per esse à se & incausatum DEUS primò differt ab omni ente creato, quod non est DEUS, quia ratio entis creati formaliter habetur per esse ab alio.

Dubitas fortè, an etiam primò differat? Ideò ratio est tertiò. Per illud DEUS primò differt, per quod ita differt, ut omnia alia prædicata in illud resolvantur, & per quod omnia ad esse DEI, tanquam per ultimam differentiam contrahuntur: sed per esse à se ita differt à creatis, ut cætera omnia prædicata divina in illud tanquam rationem à priori resolvantur, & ad esse DEI quasi contrahantur: ergò. Si enim quæras, cur DEUS sit infinitus, immensus, æternus, immutabilis, &c. rectè omnium horum rationem dabis, si respondeas: quia *est à se*: hujus autem rationem invenies nullam. Rursus: Rationes substantiæ, spiritûs, sapientiæ, bonitatis, &c. quæ sunt communes DEO & creaturis, per quid aliud à creaturis trahuntur ad esse DEI, quàm per esse à se?

Respondent. Hæc omnia probare, esse à se constituere Divinam essentiam, eamque distinguere sub quâdam ratione communi, & ut distinctam ab omni creatura, non autem secundùm specificam & determinatam rationem essentiæ, ut distinctæ ab attributis.

Sed contrà. Constitutivum cujusvis lineæ est ultima & summa actualitas illius lineæ: atqui datur in DEO determinata & specifica linea essendi; ergò constitutivum hujus determinatæ & specificæ lineæ essendi est ultima actualitas ipsius: Sed esse est ultima actualitas in linea essendi: ergò etiam sub specifica & determinata ratione constituit lineam essendi: Subsumo. Atqui Divina essentia specificè sumpta pertinet ad specificâ lineâ essendi (præsertim cùm apud Authores, quibuscum disputo, linea essentiæ & naturæ virtualiter non distinguantur)

ergò etiam ut specificè sumpta prò suo constitutivo agnoscit esse. Quod nam esse? esse, inquam, irreceptum, fontalissimum, actualissimum, ut sic loquar, perfectissimum, uno verbo, esse à se.

§. III.

Respondetur ad fundamenta opposita.

13. Ad testimonia ex S. Doct. adducta Resp. Per illa Doctorem Angelicum velle, quòd essentia sit prior quàm esse; sit ratione distincta ab esse, prioritate & distinctione fundatâ solùm in imperfecto modo cognoscendi, & supra distinctionem virtualem extrinsecam, non autem fundatâ supra distinctionem intrinsecam (de quibus inf.) unde pariter patet, quid dicendum sit ad argumentum inde deductum: quod præsupponit essentiam jam constitutâ adæquatè cum fundamento intrinseco & ex parte rei conceptæ, illam non constituit, conc. quod præsupponit constitutâ inadæquatè, cum fundamento solùm extrinseco, & ex imperfecto modo cognoscendi, nego maj. & sic distinctâ min. nego consequent. Rursus: Constitutivum essentiæ non potest esse virtualiter & ratione distinctum ab essentia, virtualiter intrinsecè conc. extrinsecè nego: ratione ratiocinatâ ex fundamento intrinseco conc. extrinseco, nego. ex quo neutiquam sequuntur conceptus objectivi adæquatè distincti.

14. Ad 2. nego majorem & minorem probationis: cujus alteram probationem distinguo: sub quâ ratione duo conveniunt, sub illa non distinguuntur; si conveniant tam formaliter, quàm virtualiter, tam secundùm conceptum explicitum, quàm implicitum, concedo; secùs nego: sed in prædicatis transcendentibus, e. g. aseitate, conveniunt natura & attributa DEI, formaliter & implicitè, concedo; virtualiter & explicitè, nego min. & consequentiam.

15. Ad 1. instantiam: dist. causalem antec. Ideò homò non differt à bruto per rationem animalis, quia in illa convenit cum bruto, uti nec substantia differt ab accidente per rationem entis &c. quia convenit tanquam in prædicato potentiali, generico, contrahibili, concedo; tanquam in prædicato summè actuali, & contrahente, nego antecedens & consequentiam. Unde patet manifesta disparitas inter rationem animalis respectu hominis, & inter rationem aseitatis respectu attributorum: nam animal, quia nominat gradum & partem potentialem naturæ humanæ, est contrahibile per partem formalem perfectiorem & actualiorem: atqui esse à se nominat summam actualitatem actûs puri, quæ non contrahitur, sed formalitates sapientiæ, bonitatis, &c. DEO & creaturis analogicè communes contrahit ad esse divinum.

16. Ideò sic retorqueri potest argumentum: quia animal & ens nominant formalitatem potentialem, imperfectam, ideoque contrahibilem, nequeunt distinguere hominem à bruto, & substantiam ab accidente: ergò à contrario, quia esse à se nominat purissimam actualitatem, estque contractivum aliarum perfectionum ad esse divinum, benè potest distinguere & constituere naturam divinam.

17. Si contentiosè extorquere velis, esse à se pertinere etiam ad explicitos conceptus, & definitiones attributales. Respondet primò Magnif. Stadlmair lo. cit. & August. à V. M. hoc concedi posse de esse à se inadæquatè sumpto, prout solummodò dicit actualissimam perfectatem lineæ particularis & attributalis; non verò de esse à se adæquatè sumpto, prout est formale complementum lineæ entitativæ & radicaliter omnium linearum. Respondet secundò Illustrissimus Reding loco cit. n. 13. quòd juxta communem Philosophorum subjectum ingrediatur definitionem proprietatum; cùm igitur secundum nostrum modum intelligendi attributa divina comparentur ad divinam essentiam tanquam accidentia propria ad quasi subjectum: ideò etiam divinam essentiam, & consequenter ejusdem essentiæ ultimam actualitatem, hoc est esse à se debere ingredi conceptum & definitionem attributorum.

18. Ad secundam instantiam patet responsio ex primò dictis: nam quia esse ab alio est prædicatum potentialissimum, ideoque ineptum ad constituendam aut distinguendam hominis naturam (cùm omnis distinctio, differentia, constitutio ab actu proveniat) requirit gradus differentiales superadditos; ideoque inquirenti naturam hominis, ineptè respondes per esse ab alio: atqui esse à se dicit purissimam actualitatem non contrahibilem, sed contrahentem, ideoque DEUS ipse Moysi Divinum nomen & quidditatem inquirenti non nisi per esse à se respondit: *Sum qui sum.*

ARTICULUS IV.

Vtrum intelligere radicale, vel actuale sit constitutivum Divinæ essentiæ?

SUMMARIA.

1. *Impugnatur intelligere actuale ex D. Th. eo quod non sit virtus radicalis intelligendi.*
2. *Quia objectum præsupponitur actui potentiæ.*
3. *Quia operatio præsupponit principium, à quo emanat.*
4. *Instantia de generatione activa Patris.*
5. *Instantia de relatione.*
6. *Instantia de gratia Sanctificante.*
7. *Instantia de beatifica visione.*
8. *Opponitur prioritas immaterialitatis.*
9. *Paritas scientiæ virtualiter distincta ab essentia.*
10. *Defenditur intelligere actualissimum ex S. D. per quem intelligere DEI est ejus essentia, &*
11. *Idem est intelligere & esse.*
12. *Ita DEVS est suum vivere, sicut suum esse & intelligere.*
13. *Intellectus & intellectum sunt idem omnibus modis.*
14. *Fundamentum ex ratione ultimæ actualitatis in linea intelligibili.*

15. *Ex*

15. *Ex omnis potentialitatis exclusione in DEO.*
16. *Evasio Adversar. per divisionem lineæ intelligibilis in plures species.*
17. *Et virtualem continentiam ultimæ actualitatis.*
18. *Impugnatur 1. per exclusionem distinct. virt. inter essentiam & intelligere.*
19. *Impugnatur 2. quia talis linea subalterna implicat.*
20. *Impugnatur 3. à paritate actûs essendi.*
21. *Impugnatur 4. à paritate actûs primi proximi.*
22. *Impugnatur 5. ab imperfectione vitæ primæ distinctæ à vita secunda.*
23. *Qualem distinctionem admittat S. D. inter essentiam & intelligere.*
24. *Actui voluntatis, non intellectûs, necessariò præsupponitur objectum.*
25. *Non omnis operatio illimitata præsupponit principium.*
26. *Qualis sit distinctio inter actum & potentiam generandi in Divinis?*
27. *Disparitas inter relationem & actionem.*
28. *Quinam sit conceptus operationis ut sic.*
29. *Qualis participatio divinæ naturæ sit gratia?*
30. *Et qualis participatio intellectionis divinæ visio?*
31. *Quomodo essentia sit objectum connaturalissimum divinæ scientiæ?*

§. I.

Fundamenta pro intelligere radicali contra intelligere actuale.

1. PEr intelligere radicale intelligitur substantia spiritualis radicaliter intellectiva intellectione comprehensivâ DEI, & ab ipso actu intelligendi virtualiter distincta, quâ formalissimè constitui & exprimi Divinam essentiam docent Marcus à Setra, & Godoy citatus.

Probatur authoritate S. D. Intellectualitas est de essentia metaphysica DEI, prout ex D. August. in l. 7. de Trinit. probat Angelicus Doctor inf. q. 14. a. 4. verbis posteà referendis: ergò constitutivum DEI vel est ipse actus intelligendi, seu intelligere actualissimum: vel est principium & radix virtualis intelligendi, seu intelligere radicale. Subsumo: sed non est ipse actus intelligendi; ergo intelligere radicale. Subsumptum probatur authoritate Angelici Doct. primò in q. 1. de pot. a. 1. dicentis: *Est autem de ratione operationis habere principium, non autem de ratione essentiæ: unde licet divina essentia non habeat aliquod principium nec re, nec ratione, tamen operatio divina habet aliquod principium secundùm rationem.* Ex quo sic formatur argumentum: Naturâ metaphysicè constituitur per illud prædicatum, quo exprimitur prima radix & principium operationum; siquidem natura est principium motûs &c. sed ipsa operatio intellectualis seu intelligere actuale non est principium operationum; ergo constitutivum naturæ intellectualis non est ipse actus intelligendi: unde etiam videmus in creatis naturas intellectuales non constitui per actum, sed per virtutem radicalem intelligendi.

2. Secundò inf. q. 26. a. 2. ad 2. hæc habet: *Dicendum, quòd beatitudo, cùm sit bonum, est objectum voluntatis; objectum autem præintelligitur actui potentiæ: unde secundùm modum intelligendi prius est beatitudo Divina, quàm actus voluntatis in ea requiescentis.* Ex quo arguitur: Quando Divina essentia præintelligitur actui intelligendi, non potest per actum intelligendi constitui, sed natura & essentia Divina præintelligitur actui intelligendi; nam, juxta verba allegata, objectum præintelligitur actui potentiæ: sed essentia Divina est objectum intellectionis: ergo præintelligitur huic actui potentiæ intellectivæ.

Ratio ulterior est primò. Omnis operatio præ- 3.
supponit principium operandi, ut dicebat S. D. in primo textu: sed intellectio est quædam vitalis operatio: ergò præsupponit suum principium radicale, quod est natura & essentia: ergò illam non constituit.

Confirmatur 1. Generatio activa, quæ est actio 4.
personalis, & intellectio notionalis non constituit personam Patris, sed eandem constitutam supponit unà cum virtute tam remota, quàm proxima generandi: ergò etiam intellectio essentialis, seu actio immanens & vitalis non constituit naturam Divinam. Sed eandem tanquam principium operandi radicale præsupponit.

Confirmatur 2. Sicuti de essentia relationis est 5.
esse ad, sive habitudo ad terminum; ita de essentia actionis est *esse ab*, seu emanare à principio; sed intellectio Divina est vera operatio naturæ Divinæ, ergò etiam de essentia ipsius est, quòd sit à principio: sed principium saltem naturâ & ratione prius est suo termino: ergò etiam Divina natura prior est ratione, quàm intellectio.

Ratio est secundò. Gratia sanctificans est parti- 6.
cipatio divinæ naturæ, sed est participatio intellectualitatis radicalis, non ipsius intellectionis, seu visionis actualis, quæ primùm obtinetur in gloria: ergò divina natura non consistit in intelligere, sed in intellectualitate radicali.

Tertiò. Si natura divina formaliter consisteret 7.
in intelligere, tunc Beati per visionem beatificam participarent divinam naturam, cùm visio sit participatio divinæ intellectionis: sed hoc est contra communem Theologorum: ergò.

Quartò S. D. infrà q. 14. a. 1. probat intelli- 8.
gere divinum per immaterialitatem & rationem actûs puri; ergò immaterialitas est à priori ratio intellectionis, eique præsupponitur.

Quintò. Tametsi divina scientia respiciat essen- 9.
tiam pro objecto connaturalissimo, tamen virtualiter distinguitur ab essentia: ergò licèt intelligere divinum respiciat essentiam pro objecto connaturalissimo, tamen ab illa virtualiter distingui poterit.

Sextò. Sequeretur, divinam Essentiam etiam virtualiter constitui per intellectum vel speciem intelligibilem: quia cùm ista omnia pertineant ad lineam intelligibilem, ab ipso intelligere & consequenter etiam ab esse divino virtualiter non distinguentur.

§. II.

Propugnatur intelligere actualissimum.

PRobatur primò authoritate S. D. inf. q. 14. a. 10.
4. in arg. sed cont. dicente: *esse DEI est ejus substantia; ergò intelligere DEI est ejus substantia.*

Et ne existimes, fuisse locutum in sensu tantùm identico, subjungit in c. sequentia: *Sicut esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem: in DEO autem non est forma, quæ sit aliud, quàm suum esse, ut suprà ostensum est, unde cùm ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quòd ipsum ejus intelligere sit ejus essentia, & ejus esse.* Quæ sanè verba formalissimam identitatem significant inter essentiam & intelligere divinum.

11. Secundò. Idem S. D. inf. q. 27. a. 6. ex eo ultimatè probat processionem Verbi Divini esse generationem, & Verbum procedens per intellectionem dici Filium genitum in similitudinem naturæ, *quia in DEO idem est intelligere & esse*, quæ ratio nihil concluderet, nisi diceretur in sensu formali, ut patebit ex tract. de Trinit.

12. Tertiò inf. q. 18. a. 3. inquit, *DEUM ita esse suum vivere, sicut est suum esse, & intelligere.* Sicut ergò est formalissima & omnimoda identitas inter divinam essentiam, & esse; sic etiam erit omnimoda identitas inter ipsius essentiam & intelligere, ac proinde intelligere erit prædicatum summè intrinsecum ipsi essentiæ.

13. Quartò. S. Th. in præcit. q. 14. a. 2. dicit, quòd *in DEO intellectus & intellectum sint idem omnibus modis*: (hoc est, sine ulla etiam virtuali distinctione) sed intellectus DEI est ipsum intelligere, siquidem non nisi per modum actûs secundi concipi potest: intellectum verò sive objectum connaturalissimum per se primò specificativum & terminativum est essentia divina ut virtualiter ab attributis distincta: ergò absque ulla distinctione virtuali in DEO identificatur essentia & intelligere.

14. Quintò. Constitutivum naturæ perfectissimæ intellectualis debet esse ultima & perfectissima actualitas lineæ intellectualis: sed natura Divina, est natura intellectualis infinitè perfecta, & intelligere est ultima actualitas lineæ intellectualis; ergò constitutivum naturæ Divinæ est intelligere. Major probatur. Actui puro & viventi infinitè perfecto debet tribui ultima & perfectissima actualitas in linea vitæ intellectivæ; sed hæc est vita secunda, seu actus secundus intelligendi; non vita prima, quæ est potentia tendens ad illam perfectionem.

15. Confirm. Nullum prædicatum potentiale & incompletum potest esse constitutivum divinæ naturæ, ceu actûs puri: sed prædicatum actûs primi in linea intelligibili ut condistinctum à prædicato actûs secundi, est potentiale & incompletum, quia respicit actum secundum intellectionis, tanquam ultimam perfectionem & actualitatem illius lineæ; ergò. Unde confirm. secundò: Actui puro, & viventi infinitè perfecto debet tribui ultima & perfectissima actualitas in linea vitæ intellectivæ: sed hæc est vita secunda, seu actus secundus intelligendi; non vita prima, quæ est potentia tendens ad illam perfectionem: ergò.

16. Respondent Adversarii disting. major. Constitutivum naturæ perfectissimè intellectualis debet esse ultima actualitas lineæ intellectualis, in ratione generica vel specifica illius lineæ, conc. in toto genere illius lineæ, nego. Sed intelligere est ultima actualitas in linea quâdam specificâ intellectualitatis concedo; in omni lineâ specificâ illius, nego min. & conseq. Eadem est responsio ad probationem.

17. Ad confirmationem Resp. Nullum prædicatum potentiale & incompletum privativè, quasi excludens aliquam perfectionem potest constituere actum purum, conc. nullum prædicatum potentiale & incompletum præcisivè, implicitè includens & virtualiter continens illam perfectionem; nego maj. Constat enim Divinam essentiam ut constitutam in linea intellectiva, ulteriùs esse determinabilè & perfectibilè per lineam volitivam; quia illam implicitè & virtualiter continet, estque in potentia ad illam non privativè, sed præcisivè. Sic ergo, dicunt, linea intellectualis generica sub dividitur in duas lineas specificas, subalternas, quarum una est linea naturæ, & hujus summum prædicatum est intelligere radicale, altera est linea operativa, & hujus summum prædicatum, & actus ultimus est intelligere actuale, quod quia in intelligere radicali virtualiter & implicitè continetur, non officit ipsius perfectioni & actualitati.

18. Contra hanc evasionem est primò: Quòd hæc responsio ponat distinctionem virtualem inter essentiam ceu radicem intelligendi, ipsumque actum intelligendi: sed hoc repugnat doctrinæ Angelicæ, in qua *intellectus & intellectum sunt idem omnibus modis*, ubi *intelligere* comparatur ad divinam essentiam sicut *esse*, ideoque tam parum admitti potest radicale intelligere virtualiter distinctum ab intelligere actuali, quàm parùm admittendum est esse radicale virtualiter distinctum ab esse formali actuali: prout ex art. seq. ampliùs elucescet.

19. Contra est secundò. Non potest cum fundamento intrinseco concipi in DEO linea, quæ non pertingat ad ultimam actualitatem sub conceptu objectivo formali & essentiali illius lineæ: sed linea naturæ intellectualis ut præcisa ab actu intelligendi, non pertingit ad ultimam actualitatem sub conceptu objectivo formali essentiali lineæ intellectivæ: ergò gratis fingitur ejusmodi linea subalterna. Minor probatur. Formalitas lineæ intellectualis in hoc consistit, quòd intellectus per intimam unionem fiat ipsum intellectum & cognitum, juxta doctrinam D. Th. ex Philosopho desumptam, & consequenter linea intellectualis infinita habet pro suo formali conceptu, ut intellectus & intelligens sit comprehensivè suum intellectum; sed ultima actualitas sub isto formali conceptu non attingitur per intelligere radicale, siquidem tantùm exprimitur per illud inclinatio per modum actûs primi tendens in illam intelligibilem unionem, seu identitatem cognoscentis & cogniti: non verò ipsa unio, seu identitas, quæ fit solummodò per ipsum actum intelligendi: ergò non potest constitui cum fundamento aliqua linea solummodò sistens in intelligere radicali, ut præciso ab intelligere actuali.

20. Contra est tertiò. Non minùs forma intelligibilis dicit intrinsecum ordinem perfectibilitatis ad actum intelligendi intra lineam intelligibilem, quàm essentia dicit intrinsecum ordinem perfectibilitatis ad esse intra lineam entitativam: ergò sicuti non potest in DEO admitti conceptus essentiæ virtualiter & adæquatè distinctus ab actu essendi;

ita

ita nec forma intelligibilis distincta ab actu intelligendi: sed ejusmodi forma intelligibilis est formalissimè ipsa Divina essentia & natura, ergò.

21. Contra est quartò. Non est admittendus in DEO conceptus actûs primi proximi virtualiter distinctus ab actu secundo suæ lineæ vivendi, intelligendi &c. ergò nec est admittendus actus primus remotus & radicalis virtualiter distinctus ab actu secundo vivendi, intelligendi &c. Antec. paucis exceptis, communiter admittitur à Thomistis, & ratio est, quia illius distinctio ab actu secundo præcisè oritur ex limitatione, & quia ut sic dicit intrinsecam perfectibilitatem per vitam secundam & operationem intellectualem &c. quantumvis sub ratione principii easdem operationes virtualiter contineat: sed eadem est ratio in principio radicali & actu primo remoto virtualiter distincto: ergo nec iste admitti debet. Et

22. Contra est quintò. Vita prima disjuncta à vita secunda non est perfectio simpliciter simplex, *melior ipsa, quam non ipsa:* quippe satiùs est esse constitutum in actu secundo vivendi, quàm per actum primum esse in potentia ad illum: sed quicquid in DEO formaliter ponimus, debet esse perfectio simpliciter simplex: ergo non vita prima ratione nostrâ separata, sed vita secunda, adeoque non intelligere radicale, sed actuale, pro perfectissimo constitutivo Divinæ naturæ assignari debet.

§. III.

Solvuntur fundamenta opposita.

23. AD 1. Resp. S. Doctorem admittere distinctionem rationis inadæquatam, fundatam in solo modo imperfecto concipiendi, & comparatione ad creaturas: non verò distinctionem adæquatam fundatam in distinctione virtuali intrinseca. Aliàs sanè etiam contra Arios probaret actum primum proximum, v. g. intellectum, voluntatem virtualiter intrinsecè distingui ab actibus intelligendi, & volendi: non enim S. D. tantùm loquitur de radicali, sed etiam de formali principio operationis.

Et ad argumentum inde deductum Resp. Natura constituitur per illud prædicatum, per quod exprimitur prima radix operationum &c. & ab omni operatione virtualiter distincta. nego, ab aliquibus, concedo. Sed intelligere actuale non est radix & principium operationum respectu aliarum à se, virtualiter distincta, nego, respectu sui non est virtualiter distincta, conc. min & nego consequent. Instantia à creatis non urget, quia naturæ radicalitas distincta ab operatione provenit ex limitatione naturæ creatæ, prout antè dixi.

Dico igitur, naturam in abstracto, seu secundùm conceptum analogicè abstractum à creata & increata præscindere, an illa radix consistat in actu primo, vel secundo, & neque in suo conceptu formaliter includere, neque excludere operationem; sed si conceptus naturæ trahatur ad res creatas, ubi semper est permixta potentiæ, tunc natura est radix intelligendi per modum actûs primi; si trahatur ad essentiam Divinam est radix intelligendi per modum actûs secundi.

24. Ad 2. authorit. Resp. Illam non esse ad rem, quia tantùm loquitur S. D. de objecto voluntatis, quod eidem præsupponi clarum est, *nihil quippe volitum, quin præcognitum:* Aliud est de objecto intellectûs, quod ab actu intelligendi virtualiter non distinguitur in Divinis, cùm juxta eundem S. D. *intellectus & intellectum sint idem omnibus modis.* Unde ad argumentum inde deductum dist. min. objectum præintelligitur actui potentiæ volitivæ, conc. intellectivæ nego.

Ad primam rationem in contrarium n. 3. dist. maj. Omnis operatio limitata & creata præsupponit principium, conc. omnis operatio illimitata, & increata, nego maj. Cur non etiam omnis increata? quia ratio emanationis comitatur operationem quatenus limitatam, & tam in suo fieri, quàm esse dependentem à suo agente, quod in increato agente non invenitur. 25.

Ad primam Confirm. Resp. potentiam non tantùm radicalem, sed etiam proximam generandi ratione distingui ab actu generandi secundùm nostrum modum concipiendi, & distinctione rationis fundatâ supra distinctionem virtualem extrinsecam, per analogiam ad res creatas, conc. intrinsecam, nego. 26.

Ad secundam Confirm. nego paritatem inter relationem & actionem, quia nec *esse ad* relationis dicit imperfectionem, nec illo sublato remaneret conceptus relationis: at verò *esse ab* actionis dicit imperfectionem dependentiæ, eoque sublato adhuc remanet essentiale prædicatum operationis vitalis. 27.

Si petas: quis ergo sit conceptus operationis ut sic? Accipe ex S. D. 1. 2. q. 3. a. 2. in c. *operatio est ultimus actus operantis: unde & actus secundus à Philosopho nominatur.* Quod maximè verum est de operationibus immanentibus, quæ non sunt de prædicamento actionis. Unde de actu intelligendi ita loquitur idem S. Doct. hîc q. 14. a. 2. ad 2. *Non enim intelligere est motus, qui est actus imperfecti, qui est ab alio in aliud; sed actus perfecti existens in ipso agente.* Sicut ergo datur in divinis generatio, quæ non est mutatio; quia ratio mutationis tantùm convenit generationi viventis, quatenus est involuta potentialitati; ita similiter datur formaliter operatio in divinis, quæ non sit egressio tanquam à principio, & actu primo, quia hæc ipsa ratio egressionis involvens oppositionem ad principium, à quo procedit, formaliter tantùm convenit operationi creatæ, quæ est permixta potentialitati. 28.

Ad 2. Resp. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ inadæquata, & accommodata ad modum suscipientis, concedo; adæquata, & ad modum communicantis. nego. Ergo natura divina, ut est in aliqua inadæquata sui participatione, non est ipsum intelligere conc. ut est in se ipsa, sive in communicante. nego consequentiam. 29.

Ad 3. nego sequelam. Ejusdem probat. dist. visio beatifica, est participatio divinæ intellectionis, secundùm rationem actûs secundi vitæ intellectivæ, conc. secundùm rationem radicis, & intelligere per se subsistentis, nego. Tria igitur habet divinum intelligere in se absque distinctione virtuali simplicissimè identificata: primò quòd sit actus secundus, seu ipsa vita secunda intellectiva. 30.

Secun-

Secundò quòd sit ipsa virtus intelligendi proxima. Tertiò quòd sit ipsa radix intelligendi nullam aliam præsupponens. Quæ omnia in se intrinsecè omnibus modis indistincta, distinctè tamen & divisim à Beato participantur. Actus nimirùm secundus per visionem; virtus proxima per lumen gloriæ; radicalis per gratiam.

31. Ad quartum Resp. Immaterialitas est ratio intellectualitatis à priori, & notior quoad nos, & imperfectum modum intelligendi conc. quoad se, & cum fundamento ex parte rei conceptæ, nego: ibi enim tam benè & convertibiliter actualissima intelligibilitas infert immaterialitatem, seu spiritualitatem, quàm immaterialitas intelligibilitatem.

Ad quintum Resp. cum Salmantic. naturam esse objectum scientiæ connaturalissimum comparativè ad lineam scientiæ, non autem absolutè; eo ipso quòd supponat primam lineam intellectualitatis, in qua divina essentia est objectum per se primò connaturalissimum.

Ad sextum nego conseq. quia licèt inter speciem intelligibilem, intellectum, & intelligere ex parte rei significatæ nulla prorsus sit distinctio virtualis, tamen quia in modo significandi neque intellectus neque species exprimunt ultimam actualitatem lineæ & vitæ intellectualis, cùm intellectus magis nominet actum primum, quàm secundum; species quoque intelligibilis non tam dicat formalitatem constituentem, quàm formam constitutam, ideò non sunt idoneum constitutivum divinæ essentiæ.

ARTICULUS V.

Quodnam tandem sit constitutivum Divinæ naturæ.

SUMMARIA.

1. *Comparatio actûs essendi cum actu intelligendi.*
2. *Essentia Divina est per essentiam forma intelligibilis.*
3. *Nulla distinctio virtualis inter lineam entitativam & intelligibilem.*
4. *Aseitas astruitur.*
5. *Transcendentia non obest constitutivo.*
6. *Neque distinctioni virtuali.*
7. *Cùm omnes divinæ perfectiones in se formaliter includantur.*
8. *Et tamen virtualiter distinguantur.*
9. *Neque apud Adversf. spiritualitas per transcendentiam impeditur à constitutione essentiæ.*
10. *Astruitur etiam intelligere actualissimum.*
11. *Divina essentia pertinens ad utramque lineam, constituitur per ultimam actualitatem utriusque.*
12. *Cùm neque sit virtualis distinctio inter esse & intelligere.*
13. *Neutrum se solo sufficit.*
14. *Probationes aseitatis in quantum acceptandæ.*
15. *Item probationes intelligere actualissimi.*
16. *An semper operari ad esse, & intelligibile sequatur ad rationem entis?*

§. I.

Præsupposita ad resolutionem.

1. UT post relatas variorum opiniones exponam, quod sentio, suppositâ primum statuo in decursu latiùs explicanda. Primum esto, ex S. D. cit. q. 14. a. 4. & 1. cont. gent. c. 45. quòd ita se habeat intelligere ad formam intelligibilem in linea intellectuali, sicuti se habet esse ad essentiam in linea entitativa.

2. Secundum, quòd essentia & natura divina formalissimè sub ratione naturæ virtualiter distinctæ ab attributis & relationibus sit forma seu species intelligibilis specificans ipsum actum intellectionis divinæ, ut partim in Tract. de vis. partim de scientia DEI ad cit. q. 14. communiter docent Thomistæ.

Tertium, esse & intelligere, ac per consequens 3. lineam entitativam & intellectualem in DEO non distingui virtualiter intrinsecè, & ex parte rei conceptæ, sed tantùm ex nostro modo concipiendi, quod evidenter infertur ex discursu S. D. l. sup. cit. Nimirùm, si ultimæ actualitates linearum non sunt distinctæ, etiam ipsæ lineæ non sunt distinctæ; sed ultima actualitas lineæ entitativæ, quæ est esse, non distinguitur virtualiter ab ultima actualitate lineæ intellectivæ, quæ est *intelligere*; ergo nec ipsæ lineæ ita distinguuntur. Minorem habet in terminis S. D. l. sup. cit. eaque nititur hoc discursu: Essentia DEI formalissimè tam re, quàm ratione est suum esse; sed essentia DEI formalissimè tam re, quàm ratione est suum intelligere; ergò esse DEI & re & ratione est ipsum intelligere DEI. Maj. æquè ac min. constat, quia perfectiones divinæ identificant sibi ultimam actualitatem suæ lineæ, igitur essentia Divina quatenùs sub ratione formæ per essentiam intelligibilis pertinet ad lineam intellectualem, etiam sibi formalissimè identificat ultimam actualitatem illius lineæ, quæ est intelligere, & quatenùs sub ratione formæ naturalis pertinet ad lineam entitativam, etiam esse cum ultimam illius lineæ actualitatem sibi identificat.

§. II.

Aseitas pertinet ad constitutivum Divinæ essentiæ.

HIs positis sententiæ Aseitatem extollenti, con- 4.
cedo, quòd esse à se pertineat ad constitutivum essentiæ divinæ, non tantùm latè, sed etiam strictiori sensu acceptæ, & ut est virtualiter distincta ab omni attributo; idque rectè probat prima ratio pro aseitate. Sanè natura etiam ut virtualiter distincta ab omni attributo pertinet ad lineam entitativam; ergò etiam ut sic identificat sibi ultimam actualitatem lineæ entitativæ; sed ultima perfectio lineæ entitativæ est esse per se in modo perfectionis infinitè perfecto; nempè esse à se, & independen-

dependens ab omni causa: ergò essentia divina etiam ut virtualiter distincta ab omni attributo pro ultima actualitate constitutiva habet esse à se.

5. Neque obest aseitati transcendentalitas, quæ à Gonet objicitur: Nam primò facilè responderi poterit, hoc ipsum esse de ratione essentiæ in actu puro, ut omnia prædicata transcendat, utpote quæ per esse à se tanquam per differentiam non extrinsecùs superadditam (quod neque Gonet admittit) sed implicitè inclusam contrahuntur ad esse divinum.

6. Secundò. Ideo transcendentalitas removeret aseitatem à constitutivo essentiæ & naturæ strictè acceptæ, quia per illã natura non conciperetur ut virtualiter distincta ab omni alia perfectione divina; sed hoc non. ergo. Minor prob. Non obstante transcendentiâ entis, adhuc concipitur ens ut virtualiter distinctum à suis proprietatibus, & radix virtualis ipsarum: ergò non obstante transcendentiâ potest aseitas & natura per ipsam constituta esse virtualiter distincta ab attributis, & radix virtualis ipsorum.

7. Tertiò. Non aliâ ratione aseitas transcendit alia prædicata, nisi quatenus formaliter includitur in ipsis, sed formalis inclusio non impedit distinctionem virtualem: tum quia in sententia præfati Authoris non datur alia distinctio perfectionum in divinis, nisi includentis & inclusi, secundùm conceptum explicitum & implicitum, ac proinde omnia divina prædicata in se mutuò formaliter includuntur, seque invicem transcendunt: tum quia apud eundem in Tract. de SS. Trinitate, natura etiam ut virtualiter distincta formaliter & essentialiter includitur in divinis personalitatibus; ergò illa transcendentalis inclusio compatitur distinctionem virtualem.

8. Quartò. Æternitas, immutabilitas, infinitas DEI non minùs transcendunt omnia divina prædicata, quàm aseitas: & tamen non minùs à se invicem, quàm ab aseitate & aliis prædicatis v. g. sapientiæ, bonitatis, Paternitatis, &c. virtualiter distinguuntur: ergò etiamsi aseitas transcendat omnia prædicata divina, tamen poterit ab iis esse virtualiter distincta, & consequenter constituere naturam abiis virtualiter distinctam.

9. Denique contra Godoyum argumentor ad hominem: Immaterialitas, seu spiritualitas non minùs transcendit omnia prædicata Divina, quàm aseitas, cùm æquè de omnibus prædicari possit, quàm aseitas, infinitas, &c. Sed non obstante hâc transcendentiâ potest esse constitutivum Divinæ naturæ: ergò pariter aseitas.

§. III.

Intelligere actualissimum conjunctim requiritur cum aseitate ad constitutivum essentiæ & naturæ Divinæ.

10. SEntio tamen ulterius intelligere actualissimum omnino pertinere ad constitutionem naturæ divinæ: eamque efficaciter probant rationes primùm allatæ; authoritates quoque è S. D. adductæ evincunt, hanc omnino ipsius mentem & sententiam esse. Nihilominùs sicuti aseitatem ut præcisam nostrâ ratione ab intelligere divino non existimo sufficere ad adæquatam constitutionem naturæ divinæ; ita neque conceptum intellectionis actualis ut præcisum à conceptu aseitatis sufficientem judico; sed Dico: utramque perfectionem aseitatis & intellectionis, pertinere ad conceptum explicitum & adæquatam constitutionem naturæ divinæ intra lineam naturæ, virtualiter distinctæ: ita ut constitutivum divinæ naturæ; inrigore metaphysico acceptæ, rectè exprimatur per *intelligere actualissimum per se & à se subsistens*, in virtute unius termini incomplexi acceptum. Idque probant in primis authoritates S.D. & inde deductæ rationes tam pro aseitate, quàm pro intelligere, è quibus habetur, quòd sicut essentia divina formaliter pertinet ad utramque lineam entitativam & intellectualem; ita formaliter sit suum esse, & suum intelligere: unde si intelligere pertinet ad constitutionem divinæ naturæ; quia in sensu formali divina natura est suum intelligere; non minùs esse à se, pertinebit ad illius constitutionem, quia in eodem sensu à S. D. asseritur, quòd divina essentia sit suum esse.

11. Unde nostra assertio probatur primò: forma infinitè perfecta essentialiter pertinens ad lineam tam intellectivam, quàm entitativam, pro suo constitutivo requirit ultimam actualitatem utriusque lineæ, sed natura divina est forma infinitè perfecta essentialiter pertinens ad utramque lineam, cùm per essentiam habeat ut non minùs sit forma intelligibilis, quàm naturalis: ergò pro suo constitutivo requirit ultimam actualitatem utriusque lineæ; nimirùm *intelligere, & esse* Et hoc non per modum duplicis conceptûs virtualiter distincti (hâc enim ratione conciperemus in DEO aggregatum vel compositum per accidens) ergò per modum unius impræscindibilis constitutivi, sicut & ipsa natura DEI pertinens ad lineam intelligibilem non distinguitur ullo modo à se ipsa ut pertinente ad lineam entitativam.

12. Confirm. intelligere pertinet ad constitutionem divinæ essentiæ, ergò & esse à se. Conseq. prob. intelligere actualissimum non distinguitur virtualiter ab esse à se; ergò si divina natura constituitur per intelligere actualissimum, etiam constituitur per esse à se.

13. Probatur ulteriùs. Neque aseitas ut præcisa ab intelligere, neque intelligere ut præcisum ab aseitate, sed utrumque simul sumptum habet requisitas conditiones ad constitutivum divinæ essentiæ: ergò neutrum seorsim, sed utrumque simul sumptum per modum unius impræscindibilis conceptûs constituit essentiam divinam. 1. Pars antecedentis ex hoc fit manifestata, quòd esse à se ut præcisum ab intelligere, non exprimat ultimam perfectibilemque actualitatem vitæ intellectivæ; quæ est tertia conditio supra §. 2. requisita: Certè natura viventis intra suam lineam continet determinatum vitæ gradum; ergò nisi iste exprimatur, conceptus divinæ naturæ non exprimitur.

Ais: an non Divinitatem, DEUM, Ens increatum concipit, qui concipit Ens à se, tametsi de intelligere nihil cogitet? Resp. Concipit Divinitatem, DEUM, Ens increatum quasi inchoativè, & confusè, conc. completè, & distinctè nego. Conceptus enim distinctus & completus divinitatis est conceptus *intelligentiæ purissimæ & actualissimæ à se existentis*: in quo vita determinata actûs puri, ab

omni alterius non tantùm creati, sed viventis natura expresse distinguitur; qua ex causa DEUS Græcis Theos à videndo vel contemplando dicitur: Ratio verò entis increati, & motoris immoti, est quidem conceptus primò obvius ad quem à creatis ascendimus, magis tamen quæstionem *an est?* quàm *quid est?* expedit, divinamque naturam ab omni ente creato ut creatum, non verò ut vivens est (quod accedente conceptu intelligere actualissimi præstat) explicitè distinguit.

14. Ex quo etiam intelliges, in quo sensu admittendæ, vel rejiciendæ sint probationes in favorem aseitatis sup. relatæ. Est nimirum *Esse DEI ipsa ejus essentia, nomen quoque ab essendo* exprimit quidditatem DEI, ut simul exprimat gradum vitæ, in quo distinguitur ab omni creato, non tantùm in quantùm creatum, sed etiam in quantùm vivens est, nego. ut exprimat tantùm rationem entis increati, quâ distinguitur ab omni creato ut creatum est, conc. sed hoc non sufficit ad constitutivum naturæ divinæ sub ultimato & completo conceptu suæ lineæ, qui gradum vitæ determinatum insuper involvit.

Rursus: *Esse à se* est ultima actualitas divinæ essentiæ, exprimens perfectionem lineæ entitativæ conc. vitalis & intellectualis nego: ergò est constitutivum essentiæ divinæ ex nostro imperfecto modo concipiendi inadæquatè, confusè, & inchoativè acceptæ, conc. ex parte rei conceptæ & in linea naturæ adæquatè, distinctè, & completè acceptæ, nego. Per *esse* quoque à se DEUS per se primò differt ab omni eo, quod non est DEUS, sub confusa & communi ratione entis increati, conc. sub ratione viventis. nego.

Tandem omnia alia prædicata ultimatò resolvuntur in aseitatem, prout simul est esse in ordine intelligibili, adeoque ipsum intelligere, conc. prout ab illo præscinditur, nego. Non enim esset ultima actualitas, nisi esset simul ultima actualitas ordinis & lineæ intelligibilis, quæ ex natura sua gaudet maximâ & perfectissimâ actualitate. Unde intelligere DEI non resolvitur in esse à se, tanquam rationem à priori, sed intelligere actualissimum per esse à se, & esse à se per intelligere actualissimum, tanquam conceptus convertibiles & inadæquati ex se mutuò inferuntur.

15. Quòd neque intelligere actualissimum ut præcisum ab aseitate sit sufficiens constitutivum divinæ naturæ, quæ est secunda pars antec. sup. positi, probârunt hactenus argumenta pro aseitate adducta: & sanè sicut aseitas præcisa ab actu intelligendi non est ultima actualitas essentiæ vitalis, quà talis: ita nec intelligere præcisum ab actu infinitè essendi (quem semper per aseitatem intelligo) esset ultima actualitas naturæ existentis quà talis. Necesse est igitur, ut non minùs aseitas, quàm intelligere actualissimum ingrediatur explicitum conceptum constitutivi divinæ essentiæ: adeoque constitutivum divinæ essentiæ est intelligere divinum per se & à se subsistens: quippe, quod omnes habet conditiones ad constitutivum requisitas. Primò, quòd sit intrinsecum & essentiale prædicatum, quia vivere vitâ intellectivâ, eáque non in actu primo sed secundo constitutâ, est intrinsecum & essentiale naturæ divinæ. Secundò: est radix virtualis omnium operationum, & attributorum: operationum quidem, quatenus præsupponunt intellectionem ceu primam vitæ intellectualis operationem; attributorum verò, quia vel pertinent ad operationem, ut sapientia, bonitas, &c. & tunc fluunt virtualiter ex intelligere divino, ceu primâ radice operationum: vel pertinent ad esse, ut æternitas, immutabilitas, &c. & tunc consequuntur ad esse actualissimum, quod convenit intelligere divino secundùm rationem aseitatis secum explicitè identificatam. Tandem etiam exprimit gradum vitæ infinitè perfectæ, qui est esse intellectivum non purè radicale, ut in creatis, sed actuale actu intellectionis infinitè perfecto.

16. Si adhuc dicas: Intelligere sequitur ad esse: ergò non potest esse constitutivum divinæ essentiæ. Antec. prob. primò: quia operari sequitur ad esse, intelligere est quoddam operari: ergò sequitur ad esse divinum. Secundò: verum & intelligibile sequitur rationem entis; ergò etiam intelligere sequitur ad esse. Resp. neg. vel dist. antec. intelligere accidentale & permixtum potentiæ conc. intelligere per se subsistens, nego. Ad cujus primam probationem distinguo antec. operari radicale & primarium, quod habet rationem ultimæ actualitatis in gradu vitæ perfectissimo, sequitur ad esse, nego; operari secundarium & consecutivum in aliquo gradu vitæ, conc. Ad secundam prob. dist. antec. verum & intelligibile sequitur rationem entis, ex limitatione in rebus creatis, concedo: ex vi propriæ lineæ, nego.

DISPUTATIO IV.

DE Distinctione Naturæ Divinæ à relationibus & attributis.

ARTICULUS I.

An admittenda sit distinctio formalis actualis ex natura rei inter Divinas perfectiones?

SUMMARIA.

1. *Significatum attributi.*
2. *Nulla realis distinctio inter essentiam ad relationes, vel attributa comparatam.*
3. *Est tamen aliqua admittenda distinctio inter perfectiones, etiam non oppositas relativè.*
4. *Major quàm rationis ratiocinantis.*
5. *Cùm aliàs omnia DEI nomina essent Synonyma.*
6. *Quæ DEUM non secundò, sed primò intentionaliter denominant.*
7. *Duplex principalis sententia D. Thomæ & Scoti.*
8. *Diversitas sententiarum in explicanda distinctione virtuali.*
9. *Doctrina & textus Scoti.*
10. *Opponitur authoritas Concilii Lateran.*
11. *Evasio præcluditur.*
12. *Opponitur authoritas Florentini.*

13. Re-

13. *Responsio Scotistica refutatur.*
14. *Opponitur authoritas PP.*
15. *Opponitur prima ratio ex simplicitate DEI.*
16. *In DEO debet admitti non tantùm realis, sed etiam formalis simplicitas.*
17. *Distinctio Scotistica ponit formalè multitudinem.*
18. *Et compositionem in DEO.*
19. *Alias esset aggregatum per accidens.*
20. *Altera ratio, quia tolleretur infinitas actualitatis & perfectionis.*
21. *Distinctio actualis præter relativam fundatur in limitatione.*
22. *Tertia ratio: quia foret distinctio strictè realis.*
23. *Distinctio Scotistica petit principium.*
24. *Responsio Baronis refutatur.*
25. *Altera responsio Scotistica eliditur.*
26. *Objectio ex D. August. diluitur.*
27. *Altera objectio ex pluralitate definitionum.*
28. *Tertia objectio ex prædicatis contradictoriis.*
29. *Retorsio argumenti.*
30. *Ante actum intellectûs sunt contradictoria non actu sed virtute & fundamentaliter.*

§. I.

Præsupposita & status quæstionis.

1. SUppono primò, quod nomine *attributi* intelligatur *forma absoluta necessariò & formaliter in DEO existens, & ad ejus essentiam juxta nostrum modum concipiendi, per modum totalis proprietatis virtualiter consequens.* Dixi primo: *forma*, sive perfectio *absoluta*, ad removendas relationes, quæ cùm explicitè non dicant perfectionem, neque sint omnibus personis communes, attributa esse non possunt. Dixi secundò: *necessariò existens*, ad distinctionem à decretis divinis, quæ cum suo modo potuerint non esse, rationem attributi, quod per modum proprietatis essentiam necessariò sequitur habere non possunt. Dixi tertio: *formaliter existens*, quibus removentur creaturarum perfectiones secundùm quid, quæ tantùm sunt eminenter in DEO, ut esse sensitivum &c. Item extrinsecæ denominationes Creatoris, Gubernatoris, &c. à creaturis in tempore acceptæ, & tandem negationes, eaque prædicata, quæ de DEO metaphoricè dicuntur, ut dolere, pœnitere, &c. Dixi quartò: *per modum totalis proprietatis*, nam inadæquatæ & particulares rationes attributorum; veluti potentia creandi Angelum, hominem &c. scientia visionis, simplicis intelligentiæ, quæ continetur sub attributis omnipotentiæ & scientiæ, non constituunt distincta attributa: cùm sub eadem formali ratione conveniant, & solùm penes connotata materialia differant. Dixi quintò: *juxta nostrum modum concipiendi* (cum fundamento tamen ex parte DEI) *ad essentiam consequens*: quia attributum non concipitur per modum formæ constituentis essentiam, ut prædicata aseitatis, & intelligere actualissimi, quæ ad lineam essentiæ pertinent: sed per modum formæ advenientis & adjacentis, ac divinam essentiam ad aliam lineam trahentis.

2. Suppono secundò, tanquam de fide certum, nec essentiam ab attributis & relationibus, nec attributa à relationibus, vel inter se realiter distingui, prout contra Gilbertum Porretanum definitum est in c. damnamus. d. sum. Trin. & Concil. Rhem. ubi hæc est professio fidei: *Credimus DEUM non nisi eâ sapientiâ, quæ est ipse DEUS, sapientem esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, vel alia hujusmodi adesse DEO, quæ sint ab æterno, & non sint ipse DEUS.* Pariter in Florent. Sess. 17. & 18. definitur realis identitas Personalitatum cum essentia, & dicitur, *quòd solâ ratione, aut intelligentiâ differre creditur.* Inde etiam desumptum est illud axioma Theologorum, *quòd omnia sunt unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio.* In eundem sensum SS. PP. loquuntur August. 7. d. Trin. c. 1. *Eadem ejus magnitudo, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo* Greg. 10. Moral. c. 20. *DEUS hoc est quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas.* Et ratio est manifesta, quia ut ex sequente constabit amplius; si DEUS aliquid realiter distinctum recuperaret, non esset actus purissimus, perfectissimus; sed in reali potentia ad sua attributa constitutus: ipsa quoque attributa jam essent aliquid creatum, utpote ab ente increato realiter distinctum, &c.

3. Suppono tertiò. Nihilominùs esse admittendam in DEO aliquam distinctionem, non tantùm inter personas & relationes invicem oppositas (quam distinctionem juxta doctrinam fidei realem esse suppono ex dicendis de SS. Trinitate) sed etiam tum inter essentiam ad personalitates & attributa comparatam, tum inter attributa ad se invicem comparata.

Colligitur primò ex sap. 7. ubi spiritus Divinæ sapientiæ dicitur *unus & multiplex: multiplex* quia (exponit D. Aug. ep. 102.) *multa sunt, quæ habet; simplex autem quoniam non aliud quam quod habet, est.*

Colligitur secundò ex modo loquendi S. script. ubi divinæ perfectiones sæpiùs numero plurali efferuntur, veluti Jo. 16. *omnia quæ Pater habet, mea sunt.*

Colligitur tertiò, ex prædicto Florentino dicente, quòd *essentia & personalitates* (idem est judicium de attributis) *ratione & intelligentiâ* differant. Unde quartò accedit experientia, dum de rebus divinis formamus multiplices conceptus, ex quo saltem distinctio aliqua rationis est necessaria, & quintò constat ex eo, quòd de divinis affirmentur sine contradictione prædicata secundùm se contradictoria, ut quòd *Pater generet, essentia non generet*, intellectus sit principium generandi, voluntas non sit principium generandi, &c. Sed de eâdem re omnimodè indistincta sine contradictione prædicata contradictoria affirmari non possunt; ergò debet in divinis admitti aliqua distinctio essentiæ & attributorum. Unde.

4. Suppono quartò. Essentiam ab attributis, & ista inter se distingui plùs quàm ratione ratiocinante: Ratio est primò; talis requiritur in divinis distinctio, per quam tollatur omnis contradictio, quæ aliàs proveniret à prædicatis contradictoriis realibus & primò intentionalibus; sed talis non est distinctio rationis ratiocinantis: Nam hæc fit, quando intellectus aliquid à se ipso distinguit vel omninò gratis per meras repetitiones conceptuum, veluti contingit cum Petrum in subjecto distinguit à Petro in prædicato dicens: *Pe. est Petrus*, aut cùm nomina synonyma multiplicat. v. g. cùm dicit: *ensis est gladius*: Secundò acci-

piendo fundamentum ex solo modo concipiendi & significandi; quo modo distinguit inter definitum & definitionem, quia quod in uno significatur implicitè, ut natura humana in ly *homo*, in altero v. g. in ly *animal rationale* significatur explicitè; sed hæc non sufficiunt ad salvanda contradictoria realia: & primò intentionalia; ut *sunt produci non produci*, *communicari non communicari*. tota quippe distinctio & non identitas rationis ratiocinantis est secundò intentionalis & intra intellectum; unde non possum dicere, ensis est ferrum, gladius non est ferrum. cùm tamen possim & debeam dicere: *essentia communicatur*, *Paternitas non communicatur*: ergò major distinctio requiritur, quàm rationis ratiocinantis.

5. Ratio est secundò. Quòd si tantùm esset distinctio rationis ratiocinantis, omnia nomina, quæ de DEO dicimus, & in DEO distinguimus essent synonyma, siquidem nec in re significata, ut fatentur Adversarii, nec in modo significandi distinguerentur, eò quòd omnia habeant unum eundemque modum prædicandi per modum termini incomplexi. Atqui consequens communiter à Theologis est rejectum: aliud quippe intendimus significare per omnipotentiam, aliud per misericordiam, aliud per essentiam, aliudper attributum.

6. Nec satis facis, si dicas: ideò hæc nomina esse diversa in modo significandi, quia per nomen *justitia* v. g. tantùm explicitè significatur virtus vel actus justitiæ, reliqua verò tantùm implicitè, & sic de aliis. Nam contra est: vel enim habet intellectus fundamentum ex parte DEI per tale nomen unum ex alio exprimendi, vel non habet: si habet, jam est distinctio rationis ratiocinatæ cum fundamento in re: si non habet, tunc vel format conceptum falsum, & difformem objecto: vel certè affingit ipsi aliquid secundò intentionale, desumptum ex modo intelligendi, quod iterum est falsum: siquidem cùm dicimus, DEUM creare mundum per omnipotentiam, salvare per misericordiam: Non denominamus DEUM secundùm statum secundò intentionalem, sed primò intentionalem, & ut est à parte rei.

7. Requiritur ergò major in divinis distinctio, quàm rationis ratiocinantis. Sed qualis illa? Respondet primò Scotus cum tota & sola schola Scotistica, debere esse *distinctionem formalem actualem ex natura rei*. Ita expressè dicit in 1. d. 8. q. 3. §. ad quæstionem. & q 4. Respondet contra S. D. in 1. d. 2. q. 1. a. 2. & 3. & pluribus aliis in decursu citandis, distingui *ratione ratiocinatâ*, sive cum fundamento in re. Sed quodnam istud fundamentum?

8. Respondent Thomistæ, imò & plurimi RR. esse distinctionem virtualem, verùm tam diversâ virtualis distinctionis explicatione & acceptione, ut toto cælo inter se dissentiant. Nos priusquam nostram & Thomisticam distinctionem virtualem exponamus, priùs celebriores sententias ad trutinam vocabimus. Esparza, Erhardt, Veckenus, Derkenis & multi alii solam admittunt distinctionem realem in tertio (quam etiam appellant virtualem distinctionem) in ordine ad salvanda contradictoria realia, v. g. *produci*, *non produci*, quæ dicuntur de omnibus formalitatibus, quarum una est absoluta, altera relativa, ut *essentia*, & *filiatio* v. g. *essentia non producitur*, *filiatio producitur*. *Pater generat*, *essentia non generat &c.* In reliquis verò prædicatis misericordiæ, omnipotentiæ, sapientiæ, &c. nullam admittunt distinctionem virtualem intrinsecam, & quæcunque de divinis perfectionibus affirmamus, vel negamus, refundunt vel in ipsum actum intelligendi cum Oviedo & Bonæspei; vel in aliqua connotata extrinseca ex parte creaturarum cum Aureolo & Arimin: Henricus à S. Ignatio d. 4. a. 3. cum pluribus à se citatis distinctionem virtualem (quam vocat æquivalentiam rerum formaliter distinctarum in ordine ad subeunda sine contradictione prædicata contradictoria, eamque dicit esse distinctionem virtualem intrinsecam) admittit tantùm quoad illa contradictoria realia, quæ de illis fides docet: uti sunt, *filius producitur*, *essentia non producitur*: *Pater intellectu generat*, *non voluntate*: *voluntas est principium spirandi*, *non intellectus*, *&c.* In reliquis autem admittit tantùm distinctionem virtualem in ordine ad fundandos diversos conceptus, eamque vocat distinctionem virtualem extrinsecam. Franciscus de lugo admittit universaliter tantam distinctionem virtualem attributorum, quâ independenter à nostro intellectu una formalitas excludat alteram, & sapientia v. g. non sit formaliter justitia. Ferè ad sensum Caramuelis admittentis in DEO non identitatem formalem ex natura rei. Quò etiam inclinat Magnificus P. Stadlmair, admittens ante intellectum in DEO distinctionem virtualem, realem, formalem, intrinsecam, & tantùm non (quod Scotistæ volunt) actualem.

Illustrissimus Reding q. 2. a. 3. contr. 3. eam distinctionem virtualem in divinis admittit, quæ sit eminentia unitatis sibi omnes perfectiones simpliciter simplices & propter immersionem potentialitatis distinctas in creaturis, ita sibi formaliter identificans, ut independenter à nostro præcisivo conceptu quælibet includat alteram; per nostrum verò intellectum una ab altera etiam objectivè & exclusivè præscindi possit. Jo. à S. Th. Salmanticenses, Gonet, Contenson & complures nostri DD. eam admittunt universaliter distinctionem virtualem inter divinas perfectiones, quæ sit tanta eminentia divinæ perfectionis, ut ipsius formalitates non per modum excludentis & excluſi, sed per modum includentis & incluſi, seu, ut vocant, per modum expliciti & impliciti præscindi possint.

§. II.

Sententia Scotistica impugnatur authoritate.

9. Distinctionem attributorum divinorum ex natura rei his terminis dicit, & explicat Scotus l. cit. q. 3. *Inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale. Est ergò ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo, & est ista, quòd sapientia in re formaliter non est bonitas in re.* Et q. 4. *tales perfectiones ex natura rei ante opus intellectûs non habent identitatem formalem.* Contra hanc doctrinam cum communi aliorum DD. prætermissis ipsorum censuris sit

CON-

10. CONCLUSIO. *Hæc distinctio, quâ divinæ perfectiones, ante omne opus intellectûs actu distinguuntur formaliter ex natura rei, est nullatenùs admittenda. Ita Theologi* quasi omnes extra schola Scoti. Probatur primò. authoritate Conciliorum & SS. PP. quibus hæc Scotistica distinctio videtur contradicere.

Nam primò Concil. Lateran. in. c. *damnamus* & c. *firmiter*, de Trin. definit omnimodam identitatem & simplicitatem à parte rei inter Divinam essentiam & personas: (idem est judicium de attributis) Scotista non admittit omnimodam identitatem, dum astruit formalem multiplicitatem inter essentiam divinam & personas, ac attributa à parte rei.

11. Nec valet dicere, Concilium loquitur de identitate strictè reali, non autem reali formali: nam etiam realis formalis non identitas repugnat omnimodæ reali identitati, quam definit Concilium. Aliàs etiam Durandi opinio hâc definitione non tangeretur, concedentis in divinis distinctionem realem modalem, quem tamen hâc ipsa definitione Scotistæ impugnant.

12. Secundò. Confessio fidei in Concil. Florentino Sess. 25, authoritate Eugenii Papæ à Latinis PP. ad Græcos transmissa dicit, *ne identitatem divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam divinam substantiam re, non autem solâ ratione hypostasibus & personis differre credere videamur, &c.* Cui sententiæ subscripsere Græci PP. è quibus Andreas Colossensis *Archiepiscopus; haud quaquam putare debetis, ut re differant, quandoquidem solâ ratione, aut intelligentiâ differre creduntur.* Similia habentur Sess. 18. & 19. Atqui per Scotistas substantia divina & hypostases, pariter & attributa non solâ ratione & intelligentiâ vel actu intelligendi, sed actu reali ante opus rationis & intellectûs distinguuntur.

13. Ajunt Scotistæ: à PP. Concilii ly *solâ ratione* non sumi pro intelligentia, sed pro ratione formali, ac proinde tantùm negari distinctionem strictè realem. Sed contrà est primò, quòd PP. Concilii Flor. ll. allegg. ista conjungunt *solâ ratione & intelligentiâ*, dum etiam Sess. 18. Joannes Theologus nomine Ecclesiæ Latinæ dixit, *re quidem sunt idem, secundùm autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Contrà est secundò. Quòd Concil. prædictum Sess. 24. dicat: *Pater enim indistinctus ab essentia, imò verò cùm ipse sit ipsi essentia, non intelligitur distinctam habere essentiam ab hypostasi.* atqui per Scotistas haberet quà talis distinctam essentiam, quia alia foret ex natura rei ratio formalis & quidditas paternæ hypostasis; alia ipsius essentiæ; sed quid est aliud ratio formalis & quidditas, quàm essentia?

14. Tertiò. SS. Patres commendant in DEO salvâ Trinitate, summam *simplicitatem, quâ major excogitari non possit*; ideò D. Dionys. Areopag. c. 9. d. div. nom. dicit, *DEVM in pulcherrimis excellentiæ identitatis finibus collocatum.* Augustinus 7. d. Trin. c. 1. *summam simplicitatem: verè ibi est summè simplex essentia; hoc est ergò ibi esse quòd sapere.* Et inf. *quod enim est sapientiæ sapere, & potentiæ posse, & æternitati æternam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentiæ ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quàm esse, eadem ibi sapientia, quæ essentia.* Bern. Serm. 81. in Cant. *primum & purissimum simplex.* Boëtius 5. de consider. *unum in quo nullus numerus est. unicè unum, & simplicissimam unitatem* appellat. Idem SS. PP. negant in DEO *esse aliud & aliud.* Ita August. 15. de Trinit. c. 5. *DEVS sua est ipse sapientia, quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia.* Isidorus. 5. d. sum. bono, quia *non est aliud ipse, aliud, quod in ipso est.* D. Bern. S. 80. in Cant. *DEVS hanc sibi vendicat meram, singularémque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud & aliud inveniatur in ea.* ideoque concludit Greg. Nyss. l. ad Albavium, *omnem circa essentiam distinctionem rejicit divina simplex natura.*

Contradicit omnibus istis authoribus distinctio Scotistica, quæ à parte rei numerum divinarum formalitatum, aliud & aliud, nempe aliud ipsum, hoc est essentiam, aliud quod in ipso, hoc est attributum, esse contendit. Nec satisfaciunt Scotistæ, cùm dicunt, ut priùs, SS. PP. esse intelligendos de alietate strictè, non autem formaliter tantùm reali. Contra enim

§. III.

Rationes contra distinctionem Scotisticam.

PRobatur conclusio triplici ratione. Prima est 15. juxta fidei doctrinam DEUS est omnimodè simplex, omnis intrinsecæ multiplicitatis & compositionis expers, & quidem ex relata SS. PP. interpretatione & communi doctrina, eâ simplicitate, quâ major & perfectior esse nequeat. uno verbo simplicissimus, & ut Bern. l. 5. d. consid. c. 7. *unissimus* est: sed hanc divinæ simplicitatis perfectionem tollit distinctio Scotistica, ergò. Minor prob. formalis, realis, actualis multiplicitas & compositio destruit omnimodæ simplicitatis perfectionem & conceptum: sed hæc distinctio ponit in DEO à parte rei formalè actualem multiplicitatem, imò & compositionem; ergò hæc distinctio destruit conceptum & perfectionem omnimodæ simplicitatis divinæ.

Major probatur: sicut in DEO est admittenda 16. realis simplicitas contra Porretanum, qui admittebat pluralitatem strictè realem; sic etiam est admittenda formalis simplicitas: nam DEUS tam est formaliter, quàm realiter & modaliter simplex: formalis quippe simplicitas est perfectio sine imperfectione & ut vocant, simpliciter simplex, siquidem importat purissimam divinæ essentiæ actualitatem, prout ex secunda ratione ampliùs constabit.

Nec essentia divina in genere simplicitatis esset summa & infinita, si careret simplicitate formali, ergò debet essentia divina non minùs esse formaliter, quàm realiter simplex: Sed formalis pluralitas & compositio destruit formalem simplicitatem; non enim minùs opponitur formalis multitudo perfectionum divinarum ante operationem intellectûs formali simplicitati, quàm realis materialis vel modalis multitudo aut compositio reali materiali & modali simplicitati: simplicitas quippe est unitas compositionis expers: omnis autem multitudo vel est composita, vel incomposita: si incomposita, repugnat simplicitati, quatenùs est unitas, si composita, repugnat eidem, quatenùs est expers compositionis.

Minor principalis pariter probatur quoad primum membrum *multitudinis*; quia quâ ratione 17.

unum actu non est alterum à parte rei, eatenùs sunt multa: sed distinctio Scotistica ponit in DEO perfectiones, quarum à parte rei una formaliter actu non est altera: ergò ponit à parte rei perfectiones actu & formaliter multas in DEO.

18. Alterum membrum ejusdem minoris quoad *compositionem* pariter probatur primò. Catholici DD. ipsique Scotistæ ex reali multitudine & distinctione divinorum contra Porretanum inferunt sequi realem compositionem; quantumvis ipse hanc sequelam negaverit, eò quòd non se habeant adinvicem tanquam potentia & actus: ergò non obstante hâc responsione Adversariorum rectè contra ipsos infertur ex multitudine & distinctione formali reali divinarum perfectionum, earundem realis formalis compositio.

19. Secundò. Quæcunque sunt actu multa, aut sunt unita, aut non unita inter se. Si unita, hoc ipso sunt composita (exceptis tribus Personis Divinis, quæ sunt unitæ unitate formalis identitatis, in & cum natura Divina) unde etiam Persona Christi juxta doctrinam Conciliorum est compositа, propter conjunctionem duarum naturarum in unitate suppositi: quantumvis illæ ad se invicem non comparentur tanquam potentia & actus. Si non sunt unita, sunt formaliter cumulus, & aggregatum per accidens: atqui est absurdum in Divinis admittere cumulum & aggregatum per accidens realium perfectionum: neque illæ etiam formaliter realiter identificantur cum uno tertio, uti Personæ Divinæ; ergò super est, ut sint formaliter compositæ, quod tamen admittere etiam abhorrent Scotistæ.

20. Secunda ratio est: quia distinctio Scotistica tollit infinitam formalem actualitatem & perfectionem tum essentiæ, tum attributorum in DEO, nam eatenùs divina essentia, & quidquid est in DEO, est actus purus, quatenùs in se formaliter continet, sibique identificat omnem formalitatem & perfectionem simpliciter simplicem, nam si vel unicam perfectionem sibi formaliter non identificat, respectu illius jam est formaliter perfectibilis & actuabilis, nec proinde actus purus: sed per distinctionem formalem ex natura rei nec Divina essentia, nec attributa formaliter sibi identificant omnem perfectionem: adeoque per distinctionem Scotisticam destruitur ratio actûs puri.

21. Confirm. omnis distinctio actualis, quæ non fundatur in oppositione relativâ, provenit ex limitatione extremorum, in quantum in uno reperitur aliquod esse, quod non reperitur in membro condistincto; unde quò aliqua sunt naturæ perfectioris, tantò pauciora habent vestigia distinctionis; sed in DEO ceu ente infinito non habet locum limitatio; ergò nec distinctio actualis extremorum ante mentis operationem.

22. Ratio tertia est. Distinctio, quæ versatur inter extrema, quorum unum non est alterum à parte rei, & ante intellectûs operationem, est strictè realis: sed distinctio formalis ex natura rei est inter extrema, quorum unum non est alterum à parte rei, sive ante omnem mentis operationem: ergò est strictè realis. Maj. probatur per inductionem & paritatem aliarum rerum. nam certè entia, quæ dantur nemine cogitante, sunt verè & strictè realia; substantia, quantitas, qualitas, productiones, generationes, relationes, oppositiones, quæ dantur nemine cogitante, sunt strictè reales. Et ut optimè arguit Henricus à S. Ign. Non magis est intelligibile, dari formalem distinctionem ex natura rei, quæ non sit strictè realis ante omnem intellectûs operationem, quàm dari productionem formalem ex natura rei, quæ non sit strictè realis, quo admisso jam posses dicere Patrem, etsi sit strictè realiter ingenitus, ut fides docet, esse tamen formaliter ex natura rei ex essentia genitum; similiter attributa hoc modo esse formaliter producta, &c. quod tamen nemo Catholicorum admiserit.

23. Adde, quòd Scotistæ in suis responsionibus idem tidem petant principium, & explicent obscurum, per aliud æquè obscurum, nam cur sint actu plures formalitates ante mentis operationem, hæc est ratio, quia sunt actu formaliter, non strictè realiter distinctæ ex natura rei: & cur sunt actu formaliter distinctæ? quia sunt actu plures formalitates, non actu plures res, quod est dicere idem per idem.

24. Dices cum Barone, illam esse distinctionem strictè realem, quæ mediat inter plures res habentes plures existentias, illam formalem ex natura rei, quæ mediat inter plures formalitates habentes eandem existentiam. Sed contrà est primò, quòd sit æquè ignotum, quibus competant plures existentiæ, ac quibus competant plures entitates. Contrà est secundò, quòd inter Personas Divinas sit distinctio strictè realis, cùm tamen unam habeant existentiam, rursus inter materiam & formam in meliori Philosophia sit distinctio strictè realis, cùm tamen unam habeant existentiam compositi, quod etiam de partibus continui plurimi defendunt.

25. Alii respondent, tunc esse distinctionem strictè realem inter rem & rem, quando una est ab altera separabilis, vel producibilis: Sed contrà est primò, quod etsi separabilitas & productivitas sit effectus & signum realis distinctionis, non tamen est adæquatum, siquidem stricta realis distinctio inveniretur in doctrina Scotistarum inter Filium & Spiritum S. tametsi Spiritus S. (utique à Filio inseparabilis) per impossibile à Filio non procederet. Contrà est secundò. quod Guil. Porretanus à Concilio Rhemensi damnatus, non posuerit productionem vel separabilitatem inter essentiam & attributa, sive inter essentiam & personalitates: & tamen Catholicorum DD. calculo posuerit plures res; non ergò adæquatum signum, multò minùs essentia distinctionis & pluralitatis strictè realis est separabilitas vel producibilitas unius ab altero.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

26. OBjiciunt primò Scotistæ ab authoritate locum duplicem D. Augustini, 15. d. Trin. c. 3. ubi dicit, omnia attributa esse æqualia: subsumunt: sed nihil sibi ipsi est æquale: ergò inter illa debet esse distinctio. Item l. 3. contra Max. c. 10. ubi ex eo, quòd perfectionum plurálitas, ut sapientiæ, magnitudinis, &c. non obsteт simplicitati divinæ, arguit nec Personarum Trinitatem eidem obstare.

Resp.

Resp. ad 1. siquidem contendas æqualitatem ante intellectum, sic dari æqualitatem attributorum negativam, non autem positivam, hoc est dari negationem excessûs unius supra aliud, hoc ipso, quia sunt formaliter idem, si verò deberent esse positivè æqualia, deberent insuper esse strictè realiter distincta, quod nec Scotista concesserit. Ad 2. Respondet Bachonius, intentionem, ac sensum S. Patris esse, si sapientia, magnitudo &c. quæ in rebus sensibilibus realiter, secundùm esse absolutum, & secundùm diversa genera differunt, tamen in DEO posita non dirimunt ejus simplicitatem; ergò quæ in sensibilibus relativè differunt & intra idem genus, si in DEO ponantur, multò minùs dirimunt ipsius simplicitatem.

27. Altera est objectio, petita ex pluralitate definitionum, quam logici in gradibus metaphysicis solvunt, & distinguunt. Illa distinguuntur formaliter ante intellectum, quibus ante intellectum conveniunt diversæ definitiones, si conveniunt formaliter & adæquatè diversæ, conc. inadæquatè & fundamentaliter diversæ. nego. sed essentiæ v. g. attributis, personalitatibus ante intellectum conveniunt diversæ definitiones, formaliter adæquatè diversæ, nego; inadæquatè & fundamentaliter diversæ conc. min. & nego conseq.

28. Tertia objectio & fundamentum huic loco propriùm petitur è prædicatis contradictoriis. Illa actu distinguuntur ante intellectum ex natura rei, quibus independenter ab intellectu conveniunt prædicata realia contradictoria, aliàs convelleretur illud primum principium metaphysicum: Idem non potest simul esse & non esse: sed ex Conciliis fide constat, de essentia, personalitatibus, & attributis affirmari contradictoria realia, quæ ipsis conveniant independenter à nostro intellectu: ergò etiam distinguuntur independenter à nostro intellectu; non certè strictè realiter, ut res à re, hic enim est error Porretani: ergò formaliter ex natura rei, ut formalitas à formalitate. Min. constat, quia independenter à nostro intellectu verum est: *Filius producitur, essentia non producitur: Pater generat intellectu, non generat voluntate, &c.*

Resp. primò. Si iste Achilles Scotisticus esset alicujus roboris, probaret etiam distinctionem strictè realem; siquidem esse, non esse, produci, non produci, gignere, non gignere sunt contradictoria, non tantùm formalia, sed etiam realia: unde hoc argumento convictus Porretanus inter absolutas perfectiones distinctionem realem admisit. 29.

Resp. secundò. dist. maj. Illa sunt actu distincta ex natura rei, quibus ante intellectûs operationem actu & formaliter conveniunt contradictoria, conc. quibus conveniunt tantùm virtute & fundamentaliter, nego. Sed hoc reperitur in Divinis, virtute & fundamentaliter conc. actu & formaliter nego min. & conseq. Cujus distinctionis ratio mox patebit ex dicendis. 30.

ARTICULUS II.

An distinctio realis in tertio sit necessaria & sufficiens ad salvanda contradictoria in DEO?

SUMMARIA.

1. *Explicatur, quid nominis sit distinctio realis in tertio?*
2. *Ejus fundamentum.*
3. *Oppugnatur authoritate Florentini, & D. Th.*
4. *Ratio prima, de quibus dantur contradictoria distingui debent.*
5. *Confirm. per contradictoria Synonyma.*
6. *Salvanda sunt contradictoria priusquam verificetur distinctio realis in tertio.*
7. *Plures propositiones contradictoriæ, quæ non solvuntur per distinctionem in tertio.*
8. *Sufficit extremorum virtualis distinctio ad salvanda contradictoria.*
9. *Disparitas inter relativè & contradictoriè opposita.*

§. I.

Explicatio & probatio distinctionis realis in tertio.

1. Distinctio realis in tertio secundum Recentiores est, quâ unum extremum identificatum cum altero extremo identitate inadæquatâ, simul identificatur cum tertio realiter distincto ab illo altero extremo, E. g. Natura Divina dicitur cum paternitate identificari identitate inadæquatâ, quia non sic identificatur cum paternitate, ut non simul identificetur cum aliquo tertio extremo, quod est filiatio realiter distincta à paternitate, ideoque in illa includitur realis distinctio, quæ intercedit inter paternitatem & filiationem, & dicitur distinctio realis in tertio, in quantum scilicet natura est inadæquatè identificata filiationi, quæ realiter à paternitate distinguitur. Dicunt igitur naturam divinam & paternitatem recipere prædicata contradictoria, quia licèt secundùm habitudinem, quam natura divina præcisè dicit ad paternitatem, sit penitus indistincta, in tertio tamen extremo, nempe filiatione, cum qua pariter & inadæquatè identificatur, habet realem distinctionem à Patre: sicque sufficienter habet capacitatem recipiendi contradictoria, v. g. *Natura divina est filius* (ratione identitatis cum filio) *natura divina non est filius* (ratione identitatis cum Patre, qui à filio realiter distinguitur) Hâc igitur ratione & distinctione reali in tertio conantur amoliri à Divinis omnem contradictionem apparentem, sive salvare omnia contradictoria, quæ versantur inter prædicata absoluta comparata cum relativis. E. g. *essentia communicatur*, inquiunt, *paternitas non communicatur*: ideo verificatur in Divinis: quia licèt essentia, quatenus identificatur cum paternitate, non recipiat hoc prædicatum contradictorium, *non communicatur*, tamen quatenus simul involvit iden-

identificationem cum filiatione, in hoc tertio extremo, nempe filiatione realiter distinguitur à paternitate, sicque fit capax hujus prædicati contradictorii *non communicatur*.

2. Ratio præter impugnationes distinctionis virtualis solvendas inferius est. Cùm nihil possit realiter esse & non esse, ideo realiter non potest dari affirmatio & negatio ejusdem prædicati realis de quibusdam extremis, nisi inter illa intercedat realis distinctio: Sed secundùm fidem de essentia & paternitate v. g. realiter affirmatur & negatur reale prædicatum: nempe *communicari*: ergo inter hæc extrema debet admitti vera realis distinctio, & non tantùm illa virtualis, quæ nullo modo tollit simplicissimam identitatem extremorum. Atqui talis vera realis distinctio non potest esse immediata, stricte realis; hæc enim damnata est à Conc. Rhemensi: non realis formalis, utpote pariter repugnans formali simplicitati & perfectioni divinæ; ergò realis mediata, sive in tertio: quæ tanquam principiis fidei maximè consentanea, aptissima quoque est ad verificanda sub contradictione contradictoria, quæ producuntur de divinis.

Confirm. Major est oppositio contradictoria quàm relativa; ergò cùm oppositio relativa in divinis requirat formalem & realem distinctionem extremorum: etiam oppositio contradictoria illam requiret.

§. II.

Hæc distinctio non sufficit ad salvanda contradictoria in Divinis.

3. CONCLUSIO. *Hæc distinctio mediata & realis in tertio non est sufficiens ad salvanda in divinis prædicata contradictoria.* Probatur inprimis authoritate Concilii Florentini. 1. cit. Sess. 25. ubi in confessione fidei dicit, *ne divinam substantiam re, non autem solâ ratione ab hypostasibus & personis differre credere videamur*. adeoque inter divinam essentiam & hypostases agnoscit solam distinctionem rationis. Atqui hæc nova RR. sententia non est contenta distinctione rationis, sed requirit distinctionem realem inadæquatam inter essentiam & hypostasin Patris v. g. ergò contrariatur menti Concilii Florentini. Neque Angelicus Doctor aliam agnoscit distinctionem, quàm rationis, ut præter alios ipsius textus constat inf. ex q. 28. a. 3. ad 2. ubi: *dicendum* inquit, *quòd in quantum essentia & persona in Divinis differunt secundùm intelligendi rationem, sequitur, quòd aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero.*

4. Probatur ulterius ratione primò. Circa illa extrema debent salvari contradictoria, de quibus prædicantur; sed distinctio in tertio non salvat contradictoria circa illa extrema, de quibus prædicantur ergo distinctio realis in tertio non salvat contradictoria. Minor probatur: nam v. g. in hâc prædicatione, *essentia communicatur, paternitas non communicatur, tò communicari, non communicari*, non prædicatur de essentia, ut est in se, & ut est in filiatione, sed de essentia, ut est in se, & ut est in paternitate: ergò circa ista duo extrema *essentiæ & paternitatis* non tollitur contradictio, quam apparenter inferunt hæc contradictoria *communicari & non communicari*.

1. Confirm. Aequè vera, imò Synonyma est hæc prædicatio: *essentia ut absoluta in se communicatur, essentia ut identificata cum paternitate non communicatur*, quàm ista: *essentia communicatur, paternitas non communicatur*; Sed est impossibile, quòd hæc prædicatio verificetur propter identificationem cum filiatione: quia ly *non communicari* prædicatur de essentia quatenus identificata cum paternitate, adeoque ut sic relativè opposita filiationi: ergò non potest prædicari de ipsa quatenus identificata filiationi: adeoque neque in hac prædicatione *essentia communicatur, paternitas non communicatur*, ad salvanda contradictoria sufficit distinctio realis in tertio. Idem argumentum ad alias hujus generis prædicationes facilè applicabis Adde, quòd illa extrema debeant esse distincta, quæ in propositionibus contradictoriis significantur in recto, & locum subjecti obtinent, atqui tertium illud extremum v. g. filiatio tantùm importatur in obliquo; ergò illius distinctio non sufficit.

6. Ratio est secundò. Priùs ratione nostrâ cum fundamento in re verificantur contradictoria, quin verificetur distinctio in tertio: ergò ista non sufficit ad salvanda contradictoria. Antec. probatur primò. quia verificantur in divinis contradictoria absoluta de extremis absolutis cum fundamento in re: veluti, *DEVS intelligit per intellectum, non per voluntatem*: sed hæc verificatio ratione nostrâ antecedit distinctionem realem in tertio: hæc quippe supponit prædicata relativa; illa verò consistit in absolutis; sed absoluta in Divinis sunt priora relativis, ut est communis Theolog. ergò.

Probatur antec. secundò. Prius est ratione nostrâ, quòd Pater generet, essentia non generet, quàm quòd filius sit distinctus à Patre: ergò illa contradictoria sunt ratione priora, quàm distinctio hujus tertii extremi nempe Filii. Antecedens probatur. Fundamentum & ratio à priori juxta Concilia & PP. quòd Filius sit distinctus à Patre, est origo, productio, generatio, processio: non autem è converso ratio productionis est distinctio: non enim ideò Pater est generans, quia filius est distinctus; sed iste ideò est distinctus à Patre, quia est genitus. ergò hæc contradictoria, *essentia non generat, Pater generat*, per prius verificantur in DEO, quàm verificetur distinctio realis in tertio.

7. Ratio est tertiò: Quòd plura sint admittenda contradictoria in divinis, quæ nullatenus per distinctionem realem in tertio salvari possunt. Nam primò. Hæc ipsa sunt contradictoria: *Pater est distinctus à tertio extremo, natura non est distincta à tertio extremo*: *Natura est identificata cum tertio extremo, Paternitas non est identificata &c.* Item *essentia DEI est una, Personæ sunt tres. Essentia DEI non est Genitor, non Genitus, non Procedens, Personæ sunt Genitor, Genitus & Procedens. Filius procedit per intellectum, non per voluntatem.* Ubi tunc est distinctio in tertio, cùm nullum sit assignabile?

§. III.

Solvitur fundamentum Adversariorum.

8. AD argumentum primò propositum distinguo majorem. De extremis tam formaliter & actu, quàm virtualiter realiter indistinctis non possunt affirmari contradictoria realia, conc. tantùm rea-

realiter actu distinctis, nego maj. & sub data distinctione nego conseq. Nec refert, quòd distinctio virtualis non tollat simplicissimam identitatem perfectionum: sufficit enim, quòd eminentia illius simplicitatis & unitatis æquivaleat distinctis formalitatibus, sicque diversas etiam oppositas denominationes respectu nostri intellectûs illam eminentissimam simplicitatem inadæquatè attingentis fundare possit, de quo §. sequenti.

9. Ad Confirm. Resp. primò. Hinc nimium probari, nempe strictè realem & immediatam distinctionem extremorum, qualem fundat oppositio relativa in Divinis. Resp. secundò. dist. maj. oppositio contradictoria est major, quam relativa, si sit & maneat verè, non tantùm apparenter talis conc. secus nego. atqui oppositio contradictoria in divinis tollitur per virtualem distinctionem, utpote quæ ad hunc effectum æquivalet distinctioni actuali. Relativa verò oppositio manente nimirum fundamento ipsius, quod est producere & produci, manet formaliter & actu in divinis.

ARTICULUS III.

An & qualis admittenda sit distinctio virtualis in Divinis?

SUMMARIA.

1. *Definitio distinctionis virtualis.*
2. *Non est mera æquivalentia, sed eminentia intrinseca.*
3. *Simplici complexione ministrat diversos conceptus objicibiles.*
4. *Non est ipsa distinctio rationis ratiocinatæ, sed fundamentum ipsius.*
5. *Refutatio alicujus Recentioris.*
6. *Continet formalitates pertinentes ad diversas lineas.*
7. *Authoritas PP. pro distinctione virtuali.*
8. *Perfectiones in DEO unitæ non minùs sunt objicibiles nostro intellectui, quam distinctæ in creaturis.*
9. *Inductione ostenditur necessitas distinctionis virtualis.*
10. *Inductione contradictoriorum probatur sufficientia distinctionis virtualis ad salvanda contradictoria.*
11. *Quomodo in identificatis omnia realia prædicata debeant esse idem?*
12. *Realis identitas actualis in Divinis semper est vera, non etiam virtualis.*
13. *Distinctio virtualis verificat propositionem negativam aliquo, sed non omni modo, quo distinctio realis actualis.*
14. *Non dantur actu contradictoria in DEO ante opus intellectûs.*
15. *Imaginariæ difficultates in distinctione virtuali, ejusq; comparatio cum formali ex natura rei.*
16. *Ratio salvandi contradictoria in distinct. virt. non est mera capacitas recipiendi denominationes contradictorias.*
17. *Distinctio virtualis salvat mysterium Trinitatis.*
18. *Non evertit, nec favet hæretico.*
19. *Quomodo in DEO non detur actus primus?*
20. *Quanam distinguantur distinctione virtuali extrinsecâ?*
21. *An & cur distinctio virtualis appelletur intrinseca & realis?*
22. *Videtur a DEO & Beatis.*

§. I.

Expositio distinctionis virtualis.

1. QUicquid de virtuali distinctione dicant, diviant, definiant RR. à nobis hoc nomine nihil aliud intelligitur, quàm *intrinseca eminentia divinæ perfectionis per simplicem complexionem omnium perfectionum, ad diversas lineas pertinentium* (hoc est in rebus creatis non ex sola limitatione, sed etiam ex formali diversitate distinctarũ) *præbens intellectui creato fundamentum varias denominationes etiam oppositas tribuendi.*

Dixi primò *esse intrinsecam eminentiam*, ut significarem non esse meram *æquivalentiam* vel *perinde se habentiam* cum aliquibus actu distinctis, aut meram connotationem ad creaturas, etsi enim certum sit, hanc eminentiam non esse sine æquipollentiâ cum formis inter creaturas distinctis; quia tamen hæc æquivalentia ita pè desumitur a solo extrinseco connotato, sub quo verificari non potest, sicuti per RR. ex connotatione duplicis loci idem corpus quamvis replicatũ datur virtualiter duplex, idẽ motus ex connotatione agentis & patientis est virtualiter duplex: & inde actio, hinc passio dicitur; ideo potiùs est distinctio virtualis extrinseca, quam intrinseca, quippe non ex aliquo sibi intrinseco & omni altero præsuppositò, sed ex aliquo extrinseco connotato distinctis æquivalens adeoque præbens fundamentum extrinsecum intellectûs unum ab altero distinguendi. Hæc autem in DEO non sufficit: quia pluralitas & distinctio attributorum est (ut loquitur S. D.) *ex proprietate ipsius rei, ex parte ipsius DEI in DEO tanquam radice verificante has conceptiones.* in 1. d. 22. q. un. a. 3. imò ut loquitur d. 2. q. 1. a. 3. nullis enim creaturis existentibus, *alia est in* DEO ratio bonitatis, & alia sapientiæ & ad 3. *Nomina, quæ proprie dicuntur de DEO, quantum ad significata per prius sunt in DEO, quam in creaturis; ut bonitas, sapientia & hujusmodi: & horum diversitas non nascitur per respectum* ad creaturas, imò potiùs è converso, &c. 2.

Dixi secundò *per simplicem complexionem præbens fundamentum, &c.* unde primò excluditur distinctio Scotistica ante intellectum actu distinguens attributa & perfectiones in DEO. Secundò inducitur ratio; cur ista distinctio virtualis sufficiat ad salvanda contradictoria, quia cùm formalitates limitatæ & actu distinctæ in creaturis præbeant intellectui diversos conceptus objectivos & denominationes; cur hoc ipsum non præstent quatenus in eminentissima radice divinæ simplicitatis continetur respectu intellectûs infinitatem divinæ perfectionis uno conceptu adæquare non valentis. Unde ex duplici capite hæc distinctio vocatur virtualis: primò quòd proveniat ex 3.

virtute, hoc est eminentia divinæ perfectionis: Secundò, quòd idem præstet in subministrando diversos objectivos conceptus, quod præstat actualis formalis distinctio perfectionum creatarum.

4. Tertiò indicatur hanc distinctionem virtualem non esse formaliter eandem cum distinctione rationis ratiocinatæ; sed realiter distinctam, tanquam fundamentum ipsius. Nam per distinctionem rationis ratiocinatæ, ceu membrum oppositum distinctioni rationis ratiocinantis, tam Philosophi quàm Theologi præsertim Thomistæ, intelligunt actualem distinctionem intellectûs, quippe conjunctam cum actuali præcisione, sive formali sive objectiva, neque diversitatem utriusque rationis ratiocinantis & ratiocinatæ in eo ponunt, quòd distinctio rationis ratiocinantis sit actualis in intellectu, distinctio verò rationis ratiocinatæ sit virtualis in ipso objecto; sed quia utraque est in intellectu, ita tamen ut distinctio rationis ratiocinantis habeat solum fundamentum ex ipsa cognitione, vel modo cognoscendi: distinctio verò rationis ratiocinatæ, habeat fundamentum ex parte ipsius rei & ante mentis operationem: quod fundamentum distinctionem fundamentalem vel magis Theologicè, virtualem appellamus.

Ita clarè S. D. in 1. d. 2. q. 1. a. 2. & 3. *Pluralitas inquit, seu diversitas istarum rationum, vel tantùm est ex parte intellectûs nostri* (en! ut admittat pluralitatem hoc est distinctionem ex parte ipsius intellectûs, utique actualem quia intellectûs unam rationem ab alia actu dividentis) *sed etiam ex parte ipsius DEI.* Ecce! fundamentum istius distinctionis, nempe divinam perfectionem, hoc est virtualem distinctionem. Et postea: *Sunt, inquit diversa ratione, non tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* & q. 7. de pot. a. 2. *quòd rationes in nostro intellectu distinctæ* (utique actualiter) *sint in DEO*, non actualiter, sed virtualiter, quia tanquam radice verificante has conceptiones.

5. Quæ licèt ex Philosophia notissima, pluribus indicare volui, ut videres quàm profundè ex imis Theologorum Thomistarum etiam Salisburgensium principiis meam doctrinam de virtuali distinctione, in Disputatione de DEO editam, impugnaverit quidam Recentior, qui in Thes. de SS. Trin. p. 124. ita contra me arguit. *Si hæc virtualis diversitas præbet præcisè fundamentum intellectui diversas denominationes formandi, quare ergo negat hic patronus* (virtualis distinctionis) *quod sua distinctio virtualis non sit aliqua distinctio rationis ratiocinatæ, veluti communiter alii Thomistæ, Salmanticenses aliique Salisburgenses affirmant, præsertim illud Almæ Salisb. Vniversitatis lumen, ac Rector olim Magnificus Alfonsus Stadlmair.* Sic ille.

Ego inquam, ideo hoc nego, meam distinctionem virtualem esse formaliter ipsam distinctionem rationis ratiocinatæ, quia volo consequenter loqui, & nolo mihi ipsi contradicere: contradicerem autem mihi ipsi, si postquam docui, distinctionem virtualem præbere fundamentum (ly *præcisè* non dixi) intellectui diversas denominationes formandi (hoc ipsum est actu & ratione distinguendo) tamen distinctionem virtualem à distinctione rationis ratiocinatæ non distinguerem. Siquidem reale fundamentum verificativum cujuscunque non tantùm distinctionis, sed & cognitionis, non potest esse ipsa distinctio vel cognitio distinguens; nam verificativum fundamentum cognitionis & distinctionis præsupponitur eidem, ut logicis est decantatum, sed juxta meam doctrinam rationis ratiocinatæ, per quam nempe noster intellectus de DEO varias denominationes format, fundamentum est distinctio virtualis: ergo hæc à distinctione rationis ratiocinatæ distinguitur: utique tanquam virtualis ab actuali, tanquam æquivalenter talis à formaliter tali, tanquam realis independens ab intellectu ab intentionali, tanquam radix à radicata, tanquam prior à posteriori.

Ideo præterea nego identitatem istam inter utramque distinctionem, quia sic clarè colligo ex doctrina S. D. qui cùm ex parte DEI astruat fundamentum & radicem nostrarum conceptionum, quas de DEO formamus, manifestè indicat distinctionem inter illud fundamentum (quod nos voce antiquioribus quidem non usurpatâ, nunc autem communi Theologorum consuetudine receptâ virtualem distinctionem nuncupamus) & nostras conceptiones seu distinctiones.

Negant mecum, quoscunque inspicere licuit, Scholæ Thomisticæ DD. quorum omnium loco sint Salmanticenses, quos contra me, sed nullo citato textu allegat Adversi. nam tr. 3. d. scient. DEI. disp. 1. dub. 3. n. 57. docent à DEO cognoscente se ipsum cognosci distinctionem virtualem intrinsecam, quia nimirum videt, *quòd sua simplicissima formalitas non minùs præstat propria plurium pertinentium ad distinctas lineas, quam si essent actu & formaliter plures, in quo ratio virtualis distinctionis revera talis consistit.*

Item disp. 4. d. vol. D. disp. 2. dub. 1. §. 3. n. 21. & dub. 2. n. 29. ubi dicunt: quod virtualiter ab alio distinguitur, præstat fundamentum ad hoc, ut denominetur actu & formaliter distinctum secundùm rationem.

Tandem etiam ex hoc capite nego identitatem inter distinctionem virtualem & rationis ratiocinatæ, quia hanc mecum & ante me negârunt & negant omnes Theologiæ DD. Salisburgenses, quicunque distinctionis virtualis fecêre mentionem, & in specie meus quondam Professor Colendissimus Magnificus & Reverendissimus D. Abbas VVeingartensis Alfonsus Stadlmair, cujus mentem non oculo tantùm sed aure & calamo excepi. Nam in disp. de DEO c. 3. §. 4. p. 37. ideo dicit, illa quæ virtualiter distinguuntur, etiam fundamentaliter distingui, *quia eadem attributa secundùm rem fundamenta sunt, quibus fiant variæ denominationes, varii conceptus &c.* Iterum p. 41. in fi. p. 36. se ipsum explicans & scrupulum Adversarii ex primæ frontis aspectu removens: *attributa*, inquit, *illa saltem virtualiter multa abstrahi possunt per intellectum, considerari distinctis conceptibus, & circa ipsa verificari contradictoria.* Vides quomodo præsupponat, adeoque distinguat virtualem pluralitatem

litatem à distinctione conceptuum, in quâ consistit distinctio rationis ratiocinatæ. Idem repetit p. 41. in fi. nec ipsi aliter unquam in mentem venisse mihi certum est. Sed de hoc in re clara satis.

6. Dixi præterea: *perfectionum ad diversas lineas pertinentium.* Sunt enim aliquæ formæ sive perfectiones, quæ propter materialem conditionem & limitationem subjecti distinguuntur; nihilominùs tamen ad idem genus pertinent, & sub una aliqua formalitate continentur. Sic omnes intellectiones, item species impressa, & expressa, principium radicale & proximum intelligendi pertinent ad unum idemque genus intelligendi, sicque dicuntur pertinere ad eandem lineam; econtra sunt aliæ formalitates, quæ in suo formali explicito conceptu ac definitione se invicem non includunt, nec dependentiam aliquam involvunt, ut sapientia, bonitas, omnipotentia, immensitas, intelligere, velle, & ista dicuntur pertinere ad diversas lineas. Itaque distinctio virtualis intrinseca dicit continentiam & æquivalentiam plurium formalitatum non ad eandem, sed ad diversas lineas pertinentium.

Cujus ratio est primò, quòd ut essentia divina præbeat nostro intellectui fundamentum intrinsecum aliquas formalitates actu distinguendi, debet dicere æquivalentiam earundem, ut plures sunt, non ut unum sunt; sed quando formalitates pertinent ad eandem lineam, æquivalet ipsis non ut plures, sed ut unum sunt, & sic etsi divinus intellectus æquivaleat infinitis intellectibus, non tamen ideo est à se ipso virtualiter distinctus. Minor. probatur, quidquid in DEO cum fundamento ex parte ipsius concipitur, debet concipi per modum actûs puri, & infiniti in illa linea, sed nisi concipiatur aliqua ratio simpliciter pertingens à prima & infima usque ad ultimam actualitatem lineæ, non concipitur ut actus purus & infinitus in illa linea: imò conciperetur cum aliqua imperfectione & perfectibilitate ab ulteriori actualitate illius lineæ, quæ repugnat conceptui actûs puri. ergo.

§. II

An per illam salventur contradictoria.

7. CONCLUSIO. *Datur in divinis prædicta distinctio virtualis intrinseca, & per eam necessariò & sufficienter salvantur contradictoria in DEO.*

1. p. probatur primò ex D. Dionysio. c. 7. d. div. nom. ita dicente: *omnia unitivè est secundùm unicam unitatis eminentiam, in quâ omnia singulariter congregata sunt, & superunita.* Item è D. August. qui l. 6. d. Trin. c. 14. Deitatem appellat, *simplicem multiplicitatem & multiplicem simplicitatem*, & l. 15. c. 17. *nec distent*, inquit, *in eis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio, sive charitas: sed unum aliquid* sit, quod omnia valeat. Ex quibus.

8. Probatur secundò ratione: Formas aliquas virtualiter intrinsecè distingui ex dictis nil aliud est, quàm illas in superiori ente simpliciter & tam formaliter, quàm eminenter collectas tantùm valere ad denominationes formales, & fundandos distinctos conceptus in intellectu creato, quantùm valent in inferioribus, ubi ex imbibita limitatione reperiuntur actu distinctæ: sed formalitates & rationes bonitatis, sapientiæ, essentiæ, relationis & quæcunquæ perfectiones simpliciter simplices reperiuntur in DEO, tanquam supremo ente, simplicissimè & non tantùm formaliter; sed eminenter contentæ & unitæ, eædemque præstant denominationes formales, quas præstarent in creaturis actu distinctæ: nam certè DEUS per suam essentiam quatenus est forma bonitatis est bonus, quatenus est forma justitiæ est justus &c. valet etiam ad fundandos distinctos conceptus, quia formalitates & perfectiones in unam essentiam divinam collectæ non minùs sunt rationes objicibiles nostro intellectui, quàm si reperiantur vel reperirentur distinctæ in rebus creatis: & non sunt rationes adæquatè objicibiles propter suam intrinsecam eminentiam, & nostri intellectûs imbecillitatem: ergo sunt inadæquatè, seu secundùm conceptus inadæquatos objicibiles: ita ut inadæquata objicibilitas, quam in creatis causat actualis formarum distinctio, hanc in ente increato fundet ipsius intrinseca eminentia & supergressio supra modum nostrum cognoscendi.

9. Secunda pars conclusionis, quòd ad salvanda contradictoria in DEO necessaria sit distinctio virtualis intrinseca, sequitur ex hactenus dictis. Ut enim noster intellectus sine falsitate aut contradictione non secundò, sed primòintentionaliter & realiter prædicata opposita & contradictoria de aliquo objecto affirmet & neget, requiritur ex parte objecti aliquod verificativum talis distinctivæ & oppositivæ cognitionis, sed hæc non est distinctio actualis realis, ut contra Porretanum fides docet: non actualis formalis ex natura rei, ut contra Scotistas concluſimus: non connotatio effectuum distinctorum creatorum: (quæ etiam distinctio virtualis extrinseca appellatur) hoc enim expressè negat S. D. in 1. d. 2. q. 1. a. 2. ubi rationem subjungit in resp. ad 3. his verbis: *Nomina, quæ propriè dicuntur de DEO, quantùm ad significata per prius sunt in DEO, quàm in creaturis; ut bonitas, sapientia, & hujusmodi:* & horum diversitas non nascitur per respectum ad creaturas: sed potiùs è converso, conditio quippe causæ, ut idem in seqq. habet, cognoscitur quidem ex conditionibus effectûs, non tamen conditio causæ verificatur propter conditiones effectûs. Neque sufficit ad salvanda contradictoria distinctio realis in tertio. Restat igitur, ut eminens complexio illarum formalitatum nostro intelligendi modo non adæquabilis, & æqualiter præstans, quæ præstant vel præstarent illæ formæ, si essent actu distinctæ, sit verificativum distinctionis factæ per intellectum, quam vocamus distinctionem rationis raciocinatæ, supra quam proximè fundantur propositiones contradictoriæ, ut *Verbum procedit per intellectum, non per voluntatem, &c.*

10. Tertia pars conclusionis de sufficientia distinctionis virtualis intrinsecæ ad salvanda contradictoria realia, probatur inductione contradictoriorum, quæ de DEO dici possunt in ordine ad effectum communem vel notionalem. Nam vel primò affirmantur contradictoria prædicata realia de perfectionibus absolutis & relativis ad se mutuò

comparatis: ut *essentia communicatur, paternitas non communicatur, Filius producitur, essentia non producitur, &c.* Vel secundò. affirmantur & negantur prædicata de perfectionibus absolutis inter se comparatis, veluti *voluntas est principium spirandi, intellectus non est principium spirandi: Filius procedit per intellectum, non procedit per voluntatem*, quæ duo genera contradictoriorum sunt maximè realia, in Conciliis & fide fundata sine exemplo in creaturis.

Vel tertiò prædicata absoluta quidditativa affirmantur & negantur de essentia & attributis inter se comparatis: ut, *essentia divina est radix proprietatum, attributa non sunt radix, &c.*

Vel quartò actus & effectus formales affirmantur & negantur de attributis inter se comparatis: ut, *DEVS est ubique per immensitatem, non est ubique per æternitatem: ratio sapientia non est ratio bonitatis, &c.*

Vel quintò affirmantur & negantur actus virtualiter transeuntes in effectus creatos de perfectionibus divinis: ut, *DEVS miseretur per misericordiam, non per justitiam.*

Atqui veritas omnium istorum prædicatorum in speciem oppositorum salvatur sine contradictione (quod est salvari contradictoria in DEO) per distinctionem virtualem intrinsecam: tunc enim non est ampliùs contradictio, quando non affirmatur & negatur idem de eodem secundùm idem, sed quicquid in enumeratis propositionibus de DEO affirmatur & negatur, non secundùm eandem sed diversas rationes, actu quidem diversas per intellectum, fundamentaliter verò & virtualiter diversas per eminentiam divinæ perfectionis, easdem formalitates, earumque denominationes sub speciebus inadæquatis intellectui distinctè objicientis, ac si illæ forent actu distinctæ.

§. III.

Solvuntur objectiones.

11. Displicet iste modus salvandi contradictoria Veckeno Esparzæ, Derkennis, Erhardt & pluribus aliis, ideoque objiciunt primò. Quæ inter se sunt realiter idem, eorum quoque omnia prædicata sunt realiter idem: sicuti quia Petrus est secum idem, omnia quoque realia prædicata Petri sunt idem cum Petro: sed quodlibet attributum divinum est adæquatè idem cum altero attributo: ergo etiam omnia realia prædicata unius attributi adæquatè identificantur cum realibus prædicatis alterius. E. g. amor identificatus cum voluntate, etiam identificatur cum intellectu divino identificato cum voluntate; & consequenter non potest in aliquo sensu reali negari de illo: quia ubi est realis identitas, ibi non potest negari identitas: sed inter hæc prædicata absoluta attributorum est adæquata realis identitas: ergo de iis in aliquo sensu reali negari non possunt: adeoque de iis contradictoria in sensu reali prædicari non possunt.

Respondeo dist. maj. quæ realiter sunt idem, eorum quoque omnia prædicata sunt realiter idem, eo genere identitatis, quo ista sunt idem, concedo, alio, nego, sed quodlibet attributum divinum est idem cum altero, genere identitatis realis actualis, concedo; tam actualis, quàm virtualis, nego min. & conseq.

Ad prob. Ubi est realis identitas, non potest negari identitas, quo modo est identitas, conc. quo modo non est, nego: sed est adæquata identitas v. g. inter amorem & intellectum, realis actualis, conc. virtualis nego min. & similiter dist. consequens.

Rursus si dicas: si hæc propositio negativa esset vera in aliquo sensu reali: *DEVS non miseretur per justitiam*: jam in sensu reali ante intellectum in DEO prædicatum miserendi esset realiter diversum ab attributo Justitiæ: sed hoc est falsum, siquidem ante intellectum est adæquatè idem cum illo.

Resp. dist. seq. prædicatum miserendi ante intellectum esset realiter virtute diversum conc. actu, nego. & ideo ante intellectum in divinis non dantur actu & formaliter prædicata contradictoria, ut *misereri non misereri, produci non produci*; sed virtute & fundamentaliter: dantur nimirum hæ formalitates, sive una simplex quidditas divinæ essentiæ fundans in nostro intellectu sub statu præcisionis ejusmodi oppositas denominationes.

Objicies secundò. Ubi realis identitas semper est vera, ibi negatio identitatis semper est falsa: sed realis identitas v. g. inter justitiam & actum miserendi semper est vera: ergo negatio realis hujus identitatis semper est falsa: & consequenter vi distinctionis virtualis non potest prædicatum, quod affirmatur de una veritate, v. g. *misereri*, quod affirmatur de misericordia, cum veritate realiter negari de altera perfectione v. g. de *justitia*. 12.

Respondeo similiter distinguendo minorem: Realis actualis identitas semper est vera, conc. tam virtualis quàm actualis, nego. ergo actualis realis identitas non potest negari, conc. virtualis nego consequent.

Instabis. Distinctio virtualis debet esse verificativum propositionis negativæ, quo modo illam verificaret actualis distinctio extremorum: sed ista etiam verificaret quoad negationem actualis identitatis, ergo. 13.

Resp. Debet esse verificativum aliquo modo, quo verificaret actualis distinctio, conc. omni modo, nego. eo nimirum modo, quòd sicuti distinctio actualis præbet intellectui plures rationes objectivas correspondentes utrique membro contradictionis, sic etiam distinctio virtualis in una simplici essentia cuilibet membro contradictionis offerat suam rationem objectivam, in qua non exprimitur inclusio & identitas unius rationis cum altera, sicque tollatur contradictio ejusdem secundùm idem.

Objicies tertiò. Prædicata realiter contradictoria, quæ rei actu conveniunt ante intellectum, requirunt realem actualem distinctionem; sed *communicari, non communicari, produci, non produci*, sunt ejusmodi prædicata, quæ independenter à nostro intellectu actu dantur in divinis: nam nemine cogitante est fidei veritas, quòd *essentia communicetur, paternitas non communicetur: filius producatur, essentia non producatur*: ergo requirit realem 14.

lem actualem distinctionem. Major constat, quia cùm idem non possit actu simul esse & non esse, quæ sunt contradictoria: debet in illa inveniri aliqua saltem inadæquata realis & actualis distinctio.

Resp. neg. min. nam actu à parte rei priusquam noster intellectus præcisivo & inadæquato conceptu distinctionem format inter essentiam & personalitates, datur quidem fundamentū reale ipsius contradictionis, quod est divina essentia, quatenus continens absolutam perfectionem naturæ se communicans, & quatenus continens formam relativam paternitatis filium respiciens, eumque producens: nondum tamen datur negatio non productionis, non communicationis: hæc quippe primùm superadditur ab intellectu creato unam rationem ab altera præscindente, & mutuò opponente.

15. Objic. quartò. Distinctio virtualis realis patitur easdem vel majores difficultates, ac distinctio realis formalis Scotistarum: ergo non est idonea ad explicandas difficultates contradictoriarum propositionum. Antecedens probatur multipliciter. Nam primò. Hæc distinctio in respondendo petit principium, respondet per id quod est in controversia, & explicat unum obscurum per aliud æquè obscurum. Nam quæstio est, quomodo de objecto prorsus simplici, v. g. de essentia & paternitate verificari possint contradictoria.

Respondetur: Ideo verificari, quia etsi objectum sit idem & simplex formaliter, est tamen distinctum & multiplex virtualiter. Si ulterius petas, cur de objecto virtualiter multiplici verificentur contradictoria?

Respondent iterum: quia formalitates virtualiter distinctæ habent capacitatem recipiendi contradictoria, ac si essent formalitates actu formaliter distinctæ, siquidem actu distinctis æquivalent. En! inquit, Mastrius, manifesta petitio principii, ideo nempe de essentia & relatione possunt dici contradictoria, quia est capax contradictoriorum, seu quia potest recipere contradictoria, quod est idem per idem dicere. Addunt aliqui: sicuti Scotistæ explicando formalem distinctionem ex natura rei per formalitates actu distinctas recurrunt in circulum vitiosum; sic & Thomistæ explicantes distinctionem virtualem per distinctas virtualitates.

Secundò. quia hæc distinctio virtualis habet eandem difficultatem, quam habet mysterium Trinitatis, adeoque est inutilis ad solvendas objectiones contra hoc mysterium. Nam difficultas mysterii SS. Trinitatis est, quòd simplicitas divinæ essentiæ compatiatur realem distinctionem personarum & relationum, quæ simplicissimè cum essentia identificantur: sed hoc ipsum dicit virtualis distinctio, salvâ nimirum simplicissimâ identitate inter essentiam & relationem, *relationem produci, essentiam non produci*, & in ordine ad verificanda contradictoria essentiam divinam æquivalere formis distinctis.

Tertiò. Hæreticus non minùs posset eludere mysterium Trinitatis per distinctionem virtualem, quàm formalem; si nimirum diceret, inter produci, & productum debet esse distinctio actualis, vel virtualis, conc. semper actualis, nego.

16. Respondeo. Has objectiones procedere ex malo supposito, quasi nimirum distinctio virtualis sit mera capacitas recipiendi contradictoria: cùm sit potiùs in recto eminentia divinæ actualitatis sibi simplicissimè identificantis omnem formalitatem exclusivam imperfectionis, & consequenter etiam formales effectus, ac propria munera illarum formarum, quæ ab intellectu creato uno conceptu adæquari non possunt, quod certè tam clarum est, ut à nemine vocari possit in dubium.

Unde ad 1. Resp. falsum esse in nostra Thomistica sententia (quicquid RR. de distinctione virtuali aliter loquantur) quòd hæc sit ultimata ratio salvandi contradictoria, quia formalitates in DEO receptæ habent capacitatem recipiendi prædicata contradictoria: Sed ratio est: quia Divinæ actualitatis eminentia formaliter continet omnes perfectiones simpliciter simplices; ex quo sequitur, quòd etiam præstet omnes illarum denominationes unitim in intellectu videnti divinam essentiam, ut in se est; divisim verò in intellectu diminutim & divisim illam cognoscente: unde prout subsstat ejusmodi inadæquatis conceptibus, recipere debet contradictoria; non autem prout subsstat intuitivæ cognitioni. Neque verum est (ut opponitur in additamento) quòd distinctio virtualis dicatur à diversis virtualitatibus; sed ab eminentia perfectionis æquipollente pluribus formis distinctis.

17. Ad 2. quoque Resp. optimè per distinctionem virtualem (meliori quo fieri potest modo) tolli contradictionem, quæ objicitur contra mysterium SS. Trinitatis: quia enim actus purus & ens infinitum debet sibi identificare omnem lineam entis (quod non est principium obscurum & dubium, sed etiam ab Adversariis concessum) consequenter identificat sibi formam omnem tam absolutam quàm relativam; adeoque etiam propria illarum formarum: atqui proprium est omnis formæ absolutæ simpliciter simplicis per se non excludere aliam formam & perfectionem simpliciter simplicem æquè perfectam aut perfectiorem; proprium verò formæ relativæ est, excludere à sua identitate relationem sibi terminativè & relativè oppositam: ex quo consequitur, in DEO summam esse identitatem omnium personarum in perfectionibus absolutis, esse verò distinctionem in perfectionibus relativis, in quo fundatur tota difficultas mysterii sanctissimæ Trinitatis.

18. Ad 3. nego seq. quia fides docet (cujus rationem extra revelationem Divinam per SS. Script. manifestatam petere ineptum est & frivolum) secundam Personam non tantùm fundamentaliter aut virtualiter, sed realiter & formaliter esse Filium, adeoque & primam Personam esse realiter formaliter Patrem, consequenter dari formalem realem oppositionem relativam inter ipsas: adeoque rursus Filium realiter formaliter procedere, generari, produci.

§. IV.

Corrollaria.

1. INferes primò. In DEO non dari rationem actûs primi virtualiter intrinsecè distincti ab actu secundo: quia videlicet actus primus in conceptu suo objectivo formaliter importat potentiam in

eadem linea perfectibilem ab actu secundo, qui conceptus est repugnans DEO, ceu actui puro. Ex quo sequitur, nec vitam primam radicalem distinctam à vita secunda, nec potentiam executivam ut virtualiter distinctam ab actu imperii, neque intellectum vel voluntatem ab actu intelligendi vel volendi virtualiter distingui, aut à nostro intellectu cum fundamento intrinseco ex parte rei conceptæ ab actu distingui posse.

Dixi *cum fundamento intrinseco*, si enim hæc divina distinguuat, propter comparationem & analogiam ad res & effectus creatos, in quibus ratio actûs primi ab actu secundo distincta reperitur, fundamentum hujus actualis distinctionis non erit intrinseca DEI perfectio, quæ omnia ad eandem lineam pertinentia sibi identificat, sed extrinseca rerû creatarum limitatio, à qua oritur rerum in eadem linea contentarum distinctio. Unde ejusmodi distinctio non nisi ex imperfecto modo res divinas ad instar rerum creatarum concipiendi contingit.

20. Inferes secundò. Neque ratione speciei impressæ & expressæ, vel ab invicem, vel ab actu secundo intelligendi, nec objectum primarium intellectûs ab intellectu, neque scientiam visionis à scientia simplicis intelligentiæ, aut voluntatem antecedentem à consequente, neque partes virtuales æternitatis inter se invicem, neque decreta DEI libera, & particulares rationes Omnipotentiæ divinæ, ut potentiam creandi hominem, Angelum, neque Ideas divinas, &c. inter se virtualiter intrinsecè distingui: quia nimirùm hæc singula enumerata non pertinent ad diversas lineas, & ea quæ secundo loco attulimus, in DEO ratione nostrâ distinguuntur tantùm propter connotationem ad objecta materialia & res creatas DEO extrinsecas.

Unde omnia contradictoria, quæ de ejusmodi formalitatibus prædicantur, per solam distinctionem virtualem extrinsecam salvantur, ut: *scientia simplicis intelligentiæ non est de absolutè futuris: scientia visionis est de absolutè futuris. Omnes homines salvantur, quas DEVS voluntate consequente vult salvos fieri: non omnes homines salvantur, quos DEVS voluntate antecedente vult salvos fieri, &c.* Quò pertinent illa quoque contradictoria: *Materia prima participat à DEO rationem entis, non rationem actûs. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ, non divinæ intellectionis, &c.* Hæc enim omnia dicuntur de divinis solummodò propter connotationem ad res & effectus creatos, in quibus divina perfectio diminutè participatur: ipsa verò distinctio, cùm ex parte distinctorum essentialiter limitationem involuat, intrinsecum in DEO fundamentum non habet.

Inferes tertiò. Distinctionem virtualem, 21
quam inter attributa, divinamque essentiam statuimus, rectè appellari realem intrinsecam, non tamen actualem, vel formalem. Realis intrinseca est, quia ponitur in intima virtute & perfectione objecti, quam consequitur æquipollentia cum plutibus ut pluta sunt; non est autem actualis, vel formalis, quia ly *formale* absolutè prolatum formalizat, & ly *actuale* actualizat distinctionem, ut advertit Cacheran. c. 3. §. 5. nostra autem virtualis distinctio, non significat extrema actu & formaliter distincta, cùm per ly *virtuale* ceu terminum alienantem, extrahatur à ratione veræ distinctionis, eique propter inclusam simplicissimam identitatem opponatur. Quodsi velis ly *actuale* non cadere supra distinctionem, sed supra rem vel existentiam rei virtute distinctæ, ut etiam ly *formale* cadere supra formalitates, non supra distinctionem, litem movebis de nomine, & in re quidem nobiscum senties, (quis enim dubitat, infinitam DEI perfectionem actu & formaliter esse in DEO?) aberrabis autem à communi modo loquendi.

Inferes quartò. DEUM & Beatos per visionem 22
beatificam (1.) cognoscere distinctionem virtualem divinarum perfectionum: (2.) illas tamen in hac visione actu nequaquam distingui: (3) neque de ipsis contradictoria affirmari. Ratio primi est: quia DEUS & Beati vident DEUM, *sicuti est*, adeoque quidquid realiter intrinsecè est in DEO; sed distinctio virtualis realiter intrinsecè est in DEO, ergo. Extra visionem tamen Beati actu hæc prædicata distinguunt, prout docet S. D. in 1. dist. 2. q. 1. a. 3. dicens: *quòd intellectus videns DEVM, unum nomen potest imponere DEO, quod non significat sapientiam, & bonitatem, aut aliquid hujusmodi, sed significata omnium istorum includeret, sed si videns DEVM mediante conceptione suâ* (hoc est extra Verbum) *imponeret nomen DEO, necessariò deberet imponere plura nomina sapientiæ, bonitatis, &c.* ac proinde, ut advertit S. Chrys. à S. Doct. cit. alii cum Seraphinis DEUM laudant ut Sanctum, alii ut Justum, alii ut misericordem, &c. Ratio tertii est, quòd actus formalis contradictionis supponat priùs factam extremorum divisionem per intellectum: sed ista non datur in visione secundùm dicta, ergò.

ARTICULUS V.

An & quomodo essentia in attributis ac relationibus, & relationes ac attributa tum in essentia tum in se ipsis includantur?

SUMMARIA.

1. *Includuntur in se formaliter.*
2. *Alias essent in privativa potentia ad se invicem.*
3. *Non datur inter illa distinctio excludentis & exclusi.*
4. *Prævia ad distinctionem qualis requiratur præcisio intellectûs?*
5. *Essentia & attributa de se prædicantur in abstracto & formaliter.*
6. *Authoritates objectæ exponuntur.*

7. *Alia*

7. *Aliæ vicissim retorquentur.*
8. *Objecta absurda ex inclusione & transcendentiâ.*
9. *In divinis nihil includitur per modum partis.*
10. *Nec est absurda transcendentia prædicatorum.*

§. I.

Astruitur formalis & mutua prædicatorum inclusio.

1. CONCLUSIO. *Natura Divina includitur formaliter implicitè in attributis & relationibus; & vicissim relationes & attributa in natura; ipsaque attributa inter se.* Ita Gonet, Suarez, Granado, & commun. Thomistarum.

Ratio est: De ratione actûs puri est, ut in se formaliter contineat omnem formam, seu quidditatem formaliter perfectam, & simpliciter simplicem: sed divina essentia, cunctaque, quæ de DEO formaliter dicuntur, sunt actus purus: ergo quælibet forma vel perfectio debet in se reliquas formaliter includere & continere. Unde cum S. D. in 1. d. 2. q. 1. a. 2. dicit, *quòd ratio sapientiæ non est ratio bonitatis in quantum hujusmodi;* loquitur de ipsis quatenus substant nostris præcisivis conceptibus, non quatenus accipiuntur ex parte DEI.

2. Confirm. Nisi ex prædictis perfectionibus una alteram formaliter includeret, tunc esset in potentia ad illam, sicuti genus est in potentia ad differentiam, ac proinde posset cum illa constituere compositionem metaphysicam vel logicam: sed hoc repugnat simplicitati & perfectioni actûs purissimi: ergo. seq. probatur. Ubi datur distinctio excludentis & excluſi, ibi una formalitas est in potentia ad alteram tanquam actum perficientem & complentem, uti constat in conceptu generis; sed nisi una perfectio alteram formaliter includat, datur inter illas distinctio excludentis & excluſi: quia una perfectè separatur & præscinditur ab altera, tanquam nihil ipsius actu & formaliter continens: ergo.

3. Unde Inf. primò. In prædictis Divinis perfectionibus non dari distinctionem *excludentis & excluſi*, nempe per modum gradûs potentialis privativè indifferentis & contrahibilis à superaddita perfectione: sed dari distinctionem secundùm conceptum *explicitum & implicitum*; in quantum una perfectio, quamvis alteram actu formaliter contineat, illâ tamen quasi suppressâ sua solùm formalia prædicata manifestat & exprimat intellectui, quem tantarum perfectionum copia ad omnia assequenda reddit inopem.

4. Inf. 2. Ut una perfectio absoluta ab altera absoluta, vel relativa distinguatur, aut de ipsis contradistinctis affirmentur contradictoria, prævie requiri præcisionem intellectûs in unam potiùs quàm alteram perfectionem defixi. An porro illa præcisio vocanda sit objectiva, vel formalis? (de quibus multa Philosophi) existimo parùm referre ad propositû quocunque enim nomine exprimatur, sufficit ad salvanda contradictoria, & distinctionem rationis ratiocinatæ, de quo erat quæstio.

Videntur quoque utriusque sententiæ defensores magis in modo loquendi, quàm in ipsa re dissentire: Nam qui negant præcisionem objectivam, supponunt talem præcisionem, per quam ex parte conceptûs objectivi una formalitas excludat alteram, tanquam potentia actum, & gradus generícus differentiam. quòd cum ex parte DEI cum fundamento non possit admitti, & aliunde constet, quidquid de DEO rectè concipitur, concipiendum esse ad modum actûs puri: actus autem purus implicitè saltem includat *omnem perfectionem*, ideo volunt hanc præcisionem tantùm esse, secundùm modum cognoscendi explicitum & implicitum. Verùm Defensores meliores objectivæ præcisionis in divinis, ut ex nostris præcitati Reverendissimi Stadlmair & Reding, plùs non volunt per objectivam præcisionem, quàm quòd in statu objectivo & repræsentativo una formalitas cognoscenti relucеat, alterâ nequaquam relucente, quantumvis à parte rei & in statu reali una etiam formaliter includatur in altera: quod equidem negari non posse existimo, cùm Unitas Divinæ essentiæ ratione naturali sit, & possit esse cognita, Trinitas tamen & relationes personarum ratione naturali nec sint, nec possint esse cognitæ.

Nec ista præcisio propterea est propriè excludentis & excluſi: qua una formalitas ab altera non præscinditur privativè tanquam potentia ab actu; sed negativè, tanquam non includens alteram in statu objectivo & repræsentativo: unde etiam ex hoc nihil sequitur imperfectionis ex parte conceptûs objectivi, cùm fundamentum istius præcisionis non sit potentialitas objecti, ut est in homine v. g. animalitas, sed infinita actualitas.

Inf. 3. Essentiam & attributa divina non tantùm identicè, sed formaliter & in abstracto de se mutuò prædicari posse, uti etiam essentia de relationibus & vicissim, nisi ex parte subjecti vel prædicati significetur explicita & reduplicata ratio essentiæ, vel attributi. Itaque istæ propositiones, *DEVS est sua sapientia: in DEO sapientia est Justitia: Intellectus DEI est voluntas DEI: Paternitas est essentia, &c.* non minùs sunt formales prædicationes, quàm istæ: *bonitas est ens*, vel, *bonitas est veritas*, quia abstracta, quæ formaliter sibi identificantur, & in se mutuò formaliter continentur, etiam de se mutuò formaliter prædicantur, sed ita se habent prædicata divina: ergo. Econtra istæ propositiones sunt falsæ: *DEVS est ubique per æternitatem, DEVS ut immensus creat, essentia est attributum, ratio seu attributum misericordiæ est ratio seu attributum sapientiæ, DEVS amat per intellectum, Verbum procedit per voluntatem, &c.* quia in his omnibus prædicationibus adhibentur termini significantes reduplicatum & explicitum conceptum formalitatis ut virtualiter distinctæ, quatenus autem exprimitur & reduplicatur ipsa virtualis distinctio ex parte rei, & actualis facta per intellectum, earenus identitas unius cum altero exprimi non potest; aliàs secundùm eundem explicitum conceptum conciperetur idem & non idem, quod implicat. 5.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjic. primò authorit. S. Doct. in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1. dicentis: *in divinis alia est ratio scientiæ & substantiæ &c.* & SS. PP. Bern. 5. de consid. 6.

consid. c. 5. ubi dicit, *DEVS amat ut charitas, novit ut veritas, sed & ut æquitas, dominatur ut Majestas, &c. regit ut principium, tuetur ut solus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas.* Item S. August. 15. de Trinit. c. 5. *Si dicam æternus, immortalis, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum, quod posui, videtur significare substantiam, cætera verò hujus substantiæ qualitates.*

Resp. Has omnes & similes authoritates commodissimè intelligi de distinctione penes explicitum & implicitum, unde quamvis implicitè ratio scientiæ divinæ sit etiam ratio substantiæ, non tamen est explicitè, qui sensus in ejusmodi oppositis locutionibus exprimitur.

7. Imò non minus graves sunt authorit: SS. PP. quæ intimam inclusionem unius attributi in alio suadent, veluti apud S. Anselmum in Monol. c. 16. cùm dicit: *Idem est, quodlibet illorum, quod omnia sunt simul, sive singula, &c.* Et post pauca: *cùm aliquis homo dicatur corpus, & rationalis, & homo: non uno modo vel consideratione hæc tria dicitur. Secundùm aliud enim est corpus, & secundùm aliud rationale, & singulum horum non est totum id, quod est homo. Illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, ut illud idem secundùm alium modum, aut secundùm aliam considerationem non sit; quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsa est.* Atqui si daretur distinctio excludentis & excluſi, jam aliquâ ratione & *consideratione illa summa essentia non esset, quod alia consideratione est.*

8. Objic. 2. Cacheranus plura absurda primò, quòd idem simul esset totum & pars, continens & contentum: quia quodlibet attributum continetur in essentia, tanquam pars & aliquid ipsius; ac rursus includeret & contineret essentiam, tanquam partem sui.

Secundò. Quòd omnia divina prædicata forent transcendentia contra communem divisionem, quâ divina prædicata dividuntur in transcendentia, quæ per omnes divinas perfectiones vagantur, ut esse æternum, increatum, infinitum &c. & non transcendentia, quæ important perfectiones non vagas, sed determinatas, quæ propriè sunt attributa, ut esse sapientem, omnipotentem &c.

Tertiò. Quòd omnia prædicata divina etiam in sensu reduplicativo possent de se invicem affirmari, adeoque dici, *Intellectus ut intellectus vult, &c.* sequela probatur. Ens quia transcendit interiora, potest in sensu reduplicativo dici: *Substantia ut substantia est ens: intellectio creata ut intellectio creata inhæret.* quia ratio inhærentiæ quamvis implicitè tantùm; importatur nihilominus in ratione intellectionis creatæ: ergo etiam si unum attributum contineatur in altero, quamvis implicitè; debebit de illo affirmari in sensu reduplicativo.

Resp. ad 1. neg. sequelam, ad cujus probatio- 9.
nem etiam nego antec. nam attributa continentur in essentia per modum simplicitatis; non per modum partis, quemadmodum de constitutivo sup. dixi & ideò S. August. l. 11. de civ. c. 10. de DEO dicit: *quidquid habet, hoc est, excepto, quod relative ad alterum est.*

Ad 2. nego esse absurdum, quòd omnia prædi- 10.
cata divina sint transcendentia, & aio, hoc esse de ratione actûs puri. Illam porro divisionem prædicatorum in transcendentia & non transcendentia dico pertinere ad modum significandi, non ad rem significatam. Ad 3. in primis retorqueo argumentum: nam falsum est, quòd ens ut ens sit bonum; quantumvis transcendat bonitatem, &c. falsum quoque est, *Immensitas quatalis est æternitas*, & tamen per Adversarios utrumque est prædicatum transcendens, ergo ex transcendentia alicujus prædicati non rectè infertur, quòd in sensu reduplicativo possit de altero prædicari, & ideò Resp. 2. neg. antec. cùm enim reduplicatio non cadat supra id, quod implicitè & materialiter, sed quod explicitè & formaliter continetur in subjecto, falsum est, quòd substantia quâ talis sit Ens, hoc enim est ipsi materiale & commune cum accidente, sed quòd sit per se existens: aliàs cur non etiam verum esset, *Petrus quà Petrus, homo quà homo est ens*, quod tamen Dialectici non concesserint. Ad alteram quoque propositionem, *intellectio creata quà intellectio creata inhæret.* Resp. Nec illam esse veram, siquidem explicitus conceptus creaturæ non dicit esse *in alio*, sed *ab alio.*

DISPUTATIO V.

DE

Attributis Divinis in specie.

Consideratis attributis divinis in communi, ad eadem in particulari consideranda accedimus & illa hoc capite complectimur, quæ ad esse DEI pertinent, ac magna ex parte negativis nominibus efferuntur, ut simplicitas, infinitas, immutabilitas, &c. De illis verò, quæ ad operationem pertinent, ut scientia, providentia, cum S. Doct. specialibus titulis inf. dicemus.

AR-

ARTICULUS I.

De Bonitate, veritate & unitate DEI.

SUMMARIA.

1. *Triplex datur perfectio.*
2. *Quid sit perfectio secundùm quid, & simpliciter simplex.*
3. *Tres conditiones ad perfectionem simpliciter simplicem.*
4. *Triplex bonitas in rebus.*
5. *Bonum quomodo diffusivum sui?*
6. *DEVS optimus omni genere bonitatis.*
7. *Continet formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem.*
8. *Diffusivus sui.*
9. *An creaturæ cum DEO simul sumptæ faciant complexum majus?*
10. *An DEVS possit creare creaturam perfectissimam?*
11. *DEVS est maximè unus, quia est suum esse.*
12. *Multitudo destruit perfectionem.*
13. *Veritas in DEO reperitur omnibus modis.*

§. I.

Bonitas DEI.

1. NOtandum primò. Dari triplicis generis perfectiones. Nam primò aliæ sunt simpliciter increatæ, quæ nulli nisi enti à se possunt competere, ut sunt infinitas, immensitas &c. Aliæ sunt purè & simpliciter creatæ, ut esse rationale, vegetativum &c. aliæ in suo proprio formali conceptu abstrahunt ab ente creato & increato, & utrique convenire possunt, ut vita, libertas, sapientia, bonitas &c.

2. Secundi generis perfectiones dicuntur *perfectiones secundùm quid*, quia in suo formali conceptu important limitationem & exclusionem alicujus perfectionis melioris se, ut esse lapidis excludit esse viventis &c. Primi & secundi generis perfectiones sunt & *dicuntur simpliciter simplices*. hoc est, ex D. Anselmo Monologii c. 14. *quarum qualibet est melior ipsa, quam non ipsa*, seu cujus formalem rationem enti ut sic melius est habere quàm non habere.

3. Unde triplex ad ejusmodi perfectionem conditio requiritur: prima est, ut sit forma realis intrinseca, non consistens in negatione, ente rationis, denominatione extrinseca. Secunda ut in formali, seu explicito conceptu dicat perfectionem, & non præscindat à perfectione, quemadmodum præscindere videtur relatio. Tertia, ut non excludat perfectionem æqualem, aut meliorem se, Sic v. g. vivere est perfectio simpliciter simplex, quia vita est forma realis positiva, dans perfectionem, quæ etsi excludat aliquam perfectionem minorem se, ut est esse lapidis, non tamen æqualem, aut majorem, ut est ratio scientiæ, bonitatis &c. ideoque enti secundùm se melius est vivere, quàm carere vitâ.

4. Notandum secundò. Bonitatem triplicem inveniri in rebus. Unde est prima *bonitas absoluta & fundamentalis*, quâ illud bonum dicimus, cui nihil deest ex omnibus ad ejus perfectionem & integritatem in suo genere pertinentibus. Et sic idem est bonum, quod perfectivum secundùm S. D. 1. p. q. 4. a. 1. in c. Secunda est *bonitas respectiva*, seu transcendentalis, quæ est convenientia cum appetitu & voluntate, eamque consequitur appetitus. Tertia est *bonitas moralis* propria naturæ intellectuali, estque rectitudo & conformitas ad regulam rectæ rationis, quæ ut reperta in actibus liberis est actualis, in habentibus est habitualis, & quandoque justitia vel sanctitas appellatur.

5. Notandum tertiò. Bonum, præterquam quòd sit in se ipso perfectum, etiam esse perfectivum aliorum, ex quo dicitur *diffusivum sui*, idque vel effectivè, tribuendo esse alteri; vel formaliter, attrahendo & alliciendo appetitum. His pontis sit.

6. Conclusio. DEUS est per essentiam summum bonum, summeque bonus & perfectus omni genere bonitatis (2.) ideoque continet omnem perfectionem simpliciter simplicem formaliter, alias verò tantùm eminenter (3.) estque vel maximè diffusivus suæ bonitatis.

Prima pars probatur. Nam vel est sensus de bonitate absolutâ; & hoc ipso quòd DEUS est ens à se, suum esse, & actus purus essentialiter exclusivus omnis potentialitatis & limitationis, est in se perfectissimus. Vel est sensus de bonitate morali, & sic iterum ex eo, quòd DEUS est formalissimè suum esse, tam est per essentiam indefectibilis à recta regula operandi, quàm est indefectibilis à se ipso, ut indicatur Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus DEVS.* Levit. 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*, & 1. 6 *Sanctus sanctus, sanctus.* Vel tertiò est sensus de bonitate respectiva, & sic iterum DEUS ceu essentia per essentiam existens & infinitè intelligibilis est suum ipse primum volitum, & tam suus, quàm cujuslibet naturæ rationalis finis ultimus. quippe quæ aliunde quàm DEI visione & fruitione nequit satiari.

7. Secunda pars significatur. Ex. 33. ubi DEUS Moysi sui ostensionem promittens, *ostendam tibi*, inquit, *omne bonum*, ideoque D. August. in illud ps. 49. *Pulchritudo agri mecum est, quid enim*, inquit, *cum illo non est? cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cæli, cum illo omnia volatilia, quia ipse omnia.* Et ratio principaliter desumitur ex ratione entis à se per essentiam: quia essendi plenitudo includit omnem perfectionem (quælibet enim perfectio est quoddam esse) sed ex ratione entis à se & per essentiam DEUS est ipsa plenitudo essendi, sicut & actus purus, infinitus, causa omnis perfectionis, eamque proin vel formaliter, vel eminenter, præcontinet, ergo.

Quòd autem perfectiones secundùm quid non contineantur in DEO formaliter, ratio est: quòd illæ dicantur in DEO contineri formaliter, quæ DEUM formaliter denominant, sed solæ perfectiones simpliciter simplices eundem formaliter denominant: est quippe formaliter sanctus, justus, vivens, &c. DEO quoque tribuendum quod melius est, sed istas perfectiones formaliter habere, est melius, quàm non habere formaliter, ergò. Atqui per-

perfectiones secundùm quid DEUM non denominant formaliter propter adjunctam imperfectionem: neque enim DEUS nisi per metaphoram dicitur, Agnus, Leo, &c. ergo istæ perfectiones non sunt formaliter in DEO.

8. Tertia pars constat: quia DEUS est causa effectiva, idealis & finalis omnis creatæ perfectionis: quæ velut rivulus ex illo infinito fonte essendi participatè dimanat, ut eleganter expressit D. Aug. super ps. 134. dicens: *Omne aliud bonum, alio bonum est, solus verò DEVS est se ipso bonus; bonus omnium bonorum, bonum à quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, & bonum, quod sine cæteris bonum est.*

9. Quæres primò. Utrum DEUS & creaturæ simul sumptæ faciant aliquod complexum saltem extrinsecè majus & melius, quàm sit DEUS se solo seorsim sumptus?

Respondeo negativè cum S. D. in 1. 2. q. 34. a. 3. ad 2. & in hunc sensum D. Augustinus tr. 11. in Jo. *Si fueris sub DEO, minor eris, si fueris cum DEO, DEUS major non erit: vel ex se ille maior; sed tu sub illo minor.* Ratio est primò, quia finitum additum infinito non facit majus: sed DEUS est infinitè bonus; omnes creaturæ sunt quid finitum. ergo.

Secundò. Cùm omnis creata perfectio sit imperfectioni permixta, vel deberet facere majus bonum per additionem suæ imperfectionis, vel perfectionis: non imperfectionis, ut patet: non perfectionis, quia hæc modo infinitè præstantiori præcontinetur in DEO.

Quòd si tamen per ly *extrinsecè majus bonum*, nil aliud intelligas, quàm quòd sint plura bona habentia perfectionem, sic utique DEUS & creatura sunt quoad numerum habentium majus bonum, quàm solus DEUS, qui tamen loquendi modus est improprius.

10. Quæres secundò. An DEUS creare possit creaturam optimam seu perfectissimam?

Respondeo negativè: quia deberet creare alterum se: aut enim aliqua perfectio deesset illi creaturæ, aut non? si deesset, hoc ipso non esset perfectissima; si nulla deesset, foret actus purus, adeoque DEUS, & consequenter esset ex suppositione creatura, & simul ens increatum, quod implicat.

§. II.

Vnitas & Veritas DEI.

CONCLUSIO I. *DEVS est maximè unus* S. D. 11. q. 9. a. 3. & 4. Ratio ejusdem est primò. Idem formaliter est in DEO principium, quo est DEUS, & quo est hic DEUS: ergo DEUS maximè est unus. Antec. constat ex dictis: quia esse DEI est natura ipsius, & ipse est suum esse. Consequentia probatur. Per quod aliquid formaliter est immultiplicabile & indivisum, per illud principium est maximè unum: sed natura DEI per suum esse, quo constituitur natura DEI, etiam constituitur hæc natura immultiplicabilis: ergo hoc ipso debet esse maximè una.

Ratio petitur secundò ex infinitate divinæ perfectionis, quæ destrueretur per multiplicationem Deorum. Nam si darentur plures Dii, differrent ab invicem. Vel ergo id, in quo differrent, esset perfectio, vel imperfectio. Si imperfectio, hoc ipso non essent infinitè perfecti; si perfectio; jam unus non haberet omnem perfectionem, quam haberet alter; adeoque rursus non essent infinitè perfecti. 12.

CONCLUSIO II. *DEVS est summè verus.* Ratio est: quia veritas triplici modo potest accipi, primò quòd sit conformitas dicti ad mentem & conceptum dicentis, estque veritas in dicendo: Secundò quòd sit conformitas intellectûs ad rem cognitam, quæ est veritas in cognoscendo: ac tertiò, quòd sit conformitas rei cognitæ ad intellectum cognoscentem, & est veritas in essendo. Sed omnibus istis modis DEUS est summè verus, & quidem primò in dicendo, quia fallere non potest, ut ex instituto probant Theologi in tractatu de fide. Secundò etiam in cognoscendo & essendo, prout ipse indicat Jo. 14. de se dicens: *ego sum via, veritas, & vita*: Nam nulla est major conformitas rei cognitæ cum intellectu divino, quàm sit suamet essentiæ, ceu objecti connaturalissimi; hæc quippe est conformitas summæ identitatis, cùm ut ex S. D. supra vidimus, in ipso intellectus & intellectum, hoc est, essentia cognita, sint idem omnibus modis. Unde etiam est summa conformitas sui intellectûs partim cum objecto primario & connaturalissimo suamet essentiæ secundùm dicta, partim cum objecto secundario creaturarum: siquidem omnium illarum veritas in intellectu divino ideatur, & ab illa tanquam causa exemplari dependet. 13.

ARTICULUS II.

De simplicitate DEI.

SUMMARIA.

1. *Simplicitatis definitio.*
2. *Et divisio.*
3. *DEVM esse simplicissimum probat esse à se.*
4. *Ratio actus primi,*
5. *Et infinitæ perfectio.*
6. *Hinc excluditur compositio physica.*
7. *Neque admittitur compositio ex subjecto & accidente.*
8. *Neque metaphysica.*
9. *Neque logica.*
10. *Attributa junguntur essentiæ per intellectum, non propriè componuntur.*
11. *Datur in DEO fundamentum distinguendi, non componendi per rationem.*
12. *An actualis prædicatio componat.*
13. *Implicat DEVM componere per modum partis.*
14. *Non implicat componere per modum termini, & formæ totalis.*
15. *Quomodo simplicitas sit perfectio simpliciter simplex.*
16. *Analogicè abstracta non est perfectio.*
17. *Compositio est perfectio secundum quid.*
18. *Mysterium SS. Trinitatis non obest simplicitati.*

§. I.

§. I.

Exponitur & astruitur simplicitas DEI.

1. NOtandum primò. Simplicitatem, quæ hoc loco significat modum entis oppositum compositioni, communiter & rectè definiri, quòd sit *unitas expers compositionis.* ubi per ly *unitas* removetur multitudo incomposita, seu plura per accidens aggregata: per ly *expers compositionis* genus unitatis, quod est etiam commune compositis, contrahitur ad simplicia, sicque partes, earumque actualis distinctio removetur: siquidem compositio est distinctorum unio.

2. Notandum secundò. Simplicitatem rectè dividi in absolutam, quæ est rei in se ipsa, & respectivam, quæ est in ordine ad aliud. Prior opponitur compositioni intrinsecæ, posterior extrinsecæ. Compositio intrinseca & ad intra, quæ etiam dicitur *compositio hujus ex his*, denominat aliquid passivè compositum in se ipso, eaque triplex numeratur; nempe physica ex materia & forma: partibus integrantibus: subjecto & accidente: metaphysica ex essentia, & existentia, supposito & natura; logica ex genere & differentia. Compositio extrinseca, vel ad extra est duplex: primò compositio *hujus cum his*, quæ denominat aliquid activè componens cum alio à se distincto, veluti forma substantialis, quamvis in se physicè simplex, tamen venit in compositionem cum materia prima à se distincta. Quibus communiter in tract. de Incarn. additur compositio *in his*, hoc est, conjunctio extremorum in aliquo medio dante, non accipiente unitatem ab illis, ut est in Christo conjunctio duarum naturarum in persona Verbi, de quibus suo loco.

3. CONCLUSIO. *DEUS est realiter formaliter simplicissimus simplicitate excludente omnem realem passivam compositionem.* Est quoad realem simplicitatem de fide, ex Conc. Lateran. in *c. firmiter*, & Florent. supra disp. 4. a. 1. §. 2. allegatis, adstipulantibus SS. PP. ibidem adductis, quibus addimus Boëtium de Trin. loquentem.

Simplex esse, simplex posse,
Simplex velle, simplex nôsse,
Cuncta sunt simplicia.

Ratio S. D. è SS. PP. desumpta est primò. Ens primum & à se non potest esse compositum: DEUS est ens primum & à se: ergo. Major probatur: Omne compositum est naturâ posterius suis partibus, tanquam elementis & principiis, è quibus componitur, requirit etiam causam, quæ illas partes inter se uniat: unde D. Ambros. tr. in symb. c. 1. *DEUS compositus esse non potest: cùm aliqua eo anteriora extitisse sit nefas* & Cyrill. Alex. l. 3. thes. c. 4. *quomodo Pater omnium rerum principium erit, si non simplex, sed compositus erit? primum enim simpliciter haud quaquam compositum esse potest, quia nihil potest præintelligi, à quo componatur, &c.*

4. Ratio est secundò: Omnis compositio dicit imperfectionem actui puro infinitè perfecto repugnantem: ergo in DEO non habet locum. Antec. constat partim: quia quælibet pars intrinsecè componens est imperfectior suo toto; cùm totum sit aliquid, quod non est pars: partim quia est in potentia ad totum: ideoque D. Damasc. l. 1 d. fide orthod. *quidquid ex pluribus componitur, ex imperfectis constatur.* Adde quòd pars non est ipsum totum, atqui in DEO nihil potest esse, quod non sit DEUS: alioquin jam esset ens creatum: ergo.

5. Ratio est tertiò. Quidquid est perfectius, de DEO dici debet: sed esse simplicem cæteris paribus est perfectius, quàm esse compositum: dicit enim modum habendi suas perfectiones sine indigentia, collectiorem magisque unitum, ideoque præstantiorem, prout agnoscit D. August. l. d. quant. animæ c. 11. dicens: *omne simplex est perfectius composito.* Et D. Anſ. de Incarn. V. c. 8. *vero judicio simplex multiplici antefertur.*

§. II

Corollaria.

6. INferes primò. Non esse in DEO admittendam aliquam compositionem, neque ex materia & forma, neque ex partibus integrantibus quantitativis, neque ex potentia & actu, siquidem est actus purus, adeoque omnis materiæ potentiæque expers.

7. Inferes secundò. In DEO non dari compositionem ex subjecto, & accidente. Id enim probant authoritates & rationes præallegatæ: specialiter etiam de istis qualitatibus D. Leo l. ep. 93. ad Turibium: *de DEO quicquid dignè sentitur, non qualitas est, sed essentia: incommutabili enim nihil accedit.* Et D. August. l. d. cognit. veræ vitæ c. 3. *Ratio adstruit, nihil DEO accidentale, sed totum quod prædicatur de eo, ei esse essentiale.* Plura de hoc tum contra Vorstii Calvinistæ objectiones ex liberis decretis petitas, tum contra novam quorumdam RR. opinionem de accidentibus non quidem DEO inhæsivis, sed adhæsivis infra, ubi de Immutabilitate DEI.

8. Inferes tertiò. Repugnare in DEO compositionem ex essentia & existentia; siquidem est formalissimè suum esse irreceptum, & ens à se exclusivum omnis causæ essentiam & existentiam conjungentis: Nec non compositionem ex natura & supposito; siquidem ita subsistit, ut sit sua essentia; & compositio utriusque supponit naturæ suppositatæ potentialitatem, quæ ab actu puro exulat.

9. Inferes quartò. Neque logicam compositionem rationis ex genere & differentia posse habere fundamentum ex parte DEI, quia hæc compositio importat finitatem essentialem & dicit ex parte conceptûs generici potentialitatem; sed finitatis, limitationis, potentialitatis, nullum datur in DEO fundamentum: ergo, &c.

10. Sed nunquid saltem potuit cum fundamento in re dari compositio rationis inter essentiâ & attributa? si enim simplicissima unitas variarum perfectionũ in DEO potest esse fundamentum varias rationes objectivas ratione distinguendi, cur non potiùs sit fundamentum easdem rationes distinctas componendi? Respondeo. Quamvis unitas divinarum perfectionum in nostro intellectu sit fundamentum perfectiones divinas de se mutuò prædicandi, adeoque conjungendi: non tamen propriè compo-

nendi, siquidem ejusmodi prædicationes v. g. *DEVS est justus*, non significant resultantiam alicujus tertii è 2. extremis, sed simplicem utriusque identitatem.

11. Et ad instantiam Resp. disparitatem esse, quòd distinctio rationis nihil ponat ex parte objecti, sed tantùm aliquid relinquat, in quantum unam formalitatem assumit ad intellectum, non assumptâ alterâ; cujus fundamentum sufficiens reperitur in objecto virtualiter multiplici juxta priùs dicta: sed si faceret compositionem rationis, poneret compositionem in ipso objecto, quæ in DEO fundamentum habere nequit, eò quòd conceptus compositionis ab omni imperfectione nequeat separari.

12. Inquis: Compositio nihil est aliud, quàm distinctorum unio: sed intellectus per actualem prædicationem unit v. g. attributa & relationes cum essentia, quas antea per simplicem apprehensionem distinxerat, cùm dicit v. g. *DEVS est sapiens, justus &c.* ergo intellectus facit compositionem in DEO. Præsertim cùm juxta celebrem D. Th. doctrinam noster intellectus juxta suum connaturalem modum intelligat *componendo & dividendo*, illud per affirmationem, hoc per negationem.

Resp. Compositio est distinctorum unio, ut præsuppositivè & præcisivè distinctorum, nego: ut positivè, & in actuali conjunctione distinctorum, conc. sed intellectus conjungit v. g. essentiam cum attributis per actualem prædicationem, ut præsuppositivè & præcisivè distincta, conc. ut in ipsa actuali conjunctione distincta nego. Vel secundò, ut exprimens simplicem identitatem inter illa conc. ut exprimens coalescentiam distinctorum, nego. Ad illud, quòd intellectus noster intelligat componendo. Resp. compositione secundò intentionali se tenente ex modo concipiendi, conjungendo nimirum prædicatum cum subjecto, conc. ex parte rei conceptæ, nego.

13. Inferes quintò. Implicare contradictionem, ut DEUS veniat in compositionem aliorum per modum partis materialis vel formalis incompletæ: Ratio ex dictis patet, quia conceptus partis, sive formalis sive materialis est inseparabilis ab imperfectione dependentiæ, primò à causa efficienter determinante ad esse unitum; secundò à se mutuò; & tertiò à toto compositio, respectu cujus sunt aliquid incompletum, quæ omnia repugnant rationi actûs puri, & entis à se.

14. Inferes tamen sextò. Non repugnare divinæ vel simplicitati, vel actualitati, ut DEUS per modum formæ totalis & termini intrinsecè actuantis & complentis veniat in compositionem extrinsecâ cum his & in his: ita enim defacto in compositionem venire docet Mysterium Incarnationis; ubi duarum naturarum Divinæ & humanæ unionem in Persona Verbi, sicut & ipsius Verbi cum natura humana secundùm compositionem factam definit tertia synodus generalis his verbis: *si quis non confitetur unionem verbi ad carnem conjunctam animæ rationali secundùm compositionem anathema sit.* Et v. syn. Gen. collat. 8. can. 4. *Sancta DEI Ecclesia unitatem Verbi* ad carnem secundùm compositionem confitetur. Cujus ratio est, quòd tunc compositio ex parte DEI non dicit rationem partis, sed termini vel extremi perficientis & actuantis, quod ipsi convenit ex ratione actûs puri, prout etiam Divinam essentiam cum intellectu Beati uniri dicemus infrà in disp. 7. de specie impressa in visione beatifica.

15. Inferes septimò. Omnimodam simplicitatem, qualis est divina, saltem ex parte rei significatæ esse summam perfectionem simpliciter simplicem, quia sic dicit modum habendi suas perfectiones perfectissimum & unitissimum soli enti Increato proprium, non minùs, quàm infinitas & immensitas sunt modi essendi soli DEO proprii, quamvis quoad modum significandi non exprimat positivam perfectionem, sed potiùs negationem: quia in formali modo significandi exprimit negationem compositionis, compositio autem, seu unio distinctorum est quid positivum.

16. Si autem loquamur de simplicitate ut sic analogicè abstractâ à DEO & creaturis, conformius est S. D. & rationi non esse perfectionem simplicitet simplicem, nec in modo cognoscendi, nec in re significatâ; quia ut sic est modus entis indifferens ad omnes gradus ipsius: & in aliquibus reperitur cum perfectione, ut in Angelo, in aliquibus cum imperfectione, ut in materia prima, elementis &c. in relatione verò præscindit ab utroque, ut suo loco dicetur, ideoque S. D. in 4. d. 11. q. 2. a. 1. quæst. 1. ad 1. dicit: *Simplicitas per se non est causa nobilitatis, sed perfectio rei; unde ubi perfecta bonitas invenitur in uno simplici, simplex est nobilius, quàm compositum, quando verò econtrà res est imperfecta, licet sit simplex, compositum erit nobilius, sicut homo est nobilior terrâ.*

Quòd ergo aliquæ creaturæ tantò simpliciores sint, quantò nobiliores, id non ex natura simplicitatis, sed actualitatis provenit, cui simplicitas applicata invenitur: unde in iis, quæ magis propinquant ad potentiam, & recedunt ab actu, oppositio modo se res habet: illa enim quò simpliciora, eò sunt imperfectiora, & ut S. D. hic a. 7. ad 2. *composita sunt meliora simplicibus.*

17. Dices: Simplicitas opponitur imperfectioni, quia opponitur compositioni, quæ dicit imperfectionem: ergo debet esse perfectio.

Resp. Compositionem intrinsecam formaliter non esse imperfectionem, sed perfectionem admixtam imperfectioni: est enim formaliter unio positiva partium intrinsecè componentium: unde non sequitur, quòd simplicitas ut sic formaliter dicat perfectionem.

18. Inferes octavò. Mysterium SS. Trinitatis nequaquam obesse Divinæ simplicitati, prout D. August. d. Civ. l. 11. c. 10. *Hæc Trinitas unus DEVS est, nec ideo non simplex, quia Trinitas.* Vel enim divinæ personæ ad se invicem comparantur, & sic nequaquam componuntur, sed opponuntur; vel cum divina essentia & perfectionibus absolutis; & sic iterum non componuntur, sed simplicissimè identificantur.

AR-

ARTICULUS III.

De Infinitate DEI.

ad q. 7.

SUMMARIA.

1. *Acceptio & divisio infiniti.*
2. *Infinitas DEI de fide.*
3. *Habetur tum ex ratione entis à se, tum actûs puri.*
4. *Essentiæ creatæ possibilitas pendet à divina sapientia.*
5. *A qua mediatè & radicaliter etiam pendet rerum impossibilitas.*

§. *Unicus.*

Infinitas DEI exponitur, & asseritur.

1. INfinitum ex ipsa vocis notione illud dicit, *quod fine seu terminis caret.* Aliud dicitur infinitum simpliciter & in toto genere entis; aliud secundùm quid, hoc est, in certo genere entis, ut si daretur infinita linea, tantùm esset infinita in genere quantitatis, si daretur infinitus calor, esset infinitus in genere qualitatis.
2. Conclusio. DEUS est per essentiam simpliciter infinitus. Est de fide è S. textu ps. 144. *Magnitudinis ejus non est finis.* Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Ideò SS. PP. præsertim Damascenus l. 1. de fide, DEUM vocat *interminatum essentiæ pelagus.*
3. Deducitur tum ex ratione entis à se, tum ex ratione actûs puri. Nam ens, quod caret limitationibus & terminis essendi, est infinitum simpliciter & in genere entis, DEUS caret limitationibus, ac terminis essendi. ergo. Minor probatur: Omnis terminus, quo potest actualitas essendi limitari, aut est extrinsecus, aut intrinsecus; sed DEUS ceu ens à se & per essentiam utrumque excludit. ergo. Minor probatur: quia terminus extrinsecus est causa producens, quem excludit ut ens à se, rursus terminus intrinsecus esset essentia quatenus receptiva & contractiva existentiæ, sed esse à se est formalissimè ipsa DEI essentia, adeoque esse irreceptum, sicque infinitum in genere entis. Rursus: actui puro nulla potest abesse entis perfectio, consequenter debet esse infinitus in omni genere entis.

Objicies. Etiam si rerum essentiæ suam possibilitatem habeant à se & non independenter ab alio, non ideo sequitur ipsas esse infinitas; ergo tametsi DEUS sit ens à se, inde tamen non rectè infertur, quòd sit infinitus. 4.

Resp. negando suppositum antecedentis; nam essentiæ creatæ possibilitas dependet à dictamine divinæ sapientiæ: neque (si loquamur per rationem à priori) verum est, ideo DEUS potest hominem potiùs ponere quàm chimeram, quia ex se possibilis est, vel non repugnat: sed ideo possibilis est, quia omnium rerum artifex divina scientia in suis ideis dictat, ita & non aliter fieri debere. Non ideo tamen DEUS Angelum, vel hominem potuit aliter facere, quàm sit possibilis, quia istud dictamen, & istæ ideæ pertinent ad scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, divinæ voluntati præsuppositam.

Dices: Impossibilitas rerum, v. g. chimeræ, 5.
non fundatur aut pendet ex DEO; penderet enim ex defectu divinæ potentiæ, quòd dicere est absurdum: ergo neque possibilitas opposita pendet ex DEo. Resp. neg. antec. Etiamsi enim non immediatè, mediatè tamen & radicaliter etiam ipsa impossibilitas & repugnantia rerum fundatur non in defectu, sed perfectione divinæ potentiæ & scientiæ; quippe quæ dictando & continendo perfectionem alicujus essentiæ & naturæ, hoc ipso facit illam repugnantem & impossibilem cum altera adæquatè distincta.

ARTICULUS IV.

De Immensitate DEI.

ad q. 8.

SUMMARIA.

1. *Explicatio immensitatis.*
2. *Fides docet DEVM immensum.*
3. *Ratio S. D. probat ex Omnipotentia.*
4. *Alia operatio DEI immanens, alia virtualiter transiens.*
5. *Authoritas script. pro ratione S. D.*
6. *Ratio ex contactu virtutis.*
7. *Instantia ex immediatione virtutis occurritur.*
8. *DEVS de novo est in creaturis per illarum immutationem,*
9. *Et tanquam illas continens.*
10. *Specialis DEI præsentia reducitur in operationem.*
11. *Negatur petitio principii.*
12. *Quomodo priùs sit esse, quàm operari.*
13. *Immensitas constituitur per virtutem operandi.*
14. *Ideo prior operatione.*
15. *Immensitas distinctum attributum ab omnipotentia.*

§. I.

Exponitur & astruitur immensitas DEI.

COnsideratâ absolutâ infinitate, nunc consideramus modum infinitum DEI existendi in rebus, quî dicitur immensitas, estque virtus infi- 1.

nita repletiva loci, seu virtus diffusiva sui per omne spatium: actualis quippe diffusio & repletio loci, non ab æterno, sed ex tempore DEO convenit per connotationem ad creaturas existentes, & aliàs ubiquitas, vel omnipræsentia dicitur: at virtus diffusiva necessariò & ab æterno DEUM denominat, ideoque constituit attributum Immensitatis.

2. CONCLUSIO. *De fide est DEVM esse immensum.* S. D. q. 8. a. 1. & 2. Constat ex Symbolo Athanasii: *Immensus Pater, immensus filius, &c.* ex Concil. Later. in c. *firmiter* è pluribus S. script. textibus, ut ps. 138. *quò ibo à spiritu tuo?* in quæ Chrysost. *Quò à te proficiscar? omnia imples, omnibus ades, non per partes, sed omnibus simul totus.* Jer. c. 33. *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Neque Ethnicos hæc veritas latuit, è quibus Sen. l. 4. de benef. c. 8. *nihil ab ipso vacat, opus suum implet.* & Poëta

Jupiter est, quodcunque vides, Jovis
omnia plena.

3. Rationem immensitatis dat S. D. ipsam omnipotentiam; sicut & actualis omnipræsentiæ, operationem DEI in rerum omnium essentias intrinsecè illabentem: Ibi DEUS est intimè præsens per substantiam, ubi operatur: sed DEUS *omnia in omnibus operatur*, etiam ipsum esse rerum: ergò DEUS est rebus omnibus intimè præsens: cumque virtus omnia in omnibus operandi ipsi ab æterno conveniat: etiam ab æterno convenit virtus omnia replendi, seu in omnibus existendi, quæ est immensitas.

Cæterùm duo hìc enascuntur dubia, primò: an hæc data ratio Immensitatis sit formalis & adæquata? Secundò. An DEUS ratione suæ Immensitatis de facto sit in spatiis imaginariis? hoc est in illa vasta & inani capedine, quæ ultra cæli supremi extimam superficiem secundùm nostram imaginationem in immensum extenditur. Sit igitur ad prioris quæstionis resolutionem,

§. II.

Propugnatur ratio D. Thomæ.

4. SUpponitur aliam esse operationem DEI penitus immanentem, aliam virtualiter transeuntem: quamvis enim omnis operatio DEI sit actus formaliter immanens, utpote actus intellectûs vel voluntatis, non solùm in DEO, sed penitus idem cum ipso existens, aliqui tamen nullum relinquunt effectum creatum, suntque actus necessarii, quibus v. g. se ipsum cognoscit, amat, &c. aliqui relinquunt effectum creatum, ut est creatio mundi, justificatio &c. ideoque dicuntur virtualiter transeuntes, nempe non ratione sui & ex parte DEI; sed ex parte & ratione effectûs producti. De qua posteriori proinde operatione procedit quæstio.

5. CONCLUSIO. *Operatio DEI virtualiter transiens est ipsi ratio formalis* existendi in rebus. Ita cum Angelico Doctore ejus Discipuli. Probatur primò authoritate: nam Regius Propheta ps. 138. & Apost. act. 17. non aliunde divinam probat omnipræsentiam, quàm ex ipsius intrinseca operatione. David quippe postquam dixerat: *si ascendero in cælum, tu illic es. &c.* hanc subjunxit causalem: *etenim illuc manus tua* (hoc est virtus & operatio) *deducet me, & tenebit me dextera tua.* Iste verò ut Athenienſibus persuaderet: *DEVM non longè esse ab unoquoque nostrum*, rationem reddidit: *in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Eandem dat rationem D. Anselmus Monol. c. 22. *quoniam nihil sine DEO potest aut esse, aut conservari, dicere cogimur, DEUM ubique & semper esse.*

Probatur secundò fundamentali ratione S. D. 6. Cùm substantia præsertim spiritualis ex se sit indifferens ut sit in aliquo vel nullo; in hoc, vel illo loco, propriumque substantiæ sit, non in aliquo, vel ad aliquid, sed esse & dici ad se, & in se: ideirco formalis ratio essendi in loco non potest esse rei substantia, sed dimensio & contactus: atqui DEUS ad res creatas non habet alium contactum quàm virtutis, qui est operatio ipsius; ergo non nisi per contactum virtutis seu operationem formaliter est in rebus. Sic etiam S. D. in 1. dist. 37. q. 1. a. 2. dicens: *Essentia DEI cùm sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura, nisi in quantum applicatur sibi per operationem, & secundùm quod operatur in re, dicit esse in re.*

Dices: Hac ratione nondum probari, quòd 7. DEUS rebus omnibus sit præsens per suam substantiam: quia ad contactum operationis non necessariò requiritur suppositi immediatio, sed sufficit immediatio virtutis.

Sed contrà est. Operatio de qua cum Apostolo & D. Anselmo S. D. loquitur, & virtus operativa, est illa, quâ DEUS omnia in omnibus operatur, conservando illorum esse; sed hæc operatio necessariò requirit immediationem suppositi: nam virtus influxiva totius esse, ejusque conservativa est virtus creativa totius entis, quæ sicut & ipsa creatio activa est intranea DEO & cum ipsius esse identificata, ut ex Philosophicis suppono; atqui hæc virtus operativa est influxiva totius esse; ergo est penitus identificata cum esse divino; ac proinde si DEUS per suam operationem fiat præsens immediatione virtutis, hoc ipso quoque fit præsens rebus secundùm immediationem suppositi. Major constat, quia virtus influxiva & conservativa totius esse est causativa entis ut sic tanquam effectûs universalissimi ex nihilo producti; cùm subtracto tali influxu res protinus abiret in nihilum; sed hæc est virtus creativa: ergò.

Confirm. primò. DEUS tanquam in se immu- 8. tabilis de novo existit in creaturis non per sui immutationem aut applicationem ad creaturas, sed ipsas immutando, sibique applicando; sed hoc fit per operationem transeuntem. ergo.

Confirm. secundò. DEUS est in rebus tan- 9. quam illas continens & ut Apost. Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ*, & quatenus illabitur in earum essentiam & terminos essendi: nam hæc est intima præsentia soli DEO propria; sed hoc fit per ipsius operationem virtualiter transeuntem & conservativam ipsius esse. *In essentiam enim* (inquit, S. D. in 2. d. 8. q. 1. a. 5. ad 3.) *non intrat, nisi ille, qui dat esse, scilicet DEVS Creator.*

Confirm. tertiò. Specialis DEI præsentia, quâ 10. DEUS v. g. justis est præsens per gratiam, beatis per gloriam, reducitur in ipsius operationem virtualiter transeuntem: ergo & omnipræsentia universalis.

Dices

11. Dices primò. Hæc ratio S. D. videtur petere principium, quia omnipræsentiam DEI probat per immediationem suppositi, quæ ipsa nihil aliud est, quàm interna præsentia, ergo. Resp. nego antec. ejusque probationem: nam S. D. ultimatò probat omnipræsentiam DEI ex universalissimo modo operandi, necessariò procedente ex virtute increata & inferente immediationem suppositi.

12. Dices secundò. Prius naturâ est DEUM esse alicubi, quàm ibi operari: ergo ex operatione transeunte DEI non rectè probatur ipsius omnipræsentia & immensitas. Antec. probatur: quia operari sequitur ad esse, & priùs est rem esse, quàm operari.

Resq. nego antec. & ad probationem dist. antec. prius est esse quàm operari ad extra in linea essendi, conc. in linea locandi, vel essendi alicubi, sic nego. Nam in linea locandi, primum est ratio locandi, alterum ipsa res locata.

13. Dices tertiò. DEUS ab æterno fuit immensus, quamvis ab æterno nihil fuerit operatus: ergo immensitas est prior ratione quàm operatio. Resp. conc. totum, quia immensitas formaliter non constituitur per operationem sed per virtutem operandi

14. Dices quartò. Immensitas DEI reddit DEUM rebus præsentem præsentiâ infinitâ: sed immensitas est prior operatione; ergo DEUS per prius redditur præsens rebus, quàm operetur in ipsis. Resp. dist. min. immensitas ut virtute DEUM faciens præsentem, est prior operatione conc. faciens actu præsentem nego. ergo per priùs DEUS redditur rebus præsens, quàm operetur, virtute, conc. actu præsens nego conseq.

15. Si dicas: Hâc ratione immensitas non constituet distinctum attributum ab omnipotentia. Resp. nego seq. nam immensitas non constituitur formaliter per virtutem operandi præcisè ut talem; sed per ipsam ut diffusivam divinæ substantiæ & virtualiter extensivam sine fine & termino in infinitum.

ARTICULUS V.

Sitne DEUS in spatiis imaginariis.

SUMMARIA.

1. *DEUM non esse in spatiis imaginariis probat multiplex ratio.*
2. *Simul authoritas S. script. & PP.*
3. *Rejicitur ubicatio intrinseca absoluta.*
4. *Quo sensu SS. PP. dicant DEUM esse supra & extra mundum.*
5. *Objicitur paritas de æternitate.*
6. *Eadem retorquetur negando anterioritatem formalem in æternitate.*
7. *Disparitas inter æternitatem & immensitatem.*
8. *Non sequitur ex nostra sententia DEUM posse esse divisum vel mutabilem.*
9. *Immensitas sequitur ad duplex attributum.*
10. *DEUS ubique per essentiam, potentiam, & præsentiam!*
11. *Nulli creaturæ communicabilis ubiquitas.*

§. I.

Impugnatur existentia DEI in spatiis imaginariis.

1. CONCLUSIO. *DEUS actu non est in spatiis imaginariis.* Ita Thomistæ. Ratio ex dictis est primò, Deus actu ibi est, ubi operatur: sed Deus de facto nihil operatur in spatiis imaginariis: ergo in illis actu non est. secundò. *In nihilo nihil est*, inquit S. D. in 1. d. 37. q. 1. a. 3. sed illa spatia imaginaria & mundi possibiles actu nihil sunt, ergo.

Tertiò. Nihil dicitur existere in rebus imaginariis, v. g. non dicimus, accidentia Eucharistia existere in subjecto imaginario: ergo etiam in spatio imaginario nihil rectè dicitur existere.

2. Quartò. Verbum Divinum priusquam mundus fuit productus, ab æterno non dicitur fuisse in mundo imaginario, sed *in principio* æternæ generationis, *Verbum erat apud DEUM.* Jo. c. 1. ergo etiamsi sint mundi plures extra hunc mundum producibiles in infinitum, tamen non rectè dicitur DEUS in iis existere, sicuti nullo adhuc existente mundo ab æterno existebat in se ipso, non in mundis possibilibus, prout testantur SS. & antiqui PP. D. Aug. in ps. 122. *Antequam DEUS faceret Cælum & terram, ubi habitabat? & antequam faceret sanctos, ubi habitabat? in se habitabat DEUS, apud se habitabat, & apud se est DEUS.* Tertull. l. adv. Prax. c. 5. *ante omnia DEUS erat solus, & ipse sibi locus, & omnia.* Dionysius Carthus. in 1. d. 37. q. 1.

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

D. Bern. l. 5. d. consid. c. 6. similiter interrogans, *ubi erat DEUS, antequam mundus fieret?* Respondet. *Non est, quòd quæras ultra, ubi erat? præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.*

3. Dices: Hæc quidem probare DEUM non esse in spatiis imaginariis per præsentiam & ubicationem relativam, non autem probare, quòd DEUS ibi non sit per suam absolutam præsentiam & ubicationem suæ essentiæ intrinsecam, per quam non tam in spatio imaginario, quàm in se ipso est ultra cælos in immensum diffusus, prout indicat S. script. Job. 11. *Excelsior cælo, profundior inferno.* SS. PP. passim dicentes cum D. Gregorio 2. Moral. c. 8. & Damasceno, *DEUM esse extra omnia & ultra omnia, omnia ambiendo terminantem, & super omnia existentem.* imò ipse S. D. quodl. 12. a. 1. *DEUM non tantùm esse in his, quæ sunt, sed etiam in imaginatis & in præteritis, & in futuris.*

Sed contra est, quòd S. D. non aliam agnoscit quàm relativam præsentiam & ubicationem: & illa DEI absoluta præsentia vel ubicatio, in intrinsecis ac modalibus ubicationibus fundata, sit fictitia. Ita enim d. 39. q. 2. a. 3. *hinc DEO*, inquit,

ab

ab æterno non conveniebat ubique, vel in rebus esse, cùm esse ubique importet relationem DEI ad creaturas, fundatam super operationem DEI. Itaque esse in se ipso, non dicit præsentiam, sed existentiam, & quicquid præsens est, alicui præsens est.

4. S. script. SS. PP. & ipse D. Th. oppositi loquuntur in sensu, à D. Augustino eleganter expresso in l. de nat. boni. c. 3. ubi dicit: *DEUS est supra mundum, & extra mundum non spatiis locorum, sed ineffabili & singulari potentiâ*, hoc est, virtualem DEI contactum ad res creatas non esse hujus universi limitibus coarctatum, quin DEUS alia & alia in infinitum creando possit eundem virtualem contactum in infinitum diffundere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. OBijc. tamen primò. DEUS ratione suæ immensitatis eodem modo se habet ubicativè, sicut se habet ratione suæ æternitatis durativè: sed ratione suæ æternitatis se habet durativè, ut verè actu infinitè duraverit ante mundum; ergo ratione suæ immensitatis sic se habet ubicativè, ut verè actu infinitè sit ubicatus extra mundum.

Confirm. sicut in duratione se habent differentiæ temporis ante & post, ita in ubicatione se habent differentiæ ubicationum intra & extra, ultro & citro: ergo sicut æternitas DEI tanquam infinita duratio ipsius excedit omnes differentias temporum, sic immensitas tanquam infinita DEI ubicatio excedit omne spatium & differentias ubicationum.

6. Resp. primò permissâ maj. dist. min. & retorquendo argumentum. DEUS per suam æternitatem infinitè duravit ante mundum, anterioritate formali, nego, virtuali & eminentiali, concedo; quatenus nimirum DEUS potuisset alias & alias partes anteriores temporis, creare in infinitum, quibus omnibus sua æternitas coëxtitisset: ergo etiam DEUS ratione suæ immensitatis est ubicatus extra mundum exterioritate vel ulterioritate virtuali, & eminentiali, quatenus nempe potest alia ulteriora spatia in infinitum condere, in quibus existat, concedo, formali nego.

Certè D. August. 12. de Civ. c. 5. ejusdem pensi habet & moras imaginarias ante tempus, & spatia imaginaria extra mundum, dicens: *quòd si dicant, inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus sit præter mundum, respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præteritæ tempora vacationis DEI, cùm nullum tempus sit ante mundum.*

7. Resp. secundò negando maj. ejusque ac simul probationis paritatem. Nam æternitas est proxima & immediata ratio divinæ infinitæ durationis actualis, quæ proinde omnes differentias creatæ durationis cum infinito excessu eminenter continet: atqui immensitas DEI non est proxima & immediata ratio ipsius actualis ubicationis; hanc quippe denominationem non nisi temporaliter & mediante contactu immutativo creaturarum consequitur, quo non tam DEUS ipse se rebus, quàm res sibi præsentes efficit, non ut in iis contentus, sed ut ipsas ex se & in se continens.

Objicies secundò. Sequeretur ex nostra sententia, quòd DEUS posset mutare locum, vel esse à semetipso divisus, quorum utrumque est absurdissimum. 8. Prima sequela probatur: Ponamus: quòd DEUS hunc mundum moveat motu recto, tum sicuti mundus non ampliùs occuparet hoc spatium, quod modò occupat, ita nec DEUS esset actu in illo loco, in quo priùs fuit. Secunda quoque sequela probatur: Si DEUS crearet alium mundum, qui huic nostro non foret contiguus, tunc DEUS secundùm nostram sententiam esset in utroque mundo, & tamen non esset in spatio imaginario intermedio, ergo à se ipso distaret & esset divisus.

Resp. nego utramque sequelam, & primam quidem: quia DEUS non fit rebus præsens accedendo ad ipsas, seque iis applicando, sed ipsas sibi attrahendo & applicando, in quantum ipse immotus eas è nihilo educit, conservat, & ut dicitur sap. 7. *in se permanens omnia innovat.* Secundam verò sequelam: quia DEUS non est modo divisibili in creaturis; unde in illo casu divisio & distantia tantùm se teneret ex parte creaturæ, sicuti nec corpus Christi in cælo existens est à se ipso divisum, quatenus existente in eucharistia, quia in eucharistia modo indivisibili existit.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis primò. Divinam immensitatem ad duplex attributum consequi: nam quatenus est virtualiter contactiva spatii, sic ad omnipotentiam sequitur; quatenus autem habet, ut sine fine & termino possit per infinita spatia diffundi, sic consequitur ad attributum infinitatis. 9.

Inferes secundò. DEUM ubique esse *per essentiam, potentiam, & præsentiam.* Per potentiam (ita exponente S. D. hic q. 8. a. 3. in c.) in quantum *omnia ejus potestati subduntur.* per præsentiam, in quantum *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* per essentiam, *in quantum adest omnibus ut causa essendi.* 10.

Inferes tertiò contra hæreticos Ubiquistas, præsentiam ubiquitatis, seu esse ubique, nulli creaturæ esse communicabilem, ex S. D. hic a. 4. Nam creatura aut est alicubi per quantitatem molis, ut corpora, vel per quantitatem virtutis, hoc est operationem, ut Angeli. Si primum, tunc habet certos dimensionis suæ terminos, nec proinde vel in infinitum extendi, vel extra illos terminos in omnibus locis replicari potest. Si secundum, tunc habet limitatam sphæram suæ activitatis, ac proinde sicut nec in infinitum operari, ita nec esse ubique potest. 11.

ARTICULUS VI.

De immutabilitate DEI.

SUMMARIA.

1. *Definitio mutationis.*
2. *Ejus divisio.*
3. *Veritas Catholica.*
4. *Quam evincunt rationes æternitatis, actûs puri, & simplicitatis.*
5. *Implicat creatura simpliciter immutabilis.*
6. *Im-*

6. *Implicat in DEO receptio cujuscunque formæ accidentalis.*
7. *Ex consensu PP. & DD.*
8. *Ex ratione simplicitatis, immutabilitatis, & perfectionis.*
9. *Rejicitur divisio accidentium in decora & indecora.*
10. *D. Anselmi mens expenditur.*
11. *Instantiis de Incarnatione & decretis liberis breviter occurritur.*

§. I.

Veritas Catholica.

1. MUtatio latissimè accepta est *transitus intrinsecus de contradictorio in contradictorium, quo res jam intrinsecè aliter se habet, quam antè.* Unde tria sunt de conceptu mutationis. Primum est, subjectum saltem in aliquo priori signo rationis constitutum in potentia ad suum terminum, secundum est, terminus à quo amissibilis: omnis enim *translatio* (teste S. Bern.) *interemptio est pristini*, tertium est terminus ad quem acquisibilis. Idcirco illud mutabile dicimus, quod potest de uno contradictorio intrinsecè transire in aliud contradictorium, sive se in se ipso aliter habere quàm ante.

Dico *intrinsecè & in se ipso.* Si enim res susceptiva contradictoriorum in se ipsa nihil intrinsecè acquirat, aut perdat, oppositæ denominationes non oriuntur ex aliqua mutatione illius rei in se, sed alterius circa ipsam: quomodo Verbum denominatur unitum humanitati Christi, quod ante non erat unitum, non ex acquisitione novæ formæ & relationis à Verbo, sed acquisitione novæ formæ, perfectionis, & relationis ab ipsa humanitate; unde etiam tota mutatio est ex parte humanitatis.

2. Porro res aliqua potest intrinsecè mutari, vel ex principiis intrinsecis, eritque mutabilitas ab intrinseco; idque vel in ordine ad terminum substantialem, ut corpora sublunaria in se habentia materiam, quæ est radix corruptionis, vel in ordine ad terminum accidentalem, ut corpora cælestia in ordine ad motum, & Angelus in ordine ad suas operationes. Vel secundò potest in se mutari à principio tantùm extrinseco, eritque solùm mutabilitas ab extrinseco, quod fit in illis naturis, quæ in se nullum habent principium suæ destructionis; sed potiùs intrinsecam exigentiam suæ conservationis & perpetuitatis, ut Angeli, visio beatifica &c, quia tamen ab aliqua causa extrinseca in esse & conservari dependent, ab eadem quoque absolutè destrui, & annihilari possunt.

CONCLUSIO. *DEUS est omnimodè immutabilis,* Est de fide definitum in c. *firmiter.* & habetur ps. 101. *Tu autem idem ipse es,* Jac. 1. *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio,* quam immutabilitatem non tantùm essentialem sed etiam accidentalem explicat D. Anselmus Monol. c. 24. *Sicut igitur semper sibi esse est omnino eadem substantialiter; ita nunquam est à se diversa ullo modo, vel accidentaliter.* Et infra. *Illud sine dubio verum est; quia de summè incommutabili natura nihil potest dici, unde mutabilis potest intelligi.*

Ratio est: Omnis mutatio vel est intrinseca, 4.
vel extrinseca, sed utraque DEO repugnat: ergo DEUS est omnimodè immutabilis. Minor probatur: nam inprimis ens à se est independens ab omnis causæ influxu, ac proinde neque extrinsecæ seu logicæ, neque intrinsecæ seu physicæ mutationis est capax. Secundò: actui puro & enti infinito nulla potest abesse perfectio: ergo nullam potest perfectionem, nullum esse amittere vel acquirere, nec proinde mutari: Ratio quoque actûs puri omnem excludit potentialitatem, quam mutabilitas essentialiter involvit. Tertiò ratione simplicitatis: quia quicquid DEUS habet, est ipse DEUS: ergo sicut semetipsum nec acquirere potest nec amittere; ita nihil de novo seu substantiale seu accidentale intrinsecè potest acquirere vel amittere.

§. II.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò, Esse impossibile, ut ali- 5.
qua creatura sit simpliciter tam intrinsecè quàm extrinsecè immutabilis, uti dicit D. August. 12. de Civ. c. 1. *Dicimus itaque immutabilem non esse nisi unum verum DEVM beatum: ea verò, quæ fecit, bona quidem esse, quòd ab illo, verumtamen mutabilia, quòd non de illo, sed nihilo facta sunt.* Ratio est: sicut DEUS est ens à se, actus purus, infinitus, simplicissimè suum esse & operari: sic econtra creatura essentialiter est ens ab alio, ex nihilo, ens potentiale, compositum ex essentia & esse, habens potentiam obedientialem, & operati à se distinctum, ergo sicuti è priori ratione infertur omnimoda immutabilitas DEI: sic è posteriori rectè infertur essentialis mutabilitas creaturæ tam extrinseca, quàm intrinseca.

Inferes secundò: Repugnare divinæ immu- 6.
tabilitati omnem cujuscunque formæ accidentalis receptionem. Est non tantùm contra hæresin Calvinistæ Vorstii dicentis: DEUM defacto esse compositum ex substantia & accidente, inter quæ numerat libera DEI decreta, quæ dicit esse accidentia quædam ab ipsius substantia longè diversa. sed etiam contra quosdam RR. dum aliqui apud Henricum à S. Ignat. dist. 5. q. 2. a. 2. docent, liberas DEI volitiones esse aliquid non inhæsivè, sed adhæsivè DEO intrinsecum, & ab ejus substantia realiter adæquatè distinctum: Alius vero Recent. Scotista in Thes. d. 2. de attrib. controv. 3. distinxit formas accidentales in aliquas, quæ arguunt aut præsupponunt aliquam imperfectionem DEO indecoram & indignam: & in alias, quæ indecoram, compositionem non arguunt: illarum novam receptionem dixit repugnare DEO, non item istarum.

Contra quos probatur illatum, in primis ex 7.
communi consensu omnium Doctorum, qui omnem compositionem ceu divinæ simplicitati & immutabilitati repugnantem ex mente Conc. Rhemensis erroris damnant, & jam damnavit S. D. l. 1. contra gentes c. 23. dicens: *ex hâc veri-*

veritate ostensa (scilicet quòd in DEO nullum accidens esse possit) *error quorundam confutatur, qui ponunt quasdam intentiones divinæ essentiæ superadditas* : Ubi S. D. nihil distinguit, sintne formæ & intentiones inhæsivè, vel adhæsivè in DEO, sed illas universaliter erroris arguit. ibidemque addit, *divinæ substantiæ omninò accidens non inest. In hanc sententiam Catholici DD. conveniunt.*

Constat secundò ex definitione Leonis I. ep. 93. ad Turib. c. 5. *De DEO quidquid dignè sentitur, non qualitas est, sed essentia: incommutabili enim nihil accedit.*

8 Constat tertiò ex simplicitate DEI : *quod enim ex multis & differentibus constat, compositum est.* inquit D. Damasc. 1. d. fid. c. 12.

Constat quartò ex immutabilitate ; ut enim loco citato S. D. *accidens de se natum est inesse, & non inesse, si igitur DEVS habet aliquid accidentaliter sibi conveniens sequeretur, quòd ipse sit mutabilis. Est itaque, inquit D.* Aug. 11. d. Civ. c. 10. *bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile.* Constat quintò ex infinita DEI perfectione superiùs exposita.

9. Unde planè ridicula est distinctio, in accidentia DEO *decora & indecora*, cùm quodlibet sit maximè indecorum. utpote destructivum ipsius divinæ essentiæ & perfectionis, *subjectum* quippe *comparatur ad accidens, ut potentia ad actum.* inquit iterum S. D. infra q. 54. a. 3. ad. 2. quod verum est, sive accidens inhæreat, sive adhæreat, est enim actus aliquis dans esse accidentale.

Imò frivola quoque est illa divisio accidentium in inhærentia & adhærentia, cùm inhærentia saltem aptitudinalis sit ipsa accidentis essentia, & juxta Philos. 3. metaph. c. 7. ac S. D. in 1. part. q. 28. a. 2. *accidentis esse sit inesse*: Audi Athanasium orat. 5. *non est qualitas aliqua in DEO. Apage* : (NB.) *indecorum enim istud est : sic enim reperietur DEVS ex substantia & qualitate compositus, eò quòd sectilis sit in substantiam & accidens.* Et D. August. 4. de Trin. c. 4. 5. *nihil accidens in DEO, quia nihil mutabile aut amissibile.*

D. Anselmus ab Adversario allegatus nequa- 10.
quam favet Adversario, sed hoc solùm vult, quòd de DEO de novo possint dici quædam formæ relatæ, & non in DEO receptæ, ipsumque intrinsecè afficientes, sed ad ipsum extrinsecè terminatæ, eumque extrinsecè denominantes : ut esse Creatorem, &c. ut ostendit luculenter Magnificus P. Petschacher in tract. de Incarnat. q. 1. a. 3. §. 1. & satis patet ex ipso textu; nam in Monol. c. 24. *sicut igitur summa natura accidentibus mutationem afficientibus nunquam in sua simplicitate, locum tribuit; sic secundùm ea, quæ nullatenus summæ incommutabilitati repugnant, aliquando* NB. *dici* (hoc est denominari extrinsecè) *aliquid non respuit.*

Subjungit ejusmodi, formas de novo denominantes, *non esse propriè accidentia : quemadmodum illa accidentia, quæ mutationem aliquam accedendo, vel recedendo faciunt, ipsa suo effectu verè accidere rei, quam mutant, deprehenduntur : Sic illa, quæ à simili effectu deficiunt, impropriè dici accidentia deprehenduntur.* Negat deinde Divinam essentiam esse à *se diversam ullo modo vel accidentaliter.*

Tandem concludit : *quoquo modo se habeat, ratio de proprietate nominis accidentium, illud sine dubio verum est : quia de summè incommutabili natura nihil potest dici, unde mutabilis posset intelligi.*

Objiciunt Adversarii unionem hypostaticam, 11.
quâ Verbum Divinum de novo unitum, & Incarnatum intrinsecè denominatur : item libera DEI decreta, v. g. decretum creandi mundum, quæ possent à DEO abesse, potuit enim DEUS æquè nolle, quàm velle creare mundum. Sed ad primum Respondeo : Verbum de novo denominari intrinsecè unitum, non aliquid intrinsecè recipiendo, sed naturam humanam intrinsecè perficiendo, adeoque non passivè sed activè & perfectivè. Ad secundùm, divina decreta esse contingentia & posse abesse terminativè, non autem subjectivè : de quo infra ex instituto, ubi de voluntate DEI.

ARTICULUS VII.

De æternitate DEI.

SUMMARIA.

1. *Diversæ rerum durationes.*
2. *Definitio & explicatio æternitatis.*
3. *Veritas fidei.*
4. *Sequitur æternitas ex immutabilitate, perfectione, aseitate.*
5. *Sine imperfectione dicitur DEVS mensurari æternitate.*
6. *Nulla Creatura mensurabilis æternitate simpliciter.*
7. *Æternitas mensura aliena & extrinseca creatæ durationis.*
8. *Quis sensus physicæ existentiæ rerum in æternitate?*
9. *Æternitatis perfectio alia intensiva alia extensiva.*
10. *Tria prædicata æternitatis, infinitas, indivisibilitas, immutabilis uniformitas durandi.*
11. *Præterita & futura sunt physicè præsentia æternitati.*
12. *Authoritas PP.*
13. *Non salvatur & solvitur per objectivam præsentiam.*
14. *Authoritas D. Thomæ.*
15. *Coëxistentia æternitatis probat physicam rerum præsentiam.*

16. *Item*

16. *Item scientia visionis.*
17. *Sensus SS. PP. qui objiciuntur.*
18. *An sequatur creaturas existere ab æterno?*
19. *Quomodo sit intelligibile, rem esse præsentem, priusquam est?*
20. *Quomodo res prius sit in propria quàm aliena mensura?*
21. *Disparitas inter immensitatem & æternitatem.*
22. *Non destruitur successivorum essentia per coexistentiam in æternitate.*
23. *Quomodo sine contradictione nunc Antichristus sit, & non sit?*

§. I.

Explicatio æternitatis & veritas Catholica.

1. UTi mutabilitatem rerum creatarum consequitur, quòd sint tempore mensurabiles; ita immutabilitatem DEI ratione nostrâ consequitur, quòd sit mensuratus æternitate. Cùm enim duratio cujusque rei, sit *ejus permanentia in suo esse*, prout aliqua majorem vel minorem habent essendi permanentiam, suntque magis vel minùs subjecta mutationi sic variam recipiunt durationis mensuram. Ea igitur, quæ imperfectissimam habent permanentiam in esse, sub fluxu & motu partes ipsius identidem carpente constitutam, tempore mensurantur: quæ perfectam habent sui permanentiam, substantialis mutationis, non tamen accidentalis expertem, & saltem ab extrinseco mutabilem, ævo mensurantur, Ens summum & à se, quod infinitè perfectam habet esse sui permanentiam, estque omnibus modis immutabile, *æternitate* mensuratur.

2. Hanc cum Boëtio definiunt Theologi; quòd sit *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Vel cum S. Anselmo Monol. c. 24. *interminabilis vita tota simul perfectè existens.*

Dicitur primò possessio. ad significandam divinæ durationis omnimodam indeficientiam & stabilitatem: illa enim maximè possidere dicimur, quæ firmiter & quietè habemus.

Dicitur secundò *vitæ*, quia *ly vita* magis exprimit ultimam actualitatem divinæ essentiæ, quàm *esse*: & per illud significatur duratio entis tam quoad esse, quàm operari simpliciter immutabilis.

Dicitur tertiò *interminabilis*, hoc est, carentis omni termino tam à parte antè, quàm à parte post, tam potentiâ quàm actu. Ex quo discernitur non tantùm à creaturis in æternum duraturis, quæ licèt à parte pòst fine careant, habent tamen initium essendi; sed etiam abomni alia creatura, si quæ daretur ab æterno: illa enim quamvis actu non haberet durationis suæ initium, illud tamen haberet potentiâ.

Dicitur quartò, *tota simul*, ad removendam duplicem temporis imperfectionem, divisionem scilicet, cui opponitur *ly tota*, & successionem partium post partes, cui opponitur *ly simul.*

Dicitur quintò *perfecta*, ad excludendam imperfectam simultatem, quæ reperitur in indivisibili *nunc* nostri temporis, cui non nisi momentanea & fluxa, adeoque imperfectissima existentia convenit. Est igitur æternitas unum indivisibile & *uniformiter stans nunc*, in quo non habent locum *fuit, vel erit, hujus nostri temporis* (ut ait S. Nazianz. or. 2. de Pasch.) *fluxæq; & caduca naturæ segmenta. Noli in ea quærere quando* (ait S. August. in Psal. 109.) *æternitas non habet quando: quando & aliquando adverbia sunt temporum.* Omnes tamen istas temporum differentias ceu suprema & infinita durandi mensura in se eminenter colligit.

3. DEUM æternum esse, & suam æternitatem fide certum est ex Symb. Athanasii. & Concil. Later. sup. cit. Habetur expressum in S. Scr. ut Mich. 5. *Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* & Psal. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis à sæculo & usque in sæculum tu es DEVS.* Est communis non tantùm SS. PP. & Catholicorum, sed Boëtio teste, *cunctorum ratione degentium commune judicium.*

Ratio est: quòd æternitas significat præsentissimam, omnimodè indefectibilem, & maximè uniformem permanentiam, seu diuturnitatem essendi: sed hæc convenit DEO tanquam Enti à se infinitè immutabili. ergo.

4. Hinc æternitas sequitur primò ex immutabilitate DEI: nam quod est simpliciter immutabile quoad esse & operari, nec incipere potest, nec desinere, unde & D. Fulgent. de fide ad Petrum. c. 7. *Firmiter tene, & nullatenus dubites, DEVM sicut immutabilem, ita solum æternum esse.* D. quoque August. l. d. natura boni. *Summum bonum, quo superius non est, DEVS est; ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo verè æternum & verè immutabile.* Sequitur secundò ex infinita perfectione in genere entis: huic enim debetur duratio perfectissima, qualis est æternitas. Sequitur tertiò & ultimatò ex aseitate, nam ens à se habens esse per essentiam, est ens necessarium, carens principio & fine essendi, ac proinde est æternum.

5. Neque existimes, aliquam imperfectionem in DEUM inferri, si dicatur æternitate mensurari: eò quòd mensura distinctionem, terminationem, ac dependentiam connotet ex parte mensurati.

Nam id solùm procedit de formali, extrinsecâ, & excedente mensurâ: non de virtuali, intrinsecâ & adæquatâ cum suo mensurato: quæ cum eodem non per applicationem extrinsecam, sed per identitatem conjungitur, qualem solùm divini esse mensuram per æternitatem intelligimus.

6. Ex quibus inferes, nullam creaturam intrinsecè posse mensurari æternitate simpliciter tali, quæ nimirum excludat principium essendi, tam actu quàm potentiâ. quia hic modus durandi formaliter consequitur omnimodam immutabilitatem, quæ creaturæ convenire non potest. Cæterùm major est difficultas, quomodo æternitas sit mensura rerum in tempore existentium & successivè transeuntium? cùm enim S. D. q. 14. a. 3. dicat: *omnia, quæ sunt in tempore, esse DEO ab æterno præsentia*, disceptatur inter Auth. an hoc sit intelligendum de præsentia solùm objectiva, intentionali, & in esse cognito, quatenus DEUS in suis ideis rationes objectivas rerum futurarum & præteritarum apud se habet, vel etiam de præsentia reali

reali & physica. Priorem partem cum Scoto sequuntur plerique DD. è Soc. Posteriorem Thomistæ. Sit ergo.

§. II.

An præterita præsentia & futura sint DEO physicè præsentia in æternitate DEI?

7. NOtandum primò. Sicuti res omnes futuræ pro intrinseca & propria mensura habent creatam durationem, vel ævi, vel temporis, ita pro extrinseca & aliena mensura habere æternitatem DEI: quippe quæ infinita in genere durandi & mensurandi omnem finitam durationem in se eminenter continet.

8. Notandum secundò. In hâc quæstione, quæ magis in modo loquendi & explicandi, quàm in re ipsa habet difficultatem, non esse sensum, utrum res futuræ per quamdam anticipatam sui productionem distinctam ab eâ, quâ producitur in tempore, realiter ab æterno existant? constat enim ex fide, quæcunque producta sunt, in tempore esse producta: sed utrum æternitas ratione suæ infinitæ continentiæ se se virtualiter extendens ad omnes temporum differentias, easdem cæteroquin in sua intrinseca natura fluentes ac transeuntes; in sua incommutabili & indivisibili simultate faciat extrinsecè præsentes, & ex propria ratione æternæ mensuræ à DEO præsentialiter cognoscibiles. Unde

9. Notandum tertiò. Sicut in aliis divinis perfectionibus; ita etiam in æternitate DEI posse considerari duplicem perfectionem, intensivam & extensivam. Intensiva est, quatenus est ipsi divinæ substantiæ infinita durandi ratio, seu infinita & incommutabilis permanentia essendi. Extensiva est, quatenus in se indivisibilis & immobilis eminenter æquivalet omnibus partibus & differentiis temporis continui & discreti, tanquam suprema mensura & causa omnium durationum. Unde sicut in divina bonitate omnes creabiles bonitates, in veritate increata omnes veritates participatæ, sic in æternitate continentur & resplendent omnes durationes possibiles, & siquidem sint per decretum determinatæ, etiam durationes futuræ.

10. Notandum quartò. Tria esse prædicata æternitatis bene ante oculos habenda. Primum est, *infinitas durandi*, ratione cujus omnes inferiores durationes eminenter continet, iisque æquivalet. Secundum est, *indivisibilitas*, ratione cujus non potest per partes, quas nullas habet, temporaneæ & successivæ durationi coëxistere; sed necessariò se totâ singulis partibus durationis virtualiter coëxtenditur: quemadmodum anima in se formaliter indivisibilis toti corpori, & corpus Christi propter indivisibilem modum existendi omnibus & singulis specierum Eucharisticarũ partibus totum coexistit. Tertium est, *immutabilis uniformitas*, per quam æternitas, quidquid semel mensurat ac possidet, invariabiliter mensurat ac possidet. Unde æternitas non se habet ad instar baculi in fluvio defixi, ut sicut iste partibus aquæ successivè alluentibus fit præsens unam post alteram expectando; sic illa rerum in hoc orbe sibi succedentium vices in se tamen invariata respectet, & tunc demum eas mensuret, iisque coëxistat, cùm in propria duratione extra sua causas positæ fuerint: nam exspectare rerum successionem & fluxũ, unum mensurare post alterum *circumscriptarum & mutabilium durationum sunt propria*. S. Anselm. Monol. c. 22. & cum æternitatis simultate infinitè immutabili & indivisibili repugnant. Finge animo infinitum tempus; certè infinito tempori quidquid fuit, vel erit, coëxisteret, licèt non toti tempori, sed aliis atque aliis ipsius partibus. Quòd si per impossibile non haberet partes, jam omnis duratio ipsi toti coëxisteret. Ita enim verò de æternitate sentiendum: est nimirum infinita duratio, & ita ipsi coëxistere est necesse, quidquid unquam existit; cumque rursus sit indivisibilis, & tota simul, quicquid ipsi coëxistit, toti coëxistit. His positis sit

11. CONCLUSIO. *Non tantùm ea, quæ existunt, sed quæcunque præterita & futura æternitati divinæ physicè sunt præsentia.* Probatur primò è S. Script. Nam Apost. ad Hebr. 1. loquens de Filio dicit: *per quem fecit & sæcula*, sed in sæculis quædam etiam sunt futura: ergo coram DEO etiam *futura sunt facta*: si facta: ergo non objectivè tantùm præsentia.

Rursus ad Rom. 4. de Abraham ita loquitur: *Patrem multarum gentium posuit ante DEVM, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Ubi, quod in se ipso erat futurum, explicat per verbum de præterito, *posuit*, ut ostendat, etiam futura DEO (*ante DEVM*) jam esse præsentia: quod etiam ratione confirmat, cùm dicit: *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* quasi diceret: sic intuetur facienda, sicut facta, nec minùs futura sunt ipsi præsentia, quàm ea, quæ jam sunt facta. Tandem Job. 14. dicitur: *Numerus mensium ejus apud te est*; ubi ly *est*, exprimit temporum nostrorum coram DEO stantem præsentiam; ita exponente D. Gregorio 11. Moral. c. 1. *quoniam apud omnipotentem DEVM etiam labentia stant, apud eum esse numerum mensium nostrorum perhibet.*

12. Probatur secundò authoritate SS. PP. in primis S. August. 4. de Trin. c. 17. *apud DEVM*, inquit, *præterita & futura stant*, & l. 5. c. 16. *apud DEVM nec præsentia transeunt & futura jam facta sunt.* S. Greg. M. 20. Moral. c. 23. *in æternitate nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in se ipsis exîstere simul non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illa præterit, quod transit, quia in æternitate modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum manent, currentia stant.* S. Petr. Dam. ep. 4. de omnip. DEI c. 8. *omnia quæ apud nos elabendo discurrunt, & per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie* (æternitatis) *stant & immobiliter perseverant. In illo hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem; in illo jam & ille nihilominus est, in quo judicandus est per æterni judicii æquitatem.* Boëtius de consol. *Coram DEO præsentia non transeunt, fixa stant, futura non exspectantur, omnia sunt simul, etiam nobis successiva.* Ex his porro

& ejus-

& ejusmodi pluribus authorit. quas refert Ruiz disp. 29. sect. 4. & Reding controv. 3. n. 5. vides scripr. & PP. de futuris respectu DEI loqui, illa jam *facta esse*, *simul durare*, *assistere*, *fixa stare immobiliter perseverare*, &c. quæ omnia rerum præsentiam physicam in DEI æternitate loquuntur.

13. Respondes; objectivam quidem præsentiam per hæc & similia astrui, non physicam & realem. Sed *contra* est *primò*: quòd si SS. PP. intelligerent tantùm intentionalem & objectivam rerum fluentium præsentiam omnibus cognoscentibus communem, frustra illam S. Greg. l. c. *incomprehensibilem*. Greg. Nyss. l. 1. contra Eunom. *inexplicabilem*, dixisset, frustra hæc. S. Anselm. Monol. c. 22. diceret, *tam contraria secundùm prolationem, tam necessaria secundùm probationem. Contra* est *secundò*, quod per objectivam præsentiam non rectè dicitur aliquid *factum esse*: uti nec crastina dies, quantumvis in mea cognitione præsens, rectè dicitur illuxisse. *Contra* est *tertiò*, quòd præsentia tantùm objectiva optimè stat cum vera & propria præscientia futurorum: imò hæc non potest esse sine illa: atqui SS. PP. negant in DEO proprié dari præscientiam futurorum, eò quòd respectu ipsius nihil sit futurum. Ita S. August. l. 2. ad Simplici. q. 2. *quid est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est DEO, qui omnia supergreditur tempora?* S. Anselm. l. d. casu diab. c. 21. *Præscientia DEI non propriè dicitur præscientia; cui enim omnia semper sunt præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam. Contra* est *quartò*. quòd SS. PP. loquantur de æternitate ceu speciali attributo, sed attributum æternitatis non pertinet ad genus cognitionis sed durationis realis; ergo quatenus causat præsentiam rerum, non causat præsentiam objectivam, sed realem.

14. Probatur tertiò authoritate D. Thomæ, cujus mens pro veritate nostræ conclusionis ita ostenditur S. D. præsentiam futurorum in æternitate distinguit ab illa, quam habent in cognitione: ergo illa præsentia non est objectiva, sed realis. Conseq. est manifesta, quia alius modus præsentiæ non est assignabilis. Antec. prob. primò. hîc. q. 14. a. 13. docet S. D. *quòd omnia quæ sunt in tempore, sunt DEO ab æterno præsentia, non solùm ea ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes (ut quidam dicunt) sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Ecce S. Doct. opponit & contradistinguit præsentiam, quâ res DEO *in sua præsentialitate* sunt præsentes, ab illa objectiva, quâ sunt præsentes in cognitione & ideis, per quas *rationes rerum habet apud se.*

Secundò hanc ipsam distinctionem clariùs exprimit in 1. dist. 38. q. un. a. 5. in c. ubi dicit: *quod DEVS omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantùm ut habentia esse in cognitione sua.* ergo præter præsentiam in esse cognito, agnoscit aliam, quæ non alia potest esse, quàm realis & physica.

Tertiò juxta S. Doct. cit. q. 14. DEUS futura cognoscit præsentialiter, prout *unumquodque eorum est actu in se ipso*; sed præsentia, quâ sunt actu in seipsis præsentia, est realis & physica, non tantùm objectiva, quæ habetur sufficienter per speciem rei.

Quartò. Idem S. Doct. ex eo probat, quòd DEUS præsentialiter cognoscat omnia futura, quia sunt præsentia in æternitate: ergo distinguit præsentiam quam habent in æternitate, à præsentia, quam habent in cognitione. Conseq. prob. quia si S. Doct. per præsentiam in æternitate solùm intelligeret objectivam præsentiam in esse cognito, probaret idem per idem, esseque perinde, ac si diceret: ideò videt DEUS omnia præsentia, quia videt omnia præsentia, cùm objectiva præsentia nil aliud sit, quàm simul cognosci. Antec. verò constat ex cit. a. 13. q. 14. in c. illis verbis: *licèt contingentia fiant in actu successivè, non tamen DEVS successivè cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, &c.* Et 3. con. Gent. c. 154. *futura contingentia soli divinæ cognitioni subsunt, quia ea in se ipsis videt, cùm sint ei præsentia ratione suæ æternitatis.* Similia habet q. 2. de ver. a. 12. & aliis plur. locis.

Quintò S. Doct. negat l. supr. cit. & l. 1. contra Gentes c. 66. res sibi invicem esse præsentes, quæ sunt DEO præsentes in æternitate: sed per objectivam præsentiam sunt sibi quoque præsentes, ergo S. Doct. aliam præsentiam intelligit, quàm objectivam.

Probatur quartò ratione. Illud omne est præ- 15.
sens in æternitate, secundùm esse physicum, cujus reali durationi æternitas DEI indivisibiliter coëxistit, sed æternitas DEI coëxistit indivisibiliter omnium creaturarum reali durationi: ergo illæ omnes sunt in æternitate DEI præsentes secundùm esse physicum & reale. Major probatur: Certum est, quòd æternitas tanquam suprema & infinita duratio, coëxistat omni omni rei physicè in aliquâ temporis differentia productæ. Vel ergo omnibus coëxistit tota simul uniformiter & immutabiliter; vel non? Si secundùm, jam contra hypothesin non esset æternitas: hæc est enim immutabilis & indivisibilis duratio, *unum præsentialiter stans nunc.* Si primum habetur intentum: quia si omnibus tota simul coëxistit æternitas, omnia facit sibi præsentia, & quidem juxta suam physicam durationem & existentiam: quid enim est aliud præsentia, quàm coëxistentia? Minor est certa: quia æternitas DEI quatenus infinita ambit omne tempus, omnemque durationem realem; quatenus indivisibilis, sic tota assistit omnibus, & non per partes. quatenus immutabilis in ratione mensuræ, sic non exspectat adventum unius temporis post aliud; sed suo modo nempe præsentialiter & immutabiliter cuncta mensurat. Sic anima indivisibilis omnibus partibus corporis, quamvis diversa loca occupantibus indivisibilis tota assistit, & indivisibile centrum correspondet omnibus lineis à centro ad peripheriam ductis.

Probatur quintò. Nisi creaturæ DEO essent 16.
physicè in æternitate præsentes, DEUS ab æterno non haberet de futuris scientiam visionis: consequens est absurdum. ergo. seq. prob. scientia visionis est cognitio rei in se physicè præsentis; sed si creaturæ non sint in æternitate DEO præsentes,

DEUS ab æterno non habet cognitionem de ipsis, ut in se physicè præsentibus: ergo de ipsis ab æterno non habet scientiam visionis. Majorem infra ostendemus, min. est ex se clara.

Confirmatur. Si res aliquando sint DEO physicè præsentes, aliquando non sint physicè præsentes, sequitur scientiam DEI de rebus fore mutabilem. Conseq. est absurdum: ergo. Sequela probatur. Illa scientia aliquando esset, & aliquando non esset intuitiva, quando physicè non existerent: ergo esset mutabilis.

Ais: tantùm fore mutabilem extrinsecè & ex parte rei visæ, non autem intrinsecè & ex parte visionis. *Contrà* est *primò*. Quòd visio sit actus immanens, qui absque intrinseca immutatione videntis aliter se habere non potest. *Contra* est *secundò*. Si decretum DEI de ponendo Antichristo transiret in Decretum de non ponendo Antichristo, non esset extrinseca, sed intrinseca mutatio ex parte actûs; ergo si scientia intuitiva transeat in non intuitivam & abstractivam, vel è converso, non tantùm erit extrinseca, sed intrinseca mutatio ex parte actûs. Non enim minùs scientia est actus immanens DEI, quàm Decretum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

17. OBjic. primò authoritatem SS. PP. è quibus D. August. l. 1. de Gen. ad litt. c. 18. dicit: *Res antequam fierent, erant, & non erant: Erant in DEI scientia, non erant in sua natura.* Ubi videtur exclusâ physicâ præsentiâ solam objectivam admittere. Rursus serm. 11. de v. Ap. *DEVS habet electos suos apud semetipsum non in sua natura, sed in præscientia sua.* Huc pertinent plura dicta SS. PP. copiosè congesta ab Henr. à S. Ign. n. 106. & sequentibus ubi dicunt, *omnia ante conspectum DEI præsto esse, ipsum cuncta præsentem videre, &c.* quæ omnia videntur tantùm indicare præsentiam in esse cognito. Hoc ipsum videtur velle S. D. q. 12. d. Ver. a. 3. dicens: quòd *ea, quæ in se ipsis non sunt, apud DEVM existant, in quantum sunt ab ipso cognita & præordinata.*

Resp. Cum SS. PP. & S. D. l. cit. affirmant præsentialitatem cognitionis, non ideò negare, sed affirmare creaturarum præsentiam secundùm realem durationem, quippe quæ fundamentum est præsentiæ & cognitionis intuitivæ. Hinc D. Th. 3. contra gent. c. 154. sup. citato, causam visionis reddit, *cùm sint ei præsentia ratione suæ æternitatis.* Et D. Aug. Solil. c. 12. *quod ego per successus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis exspecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est, & quod futurum est, jam factum est.*

Cùm igitur D. Augustinus negat aliquid esse coram DEO in sua natura, loquitur de creaturis in sua propria mensura, intrinseca duratione, & passiva immutatione consideratis: sic enim utique omnia sunt in tempore condita.

18. Objic. secundò. Si DEO omnes creaturæ essent physicè præsentes in æternitate, tunc omnes eidem ab æterno physicè coëxisterent: sed hoc inprimis repugnat S. script. ex qua constat, omnia incepisse in tempore. Repugnat secundò doctrinæ fidei, quæ dicit nihil fuisse ab æterno præter unum DEUM &c. Repugnat tertiò dictis SS. PP. qui agnoscunt æternitatem fuisse, antequam essent creaturæ; sic enim D. Augustinus 12. d. Civ. c. 28. *Si potentiam suam DEVS à rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt: ante dico æternitate, non tempore.* Repugnat quartò rationi, quia vel coëxisterent secundùm mensuram propriæ durationis, vel secundùm mensuram æternitatis: non secundùm mensuram propriæ durationis, ut patet; non secundùm mensuram æternitatis; quia hæc non est ipsis ratio durandi, sed DEO. Aut si ipsis esset etiam ratio durandi ab æterno, esset etiam ratio infinitè & in æternum durandi, cùm hoc sit proprium æternitatis.

Resp. neg. seq. maj. quia creaturam esse ab æterno vel coëxistere DEO ab æterno, significat creaturam secundùm esse suum intrinsecè passivè immutatum, adeoque in propria durationis mensura coëxtendi ad totam æternitatem, quod falsum est: creaturam verò esse DEO præsentem in æternitate, tantùm significat infinitam durationem divinæ æternitatis virtualiter coëxtendi secundùm aliquam virtualem sui partem, ad illam ipsam durationem & differentiam temporis, in quâ creatura aliquando erit producenda, jamque hoc ipso propter suam infinitam præsentialitatem divino conspectui tanquam productam & suæ æternæ actionis realem terminum extrinsecè connotatum præsentare (quod etiam voluit S. D. cit. a. 13. in c. dicens, *omnia quæ sunt in tempore, DEO esse ab æterno præsentia.*)

Unde propriè loquendo potiùs esset dicendum æternitatem coëxistere futuris, quàm futura æternitati: cùm ratio præsentiæ, non sit extensio existentiæ creatæ ad æternitatem sed virtualis extensio æternitatis ad durationem creaturæ. Cùm igitur objectæ authoritates tantùm loquantur de rebus quatenus passivè immutatis & in propria durationis mensura consideratis, nihil nobis officiunt.

Ad objectam rationem. Resp. creaturas DEO coëxistere in æternitate tanquam mensura extrinseca, ad quod non requiritur, ut æternitas sit ipsis creaturis ratio durandi; sed quòd tanquam suprema & infinita mensura durandi ad omnem temporis differentiam, omnemque creatam durationem sese virtualiter extendat, eamque extrinsecè connotet.

19. Objic. tertiò. Est inintelligibile, quòd res, quæ nondum sunt, sint præsentes; & quæ nondum existunt, coëxistant: sed hoc dicitur in nostra sententia, quid enim est aliud, futura secundùm esse reale physicum esse præsentia in æternitate., quàm coëxistere æternitati, priusquam sint? non enim sunt, antequam per sui passivam immutationem proprium esse & in propria mensura acceperint.

Resp. Est inintelligibile, ut aliquid sit præsens, antequam sit per coëxtensionem & quasi retro tractionem sui esse realis & produci ad mensuram excedentem, conc. per ipsius æternitatis ceu mensuræ excedentis virtualem coëxtensionem ad illam ipsam durationem, in quâ aliquando est, & per ipsius extrinsecam connotationem, nego hoc enim

enim nequaquam eſt inintelligibile, ſed omnino veriſſimum: quia per hoc (ut rectè explicat Conenſou & Jo. à S. Th.) nil aliud volumus, quàm quòd ex ſuppoſito, quòd creaturæ vi divini decreti fiant ſecundum eſſe ſuum reale terminus divinæ & æternæ actionis, nondum quidem paſſivè immutatus, & in ſua menſura productus, ſed tamen connotatus, hoc ipſo æternitas DEI ex propria ſua linea illum terminum ejuſque temporaneam productionem & durationem exhibeat, non certè ut futuram, quod repugnat infinitæ ipſius & indiviſibili immutabilitati, ſed ſimultaneè & præſentialiter, ita quidem ut ſi per impoſſibile Dominus DEUS res futuras & creatas non cognoſceret in ſuis ideis, tamen illas in ſua æternitate propter eminentem continentiam omnis creatæ durationis cognoſceret: ut clarè indicat S. D. infra q. 57. a. 3. *DEVS videt omnia in ſua æternitate, quæ cum ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & ipſum concludit: & ideo unus DEI intuitus formatur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia.*

Si dicas, hanc præſentiam eſſe tantùm objectivam, erit nobis quæſtio & diſſenſio de nomine: interim, cùm res futuræ ſecundùm eſſe & durationem phyſicam ſint termini divinæ actionis, & ad illa ſe divina æternitas virtualiter coëxtendat; meritò dicuntur ſecundùm eſſe phyſicum eſſe præſentes in æternitate.

20. Objicies quartò. Priùs debet res eſſe in propria menſura, quàm in aliena; ſicuti nec poteſt eſſe in alieno loco, niſi mediante loco proprio, unde ſi qua res per poſſibile vel impoſſibile nullam haberet durationem, etiam menſurari non poſſet æternitate; ſed futura nondum ſunt in propria menſura: ergo nec in aliena.

Reſp. Debet eſſe priùs in propria menſura, vel ut menſurante, vel ut menſuratâ conc. ut actu menſurante, nego. Sed futura nondum ſunt in propria menſura, ut menſurante, concedo, ut menſuratâ, nego minorem & conſeq. Senſus diſtinctionis eſt, quòd equidem ſit impoſſibile, ut æternitas DEI ſe extendat ad alicujus rei eſſe phyſicum, niſi illud eſſe habeat aliquam durationem; (imò cùm duratio ipſa ſit ens reale, etiam ipſa debebit eſſe præſens æternitati) quia tamen hæc ipſa duratio prout eſt æternitati præſens, non exercet ſuam ſucceſſionem, ratione cujus menſurat res futuras, ideo res ſunt DEO præſentes in ſua duratione & tempore, non tamen ut menſurante & rebus menſuratis ſucceſſivè applicatâ, ſed ut menſurato, quatenus ad ſingulas illius partes ſeſe extendit ſimultanea & uniformis æternitas DEI.

Inſtas primò. Non poteſt alicui convenire prædicatum in aliena menſura, quod ipſi repugnat in propria; ſed DEO ſimul coëxiſtere ſucceſſiva, v. g. diem hodiernum & craſtinum, item contraria in eodem ſubjecto, ut mortem & vitam, luſus & luctus, peccatum & gratiam, &c. repugnat rebus in propria menſura: ergo etiam in aliena.

Reſp. diſt. maj. Quod repugnat in propria menſura, repugnat etiam in aliena, niſi ſit prædicatum accidentale conveniens ex modo eſſendi in ſuperiori menſura, concedo; ſecus; nego: ita enim Corpori Chriſti D. ex modo eſſendi in Euchariſtia convenit eſſe inviſibile, cui ex modo eſſendi in cælo oppoſitum convenit.

Et ſimiliter licèt ſucceſſivis repugnet ſimultas, uti etiam contrariis in eodem ſubjecto, quia tamen id ſolummodò ex modo eſſendi in propria menſura habent, quem ſuperior & infinita menſura æternitatis abſorbet, & ad ſuæ indiviſibilis & immutabilis præſentialitatis modum trahit; ideo in illa ſuperiori menſura repugnantiam amittunt.

Inſtas ſecundò. Quæcunque coëxiſtunt ſimul uni tertiò indiviſibili, coëxiſtunt ſimul inter ſe: ſed ſucceſſiva & contraria per nos ſimul coëxiſtunt uni indiviſibili *Nunc* æternitatis: ergo ſimul coëxiſtunt inter ſe, quod implicat.

Reſpondeo. Quæ coëxiſtunt adæquatè uni tertiò, tàm formaliter quàm virtualiter indiviſibili, ſimul coëxiſtunt inter ſe concedo; quæ inadæquatè coëxiſtunt uni tertiò, formaliter quidem indiviſibili, diviſibili tamen virtualiter, nego: ſed ſucceſſiva & contraria, Adamus & Antichriſtus, gratia & peccatum, mors & vita, non coëxiſtunt adæquatè, ſed inadæquatè eidem *Nunc* æternitatis ut virtualiter diviſibili: quia productio Adami v. g. coëxiſtit æternitati ſecundùm æquivalentiam, quam habet *Nunc* æternitatis cum illa differentia temporis, in qua Adamus fuit productus: Antichriſtus verò coëxiſtit æternitati ſecundùm æquivalentiam, quam *Nunc* æternitatis habet cum illa differentia temporis, in qua futurus eſt Antichriſtus.

Objic. quintò. Immenſitas quantumcunque 21.
infinita juxta noſtram ſententiam non ſe extendit ad ſpatia imaginaria, & creaturas nondum exiſtentes, quia à parte rei nihil ſunt; ergo nec æternitas DEI ſe extendit ad tempora futura, quia adhuc nihil ſunt. Conſequentia patet: quia ſicut æternitas eſt ratio durandi; ſic immenſitas eſt DEO ſuprema ratio ubicandi.

Confirmatur. Creaturæ non ſunt ubique in Immenſitate tanquam ubicatione ubique menſurante & locante: ergo nec ſunt ſemper præſentes in æternitate tanquam duratione ſemper menſurante.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd immenſitas DEO non ſit ratio actualiter occupandi ſpatium, vel exiſtendi in creaturis, niſi mediante contactu virtuali ſuæ operationis: in nihilo autem nihil operatur. Econtra æternitas eſt ipſi immediata & infinita ratio durandi, quæ ex ſuppoſitione, quòd aliquid ſit futurum vi divini decreti, non poteſt ſe non ad illud, ceu terminum divinæ actionis extendere, & illud connotare.

Ad 2. patet diſparitas, cùm, quod falsò ſupponunt Adverſarii, immenſitas non ſit immediata formalis ratio locandi, ſicut econtra æternitas eſt formalis ratio durandi. Imò verò ſi immenſitas eſſet immediata ratio locandi, foret in hoc paritas, quòd ſicut per æternitatem ceu menſuram ſuperiorem, infinitam indiviſibilem omnes creaturæ fiunt DEO præſentes, ſic per immenſitatem infinitam & formaliter indiviſibilem menſuram ubicandi, omnes creaturæ ubique fiant à DEO indiſtantes, quod defacto certiſſimum eſt: non tamen ideo ſequitur, creaturam aliquam

fore

fore ubique: quia immensitas faceret illam indistantem non secundùm se totaliter, sed secundùm sui partem virtualem, quatenus nempe æquivalet loco proprio determinato creaturæ: & sic pariter non sequitur, quòd creatura sit æterna, vel ab æterno, quia æternitas illam DEO facit præsentem non se totâ, sed secundùm illam partem, vel (ut appellant) sinum virtualem æternitatis, secundùm quem correspondet propriæ durationi & mensuræ creatæ, ac certæ temporis differentiæ.

22. Inferes ex dictis primò. Quamvis omnia successiva etiam contraria & repugnantia, mors & vita, peccatum & gratia sint simul præsentia in æternitate, non tamen destrui ipsorum essentialem successionem aut contrarietatem, quia illa præsentia est ipsis extrinseca, non intrinseca; nempe præsentialitate æternitatis se ad illa extendentis, non præsentialitate suæ durationis ad æternitatem se extendentis.

Ipsa quoque æternitas non adæquatè, sed virtualiter inadæquatè ad illa extenditur; ita nimirum, ut secundùm aliam perfectionem virtualem exhibeat Judam Apostolum, secundùm aliam partem Judam proditorem; secundùm aliam partem virtualem Antichristum natum, secundùm aliam mortuum. Unde

Inferes secundò. Utramque propositionem si-23. ne contradictione verificari posse: *Nunc Antichristus est, nunc Antichristus non est*: si nimirum in prima propositione ly *nunc* significet mensuram alienam & *Nunc* æternitatis: in altera verò mensuram propriæ durationis.

DISPUTATIO VI.

DE

Existentia & possibilitate visionis DEI.

COnsideravimus DEUM, ut in se est, nunc ipsum contemplamur, *prout est in cognitione nostra*: quod triplici modo fieri potest. Primò quidem naturali & abstractivâ cognitione, quâ ex *visibilibus* effectibus *invisibilia DEI* intelliguntur: quomodo DEUM à nobis cognosci, nec invincibiliter ignorari posse initio dictum est. Secundò cognitione supernaturali, sed obscurâ tamen, & abstractivâ, quæ ex lumine & habitu fidei procedit, suo loco discutienda. Tertiò clarâ & intuitivâ, quâ DEUS ut in se est, cognoscitur, & per analogiam ad visionem corpoream, *visio* appellatur, verè *visio magna*! Ex 2. quâ mentes beatæ *Regem in decore suo videbunt*. Is. 33. non ampliùs in umbra fidei, sed luce gloriæ, non in *ænigmate, sed facie ad faciem*. 1. Corinth. 13. Hujus existentiam & possibilitatem præsenti disputatione disquirimus, & à certis ad incertiora progredimur.

ARTICULUS I.

An DEVM clarè videri per gratiam sit possibile?

SUMMARIA.

1. *Hæresis contra præsentem doctrinam & contraria Catholica veritas.*
2. *Exponuntur objecta testimonia S. script.*
3. *Et authoritates quorundam SS. PP.*
4. *Beati de facto DEUM vident.*

1. ARmenorum error fuit, quos refert Armacanus l. 14. c. 1. & cujusdam Almarici tempore Innocentii III. quòd DEUS per nullam potentiam ab aliquo intellectu creato intuitivè videri possit. Cujus oppositæ sententia est de fide ex SS. litteris 1. Jo. 3. *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem &c.* Talia habentur Matt. 5. & Matt. 18. Ex quâ infallibiliter sequitur altera pars conclusionis: quia actus probat potentiam, & confirmat speciali ratione S. Doctor: Possibile est ut creatura rationalis consequatur suam beatitudinem: sed ejus beatitudo consistit in clara visione DEI: ergo possibile est ut creatura rationalis DEUM videat.

2. Neque obstant primò illa script. loca, quibus negari videtur possibilitas creatæ visionis, uti cum 1. Tim. 2. DEUS dicitur *invisibilis*, & c. 6. *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. & 1. Jo. 1. *DEVM nemo vidit unquam*. Nam Resp. Hæc loca secundùm SS. PP. interpretationem intelligenda esse juxta contextûs diversitatem vel de visu corporeo, vel de visione, quæ fit viribus ac lumine naturæ, vel in hâc vita secundum legem DEI ordinariam, vel tandem de visione comprehensiva DEI, qualem non tantùm haberi posse, sed se ipsos de facto habere, jactitabant hæretici Anomæi, ut refert Theodoret. l. 4. hæret. fab.

Neque obstant secundò authoritates quorundam SS. PP. velut Hieron. in c. 1. Isaiæ dicentis, *nullam creaturam videre faciem DEI juxta naturæ suæ proportionem*. S. Basil. l. 1. contra Eunom. *Substantiam DEI esse omnibus, præterquam Unigenito, & Spiritui S. invisibilem*. S. Chrysost. ho. 14. in Jo. *nec Prophetas, nec Angelos DEVM vidisse, sed solum filium & spiritum S.* Dicendum enim est cum S. D. hîc a. 1. ad 1. Hos aliosque SS. PP. de quorum mente & sensu aliunde satis

satis constat, solum negasse, quòd creaturæ possit competere comprehensiva DEI cognitio, siquidem disputabant contra Eunomium & Anomæos hæreticos, qui dicebant, se etiam naturali cognitione DEUM comprehendere. Et hoc colligit citatus S. D. ex verbis Chrysost, paulo post prædicta verba subjectis, quibus visionem vocat *certissimam Patris considerationem, & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.* Qui etiam ho. 69. ad pop. inquit: *Beatos Regem ipsum contueri, manifeste non per introitum, non per ænigma, non per speculum, sed facie ad faciem, non per fidem, sed per speciem. quid clarius?*

4. Possibilitatem hujus visionis præterea probat ipse actus, siquidem à Florentino in Decreto unionis definitum est, *animas plenè purgatas clarè intueri DEUM Trinum & Unum, sicuti est.* Quod etiam definiit Benedictus XII. in extravag. *Benedictus DEVS*, ac denique Trident. Sess. 5. in decr. pecc. orig. & Sess. 25. de invoc. SS. tametsi ante ejusmodi definitiones nondum fuerit articulus fidei, *justorum animas sine labe defunctas immediate ad DEI visionem in cælum recipi*: dissentientibus præter plures illius temporis Doctores ipsomet Joanne XXII. Et sanè hoc ipsum clarissimè attestatur S. scriptura 1. Jo. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Matt. 5. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Matt. 18.

Dices primò. Implicat, ut creatus intel- 5.
lectus videat omnia possibilia: ergo etiam implicat, ut videat divinam essentiam, utpote perfectiorem omnibus possibilibus. Secundò oculus corporeus non potest videre substantiam Angeli: ergo neque intellectus creatus potest videre DEUM. Resp. ad primum negando causam & suppositum paritatis: quia quòd implicet visio omnium possibilium causa non est objecti perfectio, quia si viderentur in divina essentia, etiam divina essentia & omnipotentia comprehenderetur, prout inf. dicetur. Ad secundum disparitas est: quòd substantia intellectualis non contineatur intra adæquatum objectum visus, quod est color & lux. Essentia verò divina contineatur intra latitudinem entis cognoscibilis, quod est adæquatum objectum intellectus. Secundæ partis ratio est: quòd quidquid evidentiâ positivâ demonstratur, vel per causam, vel per effectum naturalem demonstratur: sed visio beatifica nec habet sui causam naturalem saltem adæquatam & completam, cùm ipsa sit quo ad substantiam supernaturalis, & proximum ipsius principium sit supernaturale lumen gloriæ; sed nec habet aliquem effectum naturalem, ut patet: ergo ratione naturali positivè demonstrari non potest.

ARTICULUS II.

An possibilitas hujus visionis sit evidenter cognoscibilis?

SUMMARIA.

1. *Datur evidentia negativa possibilis visionis.*
2. *Quomodo verum sit, quòd finiti ad infinitum nulla proportio?*
3. *Ex dignitate objecti crescit dignitas actûs geometricè.*
4. *Nulla est paritas ab impossibilitate videndi omnia possibilia.*
5. *Quomodo sit major distantia intellectûs creati à DEO, quam Angeli ab objecto corporeo?*
6. *Positiva ratio S. D.*
7. *Et Scoti.*
8. *Neutra nisi suppositâ revelatione evidenter concludit.*
9. *Scriptura & ratio oppugnat positivam evidentiam.*
10. *Argumentum à naturali appetitu videndi causam.*
11. *Nec innato, nec elicito appetitu naturaliter desideratur clara DEI visio.*
12. *Non obstante, quòd DEUS clarè visus sit hominis beatitudo.*

CONCLUSIO. *Negativâ evidentiâ prædictæ visionis possibilitas ostendi potest*, solutione *videlicet earum, quæ objici possunt, contradictionum & rationum.* Si qua enim foret implicantia, foret ex parte potentiæ videntis; non ex parte objecti visi: Essentia quippe divina, uti est actus purus, ita ratione sui maximè est intelligibilis, ac visibilis, sed quænam illa foret ex parte potentiæ?

An primò? quòd finiti ad infinitum nulla pro- 2.
portio, visio est finita, Essentia DEI infinita: ergo inter illa nulla proportio: atqui inter visionem & objectum visum debet esse proportio. Sed ut taceam, quòd hoc argumentum etiam abstractivam DEI cognitionem tolleret, adeoque nimis probaret. Resp. Finiti ad infinitum nulla est proportio, sub eâdem acceptione & nomine; conc. sub diversa, nego. Itaque nulla est proportio inter DEUM & creaturam in ratione entis & entis, actûs & actûs: nam esse & actualitas DEI infinities excedit omne esse & actualitatem creatam: est autem proportio in ratione causæ & effectûs, actûs & objecti, termini & terminabilis, perfectivi & perfectibilis, &c.

An secundò? quòd ex dignitate objecti crescat 3.
dignitas & perfectio actûs; ergo si clarè videretur infinita DEI essentia, etiam visio foret infinita. Sed rursus, omissâ priori rerorsione. Resp. Crescit ejus perfectio juxta conditionem suæ lineæ, & proportionem geometricam, concedo; juxta con-

1. Nota: Aliam esse & dici evidentiam positivam, aliam negativam. Positiva est, cùm medio positivo ac evidenti ratione demonstratur alicujus rei possibilitas. Negativa est, cùm evidenter solvuntur argumenta possibilitatem oppugnantia, De posteriori loquendo sit.

ditionem objecti, & æqualitatem arithmeticam; nego.

4. An tertiò? quòd essentia divina sit infinitè perfectior, quàm omnes creaturæ possibiles: ergo si implicat visio omnium possibilium, etiam implicabit visio divinæ essentiæ. Sed nego conseq. quia causa, cur implicet visio omnium creaturarum possibilium, non est earundem perfectio, sed quia si omnes viderentur, ipsa divina omnipotentia & essentia in qua videntur, deberet comprehendi.

5. An quartò? quòd major sit distantia DEI ab intellectu creato, quàm Angeli à visu corporeo; sed Angelum videri visu corporeo est impossibile: ergo & DEUM videri intellectu creato est impossibile. Sed Resp. Majorem esse distantiam in esse entis, non in esse & ratione objecti: quia Angelus est extra objectum adæquatum visus corporei; DEUS autem continetur intra objectum adæquatum intellectûs creati.

§. II.

Non datur positiva evidentia visionis.

6. Positivâ ratione S. Doct. possibilitatem visionis ita probat. Possibile est creaturam intellectualem consequi suam beatitudinem: sed beatitudo consistit in clara visione DEI: ergo possibile est à creatura intellectuali clarè videri DEUM. Addit Scotus secundò. Possibile est intellectum saltem per confortationem luminis superioris id omne intuitivè cognoscere, quod intra adæquatum ipsius objectum continetur; sed DEUS continetur intra adæquatum ipsius objectum, quod est ens in tota latitudine: ergo DEUM intuitivè videre potest.

7. Probant hæc argumenta possibilem DEI visionem; sed etiamne evidenter probant, ita ut naturali evidentiâ convincant intellectum? Verùm prima S. Doct. probatio, quamvis evidenter concludat, supponit tamen in minori propositionem revelatam, quæ naturali lumine cognosci non potest, beatitudinem nempe nostram in clara DEI visione consistere, unde non est purè naturalis, sed Theologica demonstratio.

Secunda probatio Scoti hoc ipso non evidenter concludit, quòd nempe major, neque minor propositio sit evidens: quando enim visio intuitiva extrahit objectum â modo connaturali cognoscendi intellectûs creati, non est amplius evidens, an tale objectum intuitivè cognosci possit, aut utrum adhuc intra adæquatum ipsius objectum comprehendatur: Esto enim, quòd intra illud comprehendatur quoad substantiam, non tamen est certum, an intra illud quoad modum visibilitatis contineatur.

8. Ais: Visui corporeo concedenda est intuitiva tendentia in omnia sua objecta: ergo etiam intellectui tanquam potentiæ superiori: ergo etiam, sicut est evidens, Visui corporeo esse possibilem intuitivam cognitionem suorum objectorum: ita hoc ipsum erit evidens respectu intellectûs.

Resp. nec primam, nec secundam consequentiam esse evidentem. Non primam: quia inprimis nimium infert, & probat, videlicet defacto inesse intellectui omnis objecti intuitivam cognitionem: & aliunde falsum est, quòd ea, quæ conveniunt inferioribus, debeant reperiri in superioribus. Non secundam: quia sicuti præter modum intuitivè cognoscendi, convenit intellectui modus abstractivè cognoscendi, quo propter suam materialitatem caret visus corporeus; ita inferri posset, quòd aliqua quidem objecta intuitivè; alia verò abstractivè ab ipso cognosci deberent.

Dico igitur. Neque his, neque aliis rationibus 9. naturali lumine excogitatis positiva evidentia datur de clara DEI visione: ut satis insinuavit Apost. 1. Cor. 2. *quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEVS iis, qui diligunt illum*, conformiter ad illud Is. 64. *Oculus non vidit DEVS absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Triplex quippe datur modus certò aliquid cognoscendi: vel primò immediatè exterminis, vel secundò à priori per causam, vel tertiò à posteriori per effectum: sed nullo ex his modo datur certa & evidens de clara visione cognitio.

Non primo: quia nullas habemus naturales species claræ visionis, quibus illa, ejusque cum possibilitate aut existentia connexio repræsentari possit. Non secundo modo: quia principia visionis, ut essentia divina in ratione speciei, lumen gloriæ &c. æquè ignota sunt nobis, quàm ipsa visio. Non tertio modo: quia nullus datur in natura effectus à clara visione dependens, aut connexionem cum illa habens.

Oppones: Inest homini naturalis appetitus vi- 10. dendi DEUM; sed iste non est sine naturali cognitione objecti possibilis: ergo homo naturaliter cognoscit visionem DEI esse possibilem. Majorem probat S. D. hîc. a. 1. in c. *quòd insit homini naturale desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum.* Minor patet, quia non datur efficax appetitus rei impossibilis, unde D. August. l. 4. contra Jul. *Naturali instinctu beati esse non vellemus, nisi esse possemus.* Verùm ut supra n. 8. dixi: Inest quidem naturale desiderium cognoscendi causam, modo quo judicat sibi esse possibilem ipsius cognitionem: atqui sine revelatione non potest judicare intellectus sibi intuitivam cognitionem DEI esse possibilem. unde in forma nego maj. & probat. distinguo. Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam sive abstractivè, sive intuitivè conc. semper intuitivè, nego, vel sub distinguo, si novit ejusmodi cognitionem sibi debitam aut proportionatam, conc. si non novit, nego.

Ex quo Infero ulterius: Neque efficaci appetitu 11. sive innato, sive elicito claram visionem naturaliter desiderari posse. Non innato; quia iste est vis & propensio naturaliter inclinans in finem à natura præstitutum: at visio clara excedit naturæ vires. Non etiam elicito; quia appetitus efficax cùm sit applicativus mediorum, non fertur in finem, nisi ut possibilem assequi, & taliter ab intellectu cognitum: sed visio beatifica nec viribus naturæ est assequibilis, neque ut possibilis ab intellectu cognoscitur: ergo neque efficax appetitus naturæ in illam ferri potest. Dixi, *efficax*: cùm enim *insit homini naturale desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum*, ut inquit S. D. hîc. q. 12. a. 1. sicut homo habet efficacem appetitum etiam intuitivè cognoscendi causam, quando visionem illius natu-

ra-

turaliter cognoscit esse possibilem; ita potest habere inefficacem & conditionatum appetitum videndi causam, quando, licèt naturaliter quidem visionis possibilitas ipsi non sit cognita; tamen etiam impossibilitas visionis non est manifesta.

12. Dices. DEUS clarè visus est hominis beatitudo & finis ultimus: sed inest homini naturale desiderium & appetitus suæ beatitudinis, quemadmodum omnia creata suos fines appetunt: ergo inest homini naturalis etiam appetitus clarè videndi DEUM, & consequenter clara DEI visio est ipsi naturaliter cognoscibilis.

Resp. dist. maj. DEUS clarè visus est hominis elevati in finem supernaturalem beatitudo & finis ultimus conc. hominis ut sic & suæ naturæ relicti, nego maj. sed homo naturaliter appetit suam beatitudinem cum elevatione & adjutorio supernaturali conc. sine illo nego. min. & primam conseq. vel eandem subdistinguo: ergo inest homini naturalis appetitus videndi DEUM, naturalis cum adjutorio gratiæ, conc. sine illo, nego conseq. Et sic pariter dist. alterum consequens: ergo clara DEI visio est naturaliter ipsi cognoscibilis supposito lumine illustrationis supernaturalis conc. hoc secluso nego.

Ais: Quomodo cognoscit aut appetit naturaliter, si indiget lumine & adjutorio supernaturali? Resp. In quantum naturali discursu ex propositione revelata infert naturalem conclusionem. Sic inest homini adjuto & elevato naturalis appetitus illius beatitudinis supernaturalis saltem implicitè, hoc est, inest appetitus connaturalis, & ad beatitudinem supernaturalem, tanquam proportionatam, supposità elevatione in finem supernaturalem, de quo plura in tract. de grat.

ARTICULUS III.

An in hac vita ab aliquo homine DEVS clarè videri possit, aut aliquando visus fuerit?

SUMMARIA.

1. *Viâ ordinariâ in hac vita DEVS non potest videri.*
2. *Viâ extraordinariâ potest.*
3. *Non est certum in hac vita ab ullo mortali DEVM clarè visum.*
4. *Est tamen probabile.*
5. *Præsertim in Beatissima Virgine.*
6. *Probabiliter hoc privilegium concessum S. Patriarchæ Benedicto authoritate S. Gregorii.*
7. *Accedit authoritas SS. Bonaventuræ, Dionysii Carthus. aliorumq.*
8. *Objectio ex lumine creato.*
9. *Retunditur ex S. script.*
10. *Et verbis ipsius S. Gregorii M.*
11. *Visio S. P. Benedicti una sensibilis, alia intellectualis.*
12. *Raptus ad divinam visionem non necessariò impedit omnem operationem sensibilem.*
13. *Censura indiscreta quorundam perstringitur.*
14. *Non sequitur ex visione transeunte amissio fidei.*
15. *Fidei veritas, oculo corporeo non videri DEVM.*
16. *Etiam implicantia possibilitatis ostenditur.*
17. *Oppositi textus explanantur.*
18. *DEVS non est extra adæquatum objectum intellectûs.*
19. *Disparitas à causalitate instrumentorum.*
20. *Visio intellectualis in oculo corporeo implicat, & nihil probat.*

§. I.

Possibilitas extraordinaria ostenditur.

1. CONCLUSIO I. *Quamvis in hac mortali vita secundùm viam & Legem ordinariam ab homine DEVS videri non possit: tamen secundùm legem viamq. extraordinariam sive permanenter, sive transeunter videri potest.* Ita comm. cum S. D. a. 11.

Primæ partis ratio est: quia connaturalis modus DEUM intelligendi pro hoc statu, est eum cognoscere dependenter à sensibus: sed iste modus non est idoneus ad clarè intuendam divinam essentiam: quæ cum sit supremum omnium intelligibilium, intellectum maximè à sensuum officiis avocat. Unde ex historiis constat, animam quamvis ad abstractivam tantùm cognitionem sublimiorum mysteriorum elevatam, subinde à sensuum actibus abalienari, & inecstasin rapi. Quantò magis intuitio divinæ essentiæ omnem sensuum & vitæ corporeæ operationem sopiret? qua de causa Ex. 33. dictum. *Non videbit me homo, & vivet.*

Ratio est secundò. Quòd homini pro hoc statu ceu viatori conveniat, DEUM per fidem cognoscere; sed clara DEI visio saltem permanenter obtenta non compatitur fidem: ergo non est conveniens homini viatori.

2. Secundæ partis ratio est primò: quia anima humana Christi, quantumvis uteretur ministerio sensuum ad alias functiones, tamen permanenter à primo suæ creationis instanti habuit scientiam beatam: cùm ergo humana Christi natura & anima sit ejusdem rationis cum nostra, constat impossibile non esse, ut etiam puro homini in hoc statu permanenter communicetur clara DEI visio. Antec. declarabitur in tract. de Incarn. Constat secundò, quia Beati post resurrectionem non obstante sensuum vitæque corporeo usu DEUM videbunt. Ac tertiò: quia nulla est assignabilis implicantia, cur visio clara DEI puro homini sive permanenter, sive transeunter nequeat communicari: cùm facilè imbecillitas corporis animam aggravantis divinâ virtute & extraordinario privilegio emendari possit.

§. II.

De facto non certò, sed probabiliter asseritur.

3. CONCLUSIO II. *Quamvis certum non sit, valdè tamen probabile est, de facto in hac vitâ quosdam sanctos transeunter & in raptu clarè vidisse divinam essentiam.*

Ratio primæ partis est: quia loca S. Scr. 1. Tim. 6. cit. Ex. 33. & Jo. 6. *non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à DEO, hic vidit Patrem*, universaliter negant à quoquam homine in hac vita videri DEUM; & in tali universalitate absque ullius hominis exceptione à multis SS. PP. Cyrillo, Hieron. Chrysost. Greg. Naz. aliisque à Contensono citatis negatur hoc privilegium videndi divinam essentiam concessum mortalibus.

4. Ratio secundæ partis est: quia D. Augustinus multis locis, præsertim l. 12. d. Gen. ad lit. c. 16. 27. & 28. cum S. D. hîc, a. 11. ad. 2 ab hac universali regula excipiunt Moysen & Paulum Apostolum, fundamento ex ipsa S. script. accepto, nam de Moyse quidem DEUS dicit Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* De D. autem Paulo, ipsemet 2. Cor. 12. *raptum fuisse usque ad tertium Cœlum, & raptum fuisse in paradisum, ibiq; audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hæc autem ineffabilia non ad cognitionem fidei (aliàs illa eloqui potuisset) sed ad visionem beatorum pertinent, de quâ Is. 66. *Oculus non vidit DEUS absque te, quæ præparâsti diligentibus te.* Congruentiam dat S. D. quòd Moyses fuerit Magister Judæorum, & Paulus Magister Gentium.

5. Inferes ex dictis: Si ulli sanctorum hoc privilegium fuit concessum, id maximè competere Beatissimæ Virgini, cui omnis reliquorum sanctorum prærogativa, ipsius statui congruens, est adscribenda, juxta Angelici Doct. pronunciatum in 3. p. q. 27. a. 1. *rationabiliter credo, ut illa, quæ genuit unigenitum à Patre, præ omnibus aliis majora privilegia acceperit gratiæ.*

§. III.

Adstruitur hoc privilegium S. Patriarchæ Benedicto.

6. CONCLUSIO III. *Hoc privilegium meritò & probabiliter tributur* S. Patriarchæ Benedicto, utpote accepto fundamento à summo Ecclesiæ Doctore D. Gregorio M. qui cùm l. 2. Dial. c. 35. retulisset, quòd vir Sanctus in quodam raptu *velut sub uno solis radio totum mundum collectum conspexit.* Sequenti c. 36. hunc radium fuisse *DEI lumen* affirmat, dicens: *hæc procul dubio cernere non nisi in DEI lumine poterat.* Et causam ulteriùs explanans, cur *totum mundum ante se collectum viderit: animæ*, inquit, *videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne, quod creatum est, &c.* Atqui videre DEUM & in DEI lumine significat claram visionem DEI: sic enim Glossa in illud Ex. 33. *Non videbit me homo & vivet*, dicit, *lumen DEI esse claritatem, quæ sit ipse DEUS.*

Atque hoc ipso modo D. Gregorium intelligit S. Bern. in Serm. super illud: *Audiam, quid loquatur in me Dominus.* ubi cùm Angelicam cognitionem creaturarum in DEI visione prætulisset humanæ cognitioni in hac vita, & dixisset: *cùm econtra longè beatius, perfectiusq; Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ*: subjungit: *ad quam nimirum excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur anima illa: quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit: De quo miraculo B. Papa Gregorius in libro Dialogorum scribens: Videnti, inquit, Creatorem angusta est omnis creatura.*

Idem sentit D. Bonaventura de lumin. Eccl. 7. Serm. 20. hæc eadem D. Gregorii verba exponens: *Mundus non fuit coangustatus in uno solis radio, sed ejus animus dilatatus, quia vidit omnia in illo, cujus magnitudine omnis creatura angusta est.* D. quoque Dionysius Carthusianus Serm. d. S. Ben. & Rupertus Tuitiensis uterque visionibus & raptibus celebres hoc ipsum è D. Gregorio inferunt, propugnant nostri Ordinis Religiosi in Collegio Salmaticensi, & Capitulo Generali Vallisoletano teste Hefft. c. 35. Vitæ D. Ben. docent hujus Universitatis clarissimi Professores, præsertim Reverendiss. Rasler in Thesibus de Vit. DEI, & Illustrissimus Reding q. 4. a. 1. n. 26. Item Max. Sandeus Theol. var. l. 3. comment. 42. exercit. 2.

Dices ex S. D. quodlib. 1. ar. 2. ad 1. & 2. 8. istud lumen, sub quo S. Bened. vidit collectum mundum, fuisse aliquod lumen creatum à DEO derivatum, non ipsam divinam essentiam. Cujus indicium est, quòd ad visionem divinæ essentiæ in hac vita requiratur, ut mens humana rapiatur & alienetur à sensibus, adeo ut cum Apostolo Paulo nesciat, utrum *sit in corpore, an extra corpus.*

At Beatus P. Benedictus in illa visione non fuit alienatus à sensibus, siquidem vidit lucem corpoream & sphæram igneam, in qua anima D. Germani ferebatur in cælum, & in eâdem visione persistens Servandum Diaconum advocavit.

Sed contra est primò: Ex verbis S. script. *ostendam tibi omne bonum, palam non per ænigmata DEVM videt.* probabiliter infertur visio divinæ essentiæ: non obstante, quòd Ex. 33. DEUS ad Moysen dixerit: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet.* Et in fi. *videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* ex quo Interp. communiter inferunt, saltem illo tempore divinam essentiam à Moyse non fuisse conspectam. Ergo hoc multò probabilius deducitur è textu D. Gregorii, qui nequidem apparentem oppositionem habet in contrarium, prout deduxerunt SS. PP. & DD. citati. 9.

Contra est secundò: Quòd nisi D. Gregorius hoc termino ipsam DEI essentiam vel lumen gloriæ, & sub ly *videns* claram DEI visionem intellexisset, neque Petro interroganti satis fecisset; neque congruam dedisset responsionem. Nam ex lumine derivato, & prophetica visione non sequitur, 10.

quitur, totum mundum simul aspici; & omnem creaturam angustam fieri, quod tamen in præcitatis verbis affirmat S. Pater.

Contra est tertiò, quòd omnes termini, quibus hanc visionem explicat D. Gregorius, sint proprii claræ Beatorum visioni, non autem alicujus prophetæ. Nam primò dicit, eos qui DEUM vident lucemque Creatoris aspiciunt, *videre, quam angusta sit omnis creatura.* Secundò illos *super se in interioribus ampliari*, tertiò *superiores mundo existere, supra se extolli, & exaltatos comprehendere, quam breve sit omne creatum.* quartò S. P. Ben. *Sublevatum in mentis lumine extra mundum fuisse*; quæ omnia propheticæ solùm visioni nequeunt congruè accommodari.

11. Ad rationem in contrarium Resp. duplicem fuisse illam S. Patris nostri visionem; una erat sensibilis, illius nimirum lucis, quâ noctis tenebræ fuêre fugatæ, & in quâ globum igneum vidit; ad quam etiam aspiciendam Servandum Diaconum vocavit.

Altera verò fuit intelligibilis, in quâ totum mundum collectum & Angelos S. Germani animam deferentes conspexit. Nec refert, quòd visio divinæ essentiæ causet alienationem à sensibus: nam etiam D. Benedictum ita alienatum fuisse ab aliis operationibus tam sensitivis quàm intellectivis satis manifestè judicat D. Gregorius, cùm dicit: *Sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit: item videntis animus est dilatatus, qui in DEO raptus, videre potuit omne quod infra DEVM est.*

12. Qui tamen raptus non impediit, quin divinâ virtute aliquam sensibilem operationem, illam nimirum, quâ lucem sensibilem & in illa globum igneum conspexit, exercere concomitanter potuerit: siquidem & D. Paulus, uti Chrysost. & Theodoretus apud Cornel. à Lap. existimant, in suo raptu corporeis oculis Gloriam Christi vidit, ne minor esset cæteris Apostolis, qui Christum in carne viderunt, prout ipse quoque indicat 1. Cor. 15. dicens: *novissimè visus est & mihi.* Sed & D. Dionysium de cælesti hierarchia ex D. Pauli doctrina Angelorum ordines, quasi oculis spectâsset, describere notat prædictus Cornel. à Lap. in c. 12. ep. 2. ad Cor. Itaque potuit similiter Beatus P. Benedictus miraculosum illius lucis aspectum cum clara visione ex divina virtute (quippe ab aliis operationibus avocatus) conjungere, & ex raptu ad se rediens ad illius quoque aspectum Servandum Diaconum evocare.

13. Unde colliges: Tam modestiæ quàm prudentiæ sale destitutam esse censuram Bannezii, Contensoni, & quorundam aliorum, qui hanc nostram sententiam temerariam & improbabilem pronunciant: quòd enim ipsi ex verbis subobscuris S. script. propter authoritatem D. Augustini & Th. Aqui. contra multorum PP. sententiam de Moyse asserunt, cur nos de nostro S. Patre è D. Gregorii verbis admodum claris propter authoritatem D. Bernardi, Bonaventuræ, Carthus. Ruperti, & aliorum non probabiliter eruamus? accedentibus præsertim congruentiis, quas ex sanctitate & Patriarchali officio S. P. Benedicti adducit Hefftenus loco citato.

Objic. Si qui Sancti in hac vita DEUM vidis- 14.
sent, amisissent fidem; siquidem beata scientia visionis & fidei simul consistere non possunt: sed consequens est absurdum: nam utique Moyses & Paulus Apostolus etiam post raptum manserunt viatores, & fideles.

Resp. Juxta illa, quæ dicuntur in tractatu de fide, permanentem DEI visionem repugnare cum fide, non autem transeuntem, cum qua fides non habet privativam oppositionem: itaque transiens visio divinæ essentiæ actum quidem fidei & habitûs extensionem ad illa mysteria, quæ in divina essentia repræsentabantur, quamdiu durabat, impediit, habitum tamen non destruxit, de quo plura in tractatu de fide.

§. IV.

An oculo corporeo DEVS videri possit?

HUjus quæstionis, quam aliqui parum utiliter 15.
multis disputant, ex dictis patet resolutio, &

Conclusio. Neque videtur, nec videri potest DEUS oculo corporeo, tam de potentia ordinaria, quàm extraordinaria. Est de fide non tantùm quoad 1 p. contra idololatras, & antropomorphitas sed etiam teste Suar. l. 2. c. 6. & Franc. de Lugo d. 1. c. 1. n. 6. quoad 2. p. ex illo 1. Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili.* & c. 6. *qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et deducitur Theologicè ex eo, quòd DEUS sit incorporeus, nam de fide est DEUM esse incorporeum: atqui ens incorporeum & spirituale de potentia saltem ordinaria videri non potest sensu corporeo: ergo nec DEUS.

Tertia quoque pars conclusionis est comm. 16.
DD. contra paucos RR. & probatur: Si oculus corporeus DEUM videret, potentia visiva ipsius ferretur extra suum adæquatum objectum (idem est judicium, de quocunque alio sensu corporeo) sed hoc est simpliciter impossibile: ergo. Minor constat: quia potentia sumit speciem ab objecto adæquato; ergo si abiret extra objectum adæquatum, etiam amitteret & mutaret suam speciem: sicuti si oculus sonum perciperet, jam non esset oculus, sed auris &c. Maj. quoque probatur: Potentia visiva oculi est essentialiter corporea, & intra gradum vitæ sensitivæ contenta: ergo & objectum ipsius essentialiter est corporeum, & contentum intra limites objecti sensibilis: nempe lucidum & coloratum, atqui DEUS, sicut & alius quisque spiritus est objectum incorporeum & insensibile, nullâ qualitate sensibili tinctum: ergo si oculus corporeus DEUM videret, abiret extra suum objectum adæquatum.

Objic. contra primam partem. illud Job. 19. 17.
In carne mea videbo DEVM salvatorem meum: & c. 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Resp. S. D. hîc a. 3. ad 1. in primo loco significari, quòd olim post resurrectionem in carne existens, non tamen oculo carnis sit visurus DEUM. In altero loco intelligi aurem & oculum mentis.

Objic. contra tertiam partem conclusionis pri- 18.
mo:

mò: Quamvis DEUS sit extra objectum connaturale & proportionatum intellectûs, tamen ratione potentiæ obedientialis intellectus elevari potest ad videndum DEUM, ergo idem dicendum de oculo corporeo. Resp. DEUM etsi sit extra objectum, ut vocant, intensivum & proportionatum nostri intellectûs, hoc est, ad quod intellectus propriis & nativis viribus potest pertingere; non tamen esse extra objectum specificativum extensivum & adæquatum: dum econtra DEUS & quisquis alius spiritus est extra objectum adæquatum & specificativum oculi, non tantùm secundùm gradum specificum, secundùm quem limitatur ad objectum lucidum & coloratum, sed etiam secundùm gradum congruum vitæ corporeæ sensitivæ. Si dicas: Plus distat essentia divina à finito intellectu, quàm spiritus à corpore, distinguo: in ratione entis, concedo: in ratione potentiæ & objecti, nego: sic enim (ut mox apparebit) habent majorem convenientiam in gradu immaterialitatis.

19. Objic. secundò. Instrumenta corporea divinitus elevantur ad producendos effectus spirituales, qui sunt extra sphæram activitatis ipsorum, veluti cùm ignis infernalis torquet dæmones, cùm Sacramenta physicè producunt gratiam: ergo etiam potentia corporea elevari potest ad videndum DEUM, quantumvis sit extra objectum proportionatum ipsius. Resp. esse disparitatem, quòd potentiæ cognoscitivæ principaliter influant in suas operationes; & ab iis, sicut etiam ab objectis speciem accipiant: at instrumenta extrinsecùs assumuntur à causa principali, ut ipsius intentioni & virtuti deserviant, neque à suis actibus & effectibus intrinsecam speciem sortiuntur.

Objicies tertiò. Quid impedit, ne DEUS 20. visionem intellectualem ponat in oculo? sed tum oculus corporeus videret DEUM, utpote in se habens visionem DEI. Resp. in primis casum esse impossibilem, quia visio intellectualis, cùm sit essentialiter vita secunda intellectualis, si in oculo corporeo poneretur, non esset ampliùs visio intellectualis. Secundò, dato non concesso antecedente, necdum tamen oculus corporeus posset denominari videns DEUM: quia illa visio oculum non informaret modo vitali, & quatenus vitalis actualitas ipsius, sed præcisè modo mortuo, & quatenus recepta in subjecto inhæsionis.

ARTICULUS IV.

Sitne possibilis intellectus creatus, qui connaturaliter DEVM videat?

SUMMARIA.

1. *Veritas fidei.*
2. *Prima ratio ex illo axiomate: Modus cognoscendi sequitur modum essendi.*
3. *Secunda. quòd cognoscens & cognitum connaturale debeant esse in eodem gradu immaterialitatis.*
4. *Tertia ex supernaturalitate actûs.*
5. *Instantiæ de DEO, Angelo, anima &c.*
6. *Cognitum inferius non excedit capacitatem superioris cognoscentis.*
7. *Angelus inferior est in eodem gradu immaterialitatis genericæ cum superiori.*
8. *Anima rationalis alteram non videt intuitivè, quia est corporea ut quo.*
9. *Abstractiva cognitio attingit actum purum per species alienas.*
10. *Connaturalitas videndi DEVM in Beato est extrinseca.*
11. *Implicat complexum naturale tantæ perfectionis, quàm est intellectus cum lumine gloriæ.*
12. *Implicantia substantiæ creatæ supernaturalis ex multiplici ratione.*
13. *Varia absurda ex opposita sententia.*
14. *Quid probet modus supernaturalis?*
15. *Quomodo participetur ratio substantiæ increatæ à creaturis?*
16. *Repugnat creata substantia supernaturalis, quâ creata substantia.*
17. *Cur in ordine naturæ participetur ratio substantiæ?*
18. *Accidens supernaturale, cur non exigat subjectum connaturale?*

§. I.

Rationes S. D. pro implicantia hujus possibilitatis.

1. DE fide certum est, quòd homo secundùm potentiam ordinariam viribus naturæ non possit pertingere ad claram DEI visionem. Constat ex Apostolo Rom. 6. *Gratia DEI vita æterna.* ergo supra vires naturæ. Item ex 1. Tim. 6. *qui lucem habitat inaccessibilem, &c.* in quæ verba D. Anselmus: *si inaccessibilis est lux, in qua ipse manet, quomodo nobis dicitur, accedite ad eum & illuminamini? sed inaccessibilis est viribus nostris, acceditur autem muneribus suis.* Eodem sensu dicit 1. Cor. 2. *quæ DEI sunt nemo cognovit, nisi spiritus DEI.* & Matt. 11. Christus: *Nemo novit Filium, nisi Pater, & cui voluerit Filius revelare,* Is. 64. *Oculus non vidit DEUS absque te, quæ præparásti diligentibus te:* quæ tametsi de cognitione per fidem accipi possint & debeant, hoc ipso tamen concludunt, non posse dari claram visionem per vires naturæ; siquidem ista æquè supernaturalis, & incomparabiliter perfectior est cognitione fidei. Constat etiam ex definitione Concilii Viennensis, juxta c. *ad nostrum.* Clement. *d. Hæreticis.* ubi damnatur iste error Beguardorum: *anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad DEVM videndum, & eo beatè fruendum.* Controversia igitur est, sitne hoc saltem possibile de potentia extraordinaria ubi (ut rectè advertit Reding q. 4. a. 1. controv. 3.) major

major est dissensio in probatione implicantiæ, quàm in ejus concessione.

2. CONCLUSIO. *Est simpliciter impossibile, ut intellectus creatus viribus naturalibus DEVM clarè videat.* Ita S. D. hîc. a. 4. & 5. ad 3. Probatur primò ex illo axiomate: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi.* Ut DEUS ab aliqua creatura clarè videretur, ut in se est, deberet cognosci juxta modum essendi sibi proprium & quem in se habet: sed juxta hunc modum naturaliter videri à creatura non potest. ergo. Major est clara ex terminis, nisi enim DEUS videatur ut ens infinitum, actus purus &c. non videtur quidditativè, ut in se est. Minor in quâ est difficultas, probatur: Quælibet natura intellectualis connaturaliter cognoscit suum objectum juxta modum essendi sibi proprium; sed modus essendi cujuslibet creaturæ est infinities inferior, quàm modus essendi, quem DEUS habet in se ipso: ergo non est dabilis aliqua creatura intellectualis, quæ connaturaliter DEUM videat, juxta modum essendi, quem habet in se ipso. Nam modus essendi creaturæ est finitus, limitatus, compositus, ideoque DEUM non nisi admodum entis compositi connaturaliter potest cognoscere, quod non est intuitivè, sed abstractivè cognoscere. Major probatur: tum quia modus cognoscendi est proprietas naturæ intellectualis, adeoque commensuratur naturæ: tum etiam ex inductione cognoscentium; nam quia anima bruti corporea est & materialis, nil nisi materiale, & per species materiales cognoscit; anima rationalis, quia unita corpori, cognoscit omnia per species spirituales; sed tamen à phantasmatibus acceptas, adeoque dependenter à corpore: Angelus, quia est substantia saltem metaphysicè composita, nihil intuitivè & quidditativè cognoscit, quàm ens potentialitati permixtum. DEUS quia actus purus, se ipsum connaturaliter cognoscit & intuetur per suamet essentiam.

Confirmatur. Modus cognoscendi connaturalis enti infinito, non potest fieri connaturalis enti finito, nisi quatenus participat naturam entis infiniti: sed modus intuitivè & quidditativè videndi divinam essentiam, est connaturalis enti infinito: ergo non potest fieri connaturalis alicui creaturæ, nisi quatenus per gratiam & lumen gloriæ elevatur ad participationem divinæ naturæ & intellectualitatis.

3. Probatur secundò. Potentia cognoscitiva debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum objecto connaturaliter cognito: sed implicat, ut intellectus creatus sit in eodem gradu immaterialitatis cum DEO clarè viso: ergo implicat ut DEUS clarè visus sit objectum connaturale creati intellectûs. Major probatur: cognitio fit per hoc, quòd cognitum est in cognoscente: ergo ut cognitio fiat connaturaliter, debet etiam ex parte cognoscentis esse capacitas connaturalis ad recipiendum objectum: sed nisi sit tanta immaterialitas ex parte potentiæ cognoscitivæ, quanta est ex parte objecti cognoscibilis, non est connaturalis capacitas ipsius: non enim minùs intellectualitas seu intelligibilis capacitas accipitur ex immaterialitate, quàm intelligibilitas objecti: ergo nisi potentia cognoscitiva sit in eodem gradu immaterialitatis cum objecto, non potest illud connaturaliter cognoscere, ut in se est.

Probatur tertiò. Actus per essentiam supernaturalis non potest elici viribus naturæ: aliàs esset, & non esset supernaturalis: sed visio DEI ut in se est, est actus per essentiam supernaturalis; non enim minus objectum specificativum visionis, quàm principia ipsius sunt supernaturalia: ergo non potest elici viribus naturæ. Sed contra istas rationes. 4.

§. II.

Solvuntur instantiæ Adversariorum.

OBjicies primò. DEUS & Angeli vident connaturaliter objecta materialia. & 2. Angelus inferior superiorem; nec tamen conveniunt in gradu immaterialitatis. 3. Tametsi animæ rationales in gradu immaterialitatis conveniant, tamen in hoc statu una intuitivè non videt alteram. 4. Licèt DEUS etiam abstractivè cognitus sit actus purus, tamen habemus de ipso connaturalem cognitionem abstractivam. 5. Lumen gloriæ & totum complexum ex intellectu beati & lumine gloriæ infinitè distat ab actualitate divinæ essentiæ; & tamen intellectus instructus lumine gloriæ connaturaliter DEUM videt: ergo falsum est, quòd objectum & potentia cognoscens debeant esse in eodem gradu immaterialitatis. 5.

Respond. ad primum primò. Cognitum minoris actualitatis, ut sunt objecta materialia respectu DEI & Angeli, tamen posse esse in cognoscente superiori, cùm non adæquet, multò minùs excedat capacitatem ipsius: & cognitum majoris actualitatis, qualis est essentia DEI ut in se est, non potest esse connaturaliter in inferiori cognoscente, siquidem excedit capacitatem ipsius. Resp. secundò. Etiam materialia à DEO & Angelis cognosci, juxta proprium modum immaterialitatis: nimirum à DEO per suammet divinam essentiam, ab Angelo per species spirituales infusas. unde instantia manet ipsis Adversariis solvenda. 6.

Ad secundum Resp. quòd licèt Angelus inferior sit in minori gradu immaterialitatis specificæ secundùm accessum ad actum purum, esse tamen in eodem gradu immaterialitatis genericæ secundùm recessum à materia physica, quod sufficit, ut unus alterum quidditativè & intuitivè possit videre. 7.

Ad tertium Resp. ideo animam rationalem in hoc statu non posse videri intuitivè: quia licet habeant eundem essendi modum, iste tamen est corporeus ut quo, & in operationibus suis à materia dependens. 8.

Ad quartum Resp. In abstractiva cognitione actum purum, non cognosci ad modum actûs puri & ut in se est, sed ad modum cognoscentis & per species alienas. in visione autem deberet cognosci ut in se est, & secundùm proprium modum essendi. 9.

Ad quintum Resp. Intellectum elevatum lumine gloriæ connaturaliter videre DEUM, connaturalitate non intrinsecùs in intellectu radicatâ, 10.

dicatâ, sed extrinsecùs à DEO communicata & participata.

§. III.

Implicantia creatæ substantiæ supernaturalis.

11. INferes ex dictis primò. Implicare creaturam, quæ in ordine naturali, sit tantæ perfectionis, quàm sit complexum ex intellectu & lumine gloriæ; sibique proinde per purum beneficium ordinis naturalis claram DEI visionem habeat connaturaliter debitam: quia cùm ordo naturæ sit simpliciter inferior & imperfectior, quàm ordo gratiæ, quantumcunque perfectionis addatur alicui creaturæ intra ordinem naturæ, nunquam tamen pertinget ad perfectionem supernaturalis ordinis gratiæ, sicuti nec venialia peccata in infinitum multiplicata pertingunt ad infinitam malitiam peccati mortalis.

12. Inferes secundò. Implicare creatam substantiam supernaturalem, cui lumen gloriæ per modum proprietatis (& consequenter etiam visio) sit connaturaliter debitum. Deducitur ex S. Augustino l. 11. de Civ. DEI. cap. 2. ubi sic habet: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura, nec enim hoc munus adipiscuntur feræ, saxa, ligna, &c. Ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est.*

Ratio est primò. Si lumen gloriæ posset alicui creaturæ esse connaturaliter debitum, etiam forma ad quam ultimatò disponit, posset esse connaturaliter debita: sed est impossibile, ut essentia divina, ad quam nostro intellectui per modum speciei intelligibilis uniendam lumen gloriæ ultimatò disponit; sit alicui creaturæ connaturaliter debita; ergo etiam implicat talis creatura, cui lumen gloriæ sit connaturaliter debitum.

Ratio est secundò. Lumen gloriæ, nec non ipsa visio hâc ratione esset ex hypothesi supernaturalis, & non esset: quia supernaturale est, quod excedit vires totius naturæ creabilis: sed visio & lumen gloriæ, utpote naturæ creatæ debitum, non excederet vires totius naturæ creabilis: ergo neutrum esset supernaturale.

Ratio est tertiò. Omne ens supernaturale est tale, vel quia in se ipso excedit totum ordinem entis creati & creabilis; vel quia dicit intrinsecam & specificativam sui habitudinem ad ens à se, quatenus excedit omne ens creatum & creabile: sed substantia creata neutro modo potest esse supernaturalis. Non primò, quia quod se ipso excedit totum ordinem entis creati, est ens increatum, & à se, adeoque DEUS. Non secundò modo, quia substantiæ specificativum est pars intrinseca ipsius, non habitudo ad aliquid extrinsecum.

13. Hinc ratio est quartò: quia talis substantia supernaturalis, cui lumen gloriæ esset connaturaliter debitum, non esset creatura, sed DEUS. Sequela probatur primò, quia per naturam & essentiam esset prima radix visionis & charitatis, adeoque esset gratia subsistens, & haberet naturam divinam non analogicè & adoptivè, sed substantialiter & univocè communicatam: nec esset per naturam serva, sed filia DEI.

Secundò: quia esset per naturam simpliciter impeccabilis, quod SS. PP. cum S. D 1. p. q. 63. a. 1. in c. & Scoto in 2. dist. 23. q. un. soli DEO volunt esse proprium.

Tertiò: quia foret per naturam beata, adeoque rursus per naturam indestruibilis: siquidem actualis perpetuitas est essentiale prædicatum beatitudinis.

Quartò. Talis creatura posset alios sanctificare & justificare, siquidem principaliter & connaturaliter contineret principia sanctitatis & visionis.

Quintò. Si lumen gloriæ posset esse connaturaliter debitum, etiam lumen propheticum posset esse hoc modo debitum, sicque futurorum contingentium cognitio posset ejusmodi creaturæ esse connaturaliter debita, quam tamen cognitionem Theologi cum Tertull. pro charactere & testimonio divinitatis agnoscunt.

Sextò. Talis substantia careret potentiâ obedientiali, dum omnia quæ aliis conveniunt per elevationem & potentiam obedientialem, illi substantiæ deberentur, & convenirent, per naturam.

14. Oppones primò. Potest probabiliter dari modus substantialis. v. g. unionis hypostaticæ: ergo etiam alia substantia supernaturalis. Resp. Etiamsi unio hypostatica esset modus substantialis (quod tamen in nostra Theologia *falsum* est) illud tanquam ens incompletum per intrinsecam habitudinem ad extremum supernaturale specificari posse: non autem substantiam completam, de qua sermo est.

15. Secundò. Attributa divina à creaturis participantur in ordine supernaturali; ergo etiam ratio substantiæ potest in ordine supernaturali participari. Resp. dist. conseq. ratio substantiæ in ordine supernaturali participatur analogicè & accidentaliter, concedo: univocè & substantialiter, nego.

16. Tertiò. Vel repugnaret creata substantia supernaturalis, quà creata, vel quà substantia est: non quà creata, quia dantur plurimæ entitates creatæ supernaturales, ut gratia, charitas &c. non quà substantia est, quia DEUS est substantia supernaturalis. Resp. repugnare ex utroque capite simul sumpto, ut ex dictis patet.

17. Quartò. In ordine naturali ratio substantiæ potest à creatura substantialiter participari: ergo etiam in ordine supernaturali. Resp. disparitatem esse, quòd ordo naturæ non specificet per habitudinem ad DEUM; utiecontrà ordo supernaturalis specificatur per habitudinem ad DEUM, ut est in se ipso.

18. Quintò. Omne accidens dicit ordinem ad aliquod subjectum connaturale; ergo cùm detur accidentia supernaturalia creata, dari poterit aliquod subjectum connaturale ipsorum: sed hoc non esset aliud, quàm substantia supernaturalis. ergo. Resp. ex hoc nimium probari, nempe quòd defacto daretur talis substantia creata supe-

pernaturalis. Resp. secundò distinguendo antec. nisi sint per essentiam elevatio naturæ inferioris ad participationem superioris concedo: si sint, ut gratia, lumen gloriæ &c. nego: tunc enim magis habent proportionem ad id, cujus sunt participatio, quàm ad id, à quo participantur, nec exigunt subjectum connaturale, sed obedientiale.

DISPUTATIO VII.

DE

Specie concurrente ad visionem.

EX communi Philosophorum præter potentiam intellectivam plura alia principia ad actum intellectionis solent concurrere, quorum aliqua tenent se ex parte potentiæ, tanquam conformationes ipsius, veluti habitus intellectuales, aliqua verò ex parte objecti, velut species impressa & expressa, per quas objectum in esse intelligibili cum potentia coniungitur: siquidem ex veteri eorundem Philosophorum placito, requiritur unio objecti cum intellectu, ut ex utroque gignatur notitia. Igitur prædictam doctrinam ad visionem beatificam applicando, quæritur, utrum similia principia, vel ex parte DEI cogniti, ut species impressa & expressa, vel ex parte potentiæ, ut lumen gloriæ, de facto dentur, aut dari possint, vel debeant? ideóque à specie impressa incipiendo sit.

ARTICULUS I.

An detur in visione, vel dari possit species impressa quidditativè repræsentans Divinam essentiam?

SUMMARIA.

1. *Triplex similitudo intelligibilis objecti.*
2. *Species impressa quidditativa in esse repræsentativo continet naturam objecti.*
3. *Hæc tenet se ex parte objecti.*
4. *Essentia divina non potest clare videri per similitudinem objectivam.*
5. *Autoritas D. Th. contra speciem impressam.*
6. *Deberet esse infinita & actus purus.*
7. *Ejusmodi species non esset limitata ex parte potentiæ.*
8. *DEUS per essentiam intelligibilis non potest fieri talis per speciem creatam.*
9. *Est intelligibilis per essentiam etiam in ordine ad intellectum creatum.*
10. *Species, impressa foret essentialiter superflua.*
11. *Disparitas inter omnipotentiam & intelligibilitatem.*
12. *Disparitas de cognitione Angelica.*
13. *Lumen gloriæ apud S. D. est tantùm similitudo participativa divinæ essentiæ.*
14. *Non est necesse omnia comprincipia causæ assimilativæ esse formaliter assimilativa.*
15. *Actus primus intelligendi requirit etiam principium ex parte objecti.*
16. *Disparitas de voluntate, quæ non est repræsentativa, ut intellectus.*
17. *Disparitas de gratia sanctificante.*
18. *Disparitas de accidente, quod repræsentativè potest esse substantia.*
19. *Disparitas de specie abstractiva.*
20. *Non posset DEUS temperare concursum in productione speciei, quin produceret infinitam.*
21. *Visio creata subjectivè, est tamen infinita objectivè.*
22. *Visio creata habet principia sui ordinis subjectivè, non objectivè.*

§. I.

Præsupposita.

1. SUppono primò. Intelligibilem similitudinem objecti, quæ ad rerum cognitionem servire possit, esse triplicem: juxta doctrinam S. D. quodl. 7. a. 1. Prima est *similitudo objectiva*, quam ibid. S. D. appellat *medium in quo*, & est similitudo, quæ priùs in se cognita ducit in cognitionem ejus, cujus est similitudo, sicut imago Cæsaris priùs in se cognoscitur, & ut sic cognita ducit in cognitionem Cæsaris: ideóque dicit medium cognitum, & semper parit mediatam rei cognitionem. Secundò est similitudo formalis quâ, seu *medium quo & incognitum*, estque similitudo, quæ sine prævia sui cognitione objectum immediatè repræsentat, ut species lapidis repræsentat lapidem. Hæc species intelligibilis dividitur in *impressam & expressam*. Impressa ex Philosopho in 3. de an. te. 33. est *quædam qualitas vicaria, quæ in movenda & determinanda potentia ad cognitionem objecti, eidem objecto substituitur*. Expressa est, *quam intellectus producendo sibimetipsi objectum repræsentat, & sistit in esse cognito*, quod etiam *verbum mentis* dicitur. De hac posteriùs art. 3. de priori specie impressa hoc loco est sermo. Tertia est *similitudo participativa*, hoc est participatio divinæ intellectualitatis, quo

sensu hîc a. 2. S. D. lumen gloriæ appellat similitudinem divinæ essentiæ, quia per illud intellectus creatus participat divinum modum cognoscendi; quemadmodum gratia sanctificans dicitur similitudo divinæ naturæ, quia per illam participamus prædicata formalia divinæ naturæ. Vocatur etiam loco sup. cit. *medium sub quo* intellectus beatus DEUM videt, eò quòd per illum elevatur & proximè disponitur ad videndum DEUM.

2. Suppono secundò. Speciem impressam quidditativè repræsentantem aliquod objectum, in esse repræsentativo & intelligibili continere ipsam naturam objecti, ac proinde in hoc esse intelligibili (quod esse repræsentativum non est quid secundò intentionale & fictitium, sed vera realis & essentialis perfectio speciei impressæ, sicut & esse repræsentativum imaginis) esse ipsummet objectum: cùm enim finis speciei impressæ, ejúsque officium sit, ut objectum, quod se ipso intra intellectum sisti, eique uniri nequit, tanquam vicaria ipsius intellectui uniat, ipsúmque in se intelligibiliter transformet (ut enim inquit Philosophus 3. de an. te. 37. *anima intelligendo fit quodammodò omnia*) propterea debet secum afferre omnia quidditativa prædicata objecti, nec tantùm ut volunt RR. esse virtualis, sed etiam formalis similitudo objecti, siquidem objectum non propter aliquam eminentialem & causalem continentiam, ut divina essentia creaturas, nec propter dependentiam ab objecto, ut effectus causam, sed propter formalem convenientiam tanquam imago adæquata ipsius repræsentat, quod nequaquam præstaret, nisi totam rei repræsentatæ quidditatem contineret, eaque de causa S. D. 7. metaph. le. 6. speciem impressam rei intellectæ quidditatem appellat.

3. Et non dicitur se tenere ex parte potentiæ, sed ex parte objecti, quia partus notitiæ intellectualis fit ex conjunctione potentiæ & objecti: unde duplex est concursus, nempe unus ex parte potentiæ è suis visceribus hanc notitiam gignentis, alter ex parte objecti per intelligibilem sui unionem potentiam fœcundantis, & ad sui cognitionem determinantis, ac proinde aliqua sunt principia requisita ex parte potentiæ, uti sunt vitalitas, proportio, virtus intrinseca, quæ species objecti non affert, sed supponit; sic enim oculus noctuæ non plùs videbit ex majori claritate solis, quia defectus est ex parte potentiæ; non ex parte objecti: alia verò requisita sunt ex parte objecti, ut præcipuè est species impressa, quæ potentiam jam debitè dispositam intelligibiliter objecto conjungit.

4. Suppono tertiò. tanquam certum, defacto divinam essentiam non tantùm non videri per aliquam similitudinem objectivam, sed nec videri posse, ut in se est: nam talis cognitio est tantùm mediata per speculum, & in ænigmate: atqui secundùm Apostolum visio beatifica non est per speculum, in ænigmate, sed facie ad faciem.

Deinde non potest similitudo objectiva in alterius objecti claram cognitionem deducere, nisi illam in se contineat: sed implicat ut aliqua creatura divinam essentiam in se contineat: ergo etiam implicat, ut in aliquâ creatura tanquam medio cognito & similitudine objectiva divina essentia clarè videatur.

Igitur quæstio est: an per speciem impressam creatam DEUS videatur defacto, uti censent Vasquez, Etparza, Rolmer, qui lumen gloriæ cum specie identificant; vel saltem absolutè videri possit, uti volunt Suarez, & communiores RR. vel an neque detur, nec dari possit creata species impressa quidditativè repræsentans Divinam essentiam, prout docet D. Th. cum suis discipulis, quas sequuntur Franc. de Lugo. l. 1. de DEO. d. 20. c. 4. Amicus to. 1. d. 9. sc. 4. aliique.

§. II.

Implicantia speciei impressæ probatur authoritate & ratione D. Th.

CONCLUSIO. *Implicat contradictionem, ut per creatam speciem impressam quidditativè & intuitivè videatur divina essentia.* Est expressa S. D. hîc. a. 2. ubi verbis apertissimis distinguens inter similitudinem ex parte visivæ potentiæ, & aliam ex parte objecti, quæ nempe objectum potentiæ uniat, & illud ut in se est, repræsentet, *dicendum*, inquit, *quòd ad videndum DEI essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiæ, scilicet lumen divinæ gloriæ conformantis intellectum ad videndum DEUM, de quo dicitur in ps.* In lumine tuo videbimus lumen. *Non autem per aliquam creatam similitudinem DEI essentia videri potest, quæ ipsam divinam essentiam repræsentet, ut in se est.* Et superiùs. *Re uiritur ergo ad videndum DEUM aliqua DEI similitudo ex parte visivæ potentiæ, quâ scilicet intellectus fit efficax ad videndum DEUM. Sed ex parte visæ rei, quam necesse est alioquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam DEI essentia videri potest.* Et probat *quia sicut dicit Dionys. 1. c. de div. nom. per similitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci: sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ. Multò igitur minus per speciem creatam quamcunque potest essentia DEI videri.* Et post plura concludit. *Unde dicere DEUM per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri.* Ad 3. quoque dicit, alia objecta per sui similitudines intellectui uniri, essentiam DEI verò per se ipsam, eò quòd divina essentia sit suum esse. *Sicut aliæ*, inquit, *formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum, & faciunt ipsum in actu: ita divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu per se ipsam faciens intellectum in actu.* quæ verba illos RR. apertæ falsitatis convincunt, qui dicunt S. Doctorem solam similitudinem objectivam negâsse. Rursus in 3. p q. 9. a. 3. ad 3. dicit, *cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo &c.* subjungit: *sed talis cognitio est ipsius divinæ essentiæ immediatè per hoc, quòd ipsa divina essentia unitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti.*

Ratio

6. Ratio è S. D. est primò. Implicat aliqua creata similitudo in suo esse repræsentativo continens infinitas DEI perfectiones: sed species impressa DEUM quidditativè ut in se est repræsentans, illas in suo esse repræsentativo contineret: ergo implicat. Maj. probatur: quia implicat creatura infinita; sed esse repræsentativum continens infinitum DEI esse, foret creatura infinita, quia illud esse repræsentativum esset vera realis & creata perfectio in se formaliter continens quidditativa prædicata esse divini. Minor pariter probatur; quia ut sup. dictum, species quidditativa objecti debet esse commensurata objecto, ejúsque vicaria, & repræsentativè ipsummet objectum: hoc autem non est, nisi omnia prædicata quidditativa objecti formaliter in se contineat, etsi non in esse naturali, tamen in esse repræsentativo, quod est essentialis perfectio ipsius.

Confirm. ex S. D. primò. Impossibilis est species sensibilis clarè & quidditativè repræsentans Angelum: ergo multò magis species creata quidditativè repræsentans DEUM. Consequentia patet: quia est longè major improportio inter speciem creatam & essentiam increatam infinitam, quàm inter speciem sensibilem & essentiam spiritualem.

Secundò. Intellectus creatus connaturaliter DEUM videns implicat, quia non potest esse in eodem gradu immaterialitatis: ergo ex eodem capite implicat species creata connaturaliter repræsentans DEUM: quia cùm debeat vices gerere ipsius divinæ essentiæ, & reddere illam immediatè visibilem ut in se est, multò potiori jure debet habere eundem gradum immaterialitatis.

7. Neque dicas: Lumen gloriæ & ipsa visio limitatur ex parte videntis, ut non infinitè debeat repræsentare DEUM: ergo etiam species impressa acciperet limitationem ex parte videntis, nec proinde deberet esse infinita. Nam contra est, quòd lumen gloriæ est virtus, & visio est actus potentiæ, ideóque tanquam ex parte potentiæ se tenentes, sequuntur conditionem ipsius, & ab illa accipiunt limitationem: atqui species datur tanquam virtus & actualitas objecti, ab ipsius non à potentiæ perfectione sui esse repræsentativi mensuram accipiens: ideóque in esse repræsentativo si objectum est substantia, & species est substantia, si objectum est infinitum, etiam species debebit esse infinita.

§. III.

Alia duplex ratio implicantiæ.

8. RAtio ulterior est secundò. Actus purus intelligibilis per essentiam, non potest fieri talis per aliquid creatum superadditum; sicuti non sit sapiens, bonus &c. per sapientiam, bonitatem creatam, cùm sit ipse sua sapientia, bonitas &c. sed species impressa Divinam essentiam redderet actu intelligibilem, hoc est enim essentiale munus ipsius: ergo implicat dari speciem impressam divinæ essentiæ.

9. Dices. DEUM esse per essentiam intelligibilem intelligibilitate intrinsecâ per ordinem ad summet intellectum, non intelligibilitate extrinsecâ per ordinem ad intellectum creatum.

Sed contra est primò. Intelligibilitas proxima non tantùm in ordine ad proprium, sed etiam ad creatum intellectum est perfectio simpliciter simplex fundata in infinita actualitate, & omnipræsentia divinæ essentiæ, & DEUS per essentiam non tantùm est intelligibilis, sed etiam intellectus in actu: ergo est perfectio DEO adæquatè intrinseca. Objecta quoque creata propter imperfectionem & defectum vel intimi illapsus & præsentiæ intelligibilis, vel immaterialitatis indigent speciebus distinctis.

Contra est secundò. quòd illa species nihil posset addere vel ex parte DEI, vel ex parte potentiæ, nec proinde ipsum redderet proximè intelligibilem. Non ex parte DEI: quia sic supponeret defectum omnimodæ intelligibilitatis, imò per illam DEUS fieret minùs non magis intelligibilis, nam additio ex parte objecti excedentis intellectivitatem potentiæ, non facit illud magis sed minùs intelligibile, sicut additio lucis facit solem minùs visibilem ab oculo noctuæ. Non etiam ex parte potentiæ, quia species non est virtus potentiæ: unde si potentia ex se sit improportionata, peradditionem speciei non fit magis proportionata, ut patet in primùm data instantia noctuæ. Et hinc sequitur ulterior.

10. Ratio tertia & confirmatio dictorum: esset enim talis species essentialiter superflua, & consequenter juxta Adversariorum consequentiam implicaret: Nec enim confortaret potentiam, quia non est virtus ipsius. Non DEUM intellectui præsentem redderet & uniret, quia hoc se solâ præstare potest, & tametsi una cum specie posset, tamen meliùs se solâ præstat divina essentia, sicut & Angeli substantia per se solam est sufficienter præsens & intelligibilis respectu proprii intellectûs. Non ut intellectum per modum formæ perficientis ad sui visionem determinet: si enim hoc Angeli substantia potest in suo, cur non DEUS in intellectu alieno?

11. Dices primò. Quamvis DEUS sit se ipso omnipotens, tamen compatitur operationem causæ secundæ: ergo quamvis sit seipso intelligibilis, potest compati speciem impressam. Resp. quòd operatio causæ secundæ sit propria perfectio ipsius, quæ non impedit immediatum influxum DEI, neque dat ipsi rationem causæ primæ: econtra species impressa non est aliqua perfectio potentiæ intellectivæ, quam ipsa non multò perfectius habeat ab ipsa essentia divina: ipsa quoque DEO tribueret proximam intelligibilitatem, eáque primùm mediante DEUS foret intelligibilis.

12. Dices secundò. Etsi Angelus se per suam substantiam intelligat, potest tamen etiam intelligere per speciem divinitus infusam: ergo etiam si de facto DEUS intelligatur sine specie impressâ: tamè posset intelligi cum illa: nec ipsa foret superflua & inutilis. Resp. Quicquid sit de antec. quod propter eandem superfluitatem meritò negari potest, negatur paritas: quia si Angelus se ipsum per speciem infusam intelligeret, se intelligeret ad eum modum, quo ab aliis Angelis intelligitur, ideóque hæc species non esset superflua: & aliunde

cùm Angelus non sit suum intelligere, non repugnat, ut fiat proximè intelligibilis per speciem à se distinctam, proximè motivam cognitionis: atqui hæc ex dictis in DEO repugnant.

§. IV.

Argumenta pro actuali existentia speciei impressæ solvuntur.

13. OBjicies ad probandam actualem existentiam speciei impressæ. Ipsum lumen gloriæ est species impressa: ergo datur in visione DEI species impressa. Antec. probatur primò authoritate S. D. hîc loco cit. lumen gloriæ appellantis *similitudinem DEI.* Secundò ratione: quia lumen gloriæ præstat totum, quod debet præstare species impressa, nempe quòd activè elevet & determinet intellectum non ad aliam cognitionem, quàm claram visionem ipsius divinæ essentiæ.

Resp. nego antecedens & ad ejus primam probationem patet responsio ex ipso S. D. a. 5. ad 2. sese his verbis explicante: *Lumen gloriæ non requiritur ad videndum DEI essentiam, quasi similitudo in quâ DEVS videatur, sed quasi perfectio quædam intellectûs confortans ipsum ad videndum DEUM, & ideo potest dici, quòd non est medium, in quo DEUS videatur, sed sub quo videtur.* hoc est, esse similitudinem participativam, non formalem. Ad secundam quoque probationem ex dictis patet, deesse præcipuam conditionem lumini gloriæ, nimirum gerere vices objecti, potentiam objectivè determinare, objectum ut in se est repræsentare, & intelligibiliter unire potentiæ. Sed contra hanc responsionem.

14. Instant primò. Quodcunque lumen detur ex parte intellectûs intellectum confortans debet esse similitudo objecti: ergo etiam lumen gloriæ est similitudo & species divinæ essentiæ. Antecedens probatur: Causa essentialiter assimilativa non potest juvari nisi per comprincipia formaliter assimilativa, sed intellectus est causa proxima formaliter assimilativa: ergo comprincipia ipsum juvantia debent esse formaliter assimilativa.

Resp. neg. ant. & majorem probationis: quicquid sit de veritate minoris, de quâ articulo seq. Nam habitus fidei & alii quicunque intellectuales, similiter & lumen propheticum sunt principia intellectum confortantia, nec tamen sunt formales similitudines objectorum, quia non ordinantur ad repræsentanda objecta, eáque intellectui intelligibiliter unienda, sed ut sint virtutes elevantes, & confortantes intellectum ad varios actus producendos.

15. Instabis secundò. Ipsa etiam species impressa se tenet ex parte potentiæ: ergo ex hoc capite lumen gloriæ non rectè removetur à ratione speciei impressæ. Antec. probatur: Illud se tenet ex parte potentiæ, per quod potentia ultimatò completur in ratione actûs primi proximè potentis elicere actum; sed per speciem impressam ultimatò completur intellectus in ratione actûs primi proximè potentis elicere visionem, ergo.

Resp. nego antec. & majorem probationis, quia actus primus adæquatus intelligendi nominat conspectum intentionale ex potentia & objecto ac proinde non tantùm includit illa principia, quæ se tenent ex parte potentiæ, sed etiam, quæ se tenent ex parte objecti.

Instabis tertiò. Voluntas per habitus supernaturales sufficienter elevatur ad suos actus producendos absque alio comprincipio & concursu ex parte objecti: ergo etiam intellectus sufficienter elevatur & confortatur per lumen gloriæ ad producendam visionem DEI absque comprincipio alterius speciei se tenentis ex parte objecti. 16.

Resp. nego paritatem: quia voluntas non est potentia repræsentativa, sicut intellectus, qui cùm proinde essentialiter tendat in intelligibilem attractionem & tentionem sui objecti, debet habere illud sibi internè unitum & præsens in esse cognito.

§. V.

Argumenta pro possibilitate speciei impressæ.

OBjic. primò. Gratia sanctificans est similitudo formalis & physica naturæ divinæ ut natura, & secundùm quosdam Thomistas, ut infinita est, nec ipsa tamen intrinsecè est infinita: ergo etiam poterit dari similitudo intentionalis divinæ essentiæ, ut infinita est, nec ipsa tamen erit intrinsecè infinita. 17.

Respondeo ex dictis disparitatem esse, quòd gratia sanctificans est similitudo participativa & analogica divinæ naturæ per modum qualitatis intrinsecè receptibilis in subjecto, ideóque limitatur juxta conditionem subjecti, ex cujus parte se tenet. At species impressa, cùm sit in esse repræsentativo ipsa quidditas objecti, sequitur conditiones objecti, eique commensuratur, ex cujus parte se tenet.

Objicies secundò. Potest species accidentalis in esse repræsentativo esse subitantia: ergo etiam species physicè finita in esse repræsentativo potest esse infinita. Resp. Nihil esse absurdum, quòd aliquod accidens contineat prædicata substantiæ in esse repræsentativo, siquidem potest esse ejusdem immaterialitatis cum substantia, esse autem absurdum, ut ens creatum in esse repræsentativo contineat prædicata omnium divinarum perfectionum. 18.

Objicies tertiò. Datur species abstractivè repræsentans DEUM: ergo etiam datur vel dari potest eundem repræsentans intuitivè. 19.

Resp. Disparitatem esse, quòd species abstractivè repræsentans DEUM, non continet DEUM ut in se est, sed ut est in creatura tanquam signo & vestigio sui, econtrà species quidditativè repræsentans ipsum contineret, ut in se est, & sic ipsa quoque foret actus purus.

Objicies quartò. DEUS in productione creaturarum ad extra potest suum concursum pro libitu temperare: ergo producendo speciem impressam non necessariò ipsi daret infinitam perfectionem, ut nec modò dat infinitam perfectionem creatæ visioni concurrendo ad ipsam. 20.

Resp. hoc ipso implicare speciem creatam divinæ essentiæ, quia DEUS non posset temperare suum concursum, siquidem de essentia talis speciei foret, habere omnem perfectionem.

Objicies

21. Objicies quintò. Effectus finitus non requirit principium infinitum, visio creata est effectus finitus; ergo non requirit pro principio speciem infinitam divinæ essentiæ.

Resp. dist. minorem. Visio creata est effectus finitus subjectivè seu ex parte subjecti, concedo, objectivè, seu ex parte objecti, nego. ergo non requirit principium infinitum ex parte potentiæ & subjecti, conc. ex parte objecti, quod est essentia divina in ratione speciei, nego conseq.

22. Objicies sextò. Quoties actio est possibilis, toties sunt possibilia principia ejusdem ordinis cum illa: sed visio creata est possibilis. ergo etiam species creata ceu principium ipsius debet esse possibilis.

Respondeo ut priùs. Visio est creata & ideo habet principia ejusdem ordinis ex parte potentiæ & subjecti conc. ex parte objecti nego.

ARTICULUS II.

An Divina essentia sit loco speciei impressæ in visione beatifica?

SUMMARIA.

1. *Essentia Divina intimè unitur intellectui beato.*
2. *Habet omnia requisita speciei impressæ.*
3. *Demptis tamen imperfectionibus.*
4. *Exponitur textus S. D.*
5. *Essentia Divina non ideo restringitur ad actum primum.*
6. *Concurrit cum intellectu videntis partim in genere causæ formalis.*
7. *Partim in genere causæ efficientis.*
8. *Impugnatur concursus in genere causæ formalis.*
9. *Concursus in genere causæ formalis non semper dicit compositionem ex his.*
10. *Effectus formalis concursûs divinæ essentiæ est unitum intelligibile.*
11. *Actio unitiva est infusio luminis gloriæ.*
12. *Impugnatur secunda pars Corollarii.*
13. *Non est necesse, ut principium quo subordinetur principio quod.*
14. *Species est principium vitale ut quo, non ut quod.*
15. *Species pertinet ad objectum motivum.*

§. I.

Asseritur Divinæ essentiæ ratio speciei impressæ.

1. CONCLUSIO. *Essentia divina seipsâ unitur intellectui Beatorum, & præstat sine imperfectione hoc totum, quod alias præstaret species impressa intelligibilis.* Est expressa S. D. hîc. a. 2. suprà cit. & c. 5. Item 3. p. q. 9. a. 3. ad 3. ubi dicit: *essentia divina unitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti.*

Ratio est primò. Advisionem beatificam requiritur, ut objectum visionis nempe essentia divina uniatur intellectui vel per se ipsam, vel per speciem vicariam sui: sed essentia divina per speciem creatam sui vicariam & quidditativè repræsentativam intellectui beatorum uniri non potest: ergo unitur per se ipsam. Majorem. Suppono ex natura cognitionis suprà ostensa. Minor fuit probata sup. §. 2.

2. Ratio est secundò: quia essentia divina habet omnes conditiones demptis imperfectionibus, quas præstaret species impressa. Nam primò species impressa reddit objectum intelligibile in actu: atqui essentia divina (uti loquitur S. D. quodl. 7. a. 1.) *per se ipsam est intelligibilis in actu, cùm sit maximè immaterialis.* Secundò species impressa facit objectum præsens in intellectu: atqui essentia divina per intimum illapsum est præsentior cuilibet intellectui, quàm substantia Angeli suo intellectui, & ut inquit D. Aug. *unicuique rei vicinior, quàm ipsa sibi.* Tertium munus est perficere intellectum, complere, & determinare ad actum secundum cognitionis, & sic essentia divina penetrantissimo & infinito suo illapsu maximè perficit & determinat intellectum ad visionem.

3. Dixi, *demptis imperfectionibus*: nam 2. sunt imperfectiones creatæ speciei. primò inhæsiva informatio & unio, quæ ipsam materialiter comitatur propter imbibitam rationem accidentis, altera est restrictio & limitatio intra rationem actûs primi, unde ratione ipsius objectum nondum est intelligibile ultimatò & in actu secundo. Utraque imperfectio abest à divina essentia, prima quidem, quia ipsa intellectui beato unitur per modum formæ purè perficientis, per se stantis, & in esse intelligibili intrinsecè terminantis. Secunda quoque, quia licèt potentiam in actu primo compleat, ipsa tamen ratione sui est in actu secundo, non tam intelligibilis, quàm intellecta, cùm sit suum esse & suum intelligere.

4. Objicies primò ex S. D. cit. quodl. 7. a. 1. ad 2. ubi dicit: *Intellectus creatus fit in actu ad videndum divinam essentiam per lumen gloriæ, & quod hoc sufficit*: ergo videtur negare necessitatem alterius concursus per modum speciei.

Respondeo, mentem S. D. ibidem esse, ut constat è contextu, nihil ulteriùs requiri ex parte potentiæ, & quòd præter lumen gloriæ nullum aliud creatum principium alicujus speciei concurrat.

5. Objicies secundò. Quod se tenet ex parte actûs primi dicit imperfectionem ulterioris perfectibilitatis per actum secundum: sed si essentia divina præstat munus speciei impressæ, tenet se ex parte actûs primi: ergo dicit istam imperfectionem: hoc autem est absurdum: ergo.

Respondeo dist. maj. Quod se tenet ex parte actûs primi tantùm, & quasi contentum in illo, dicit imperfectionem conc. maj. quod se tenet ex parte actûs primi, & simul ex parte actûs secundi, utrumque in se eminenter continens, nego maj. sed essentia divina teneret se ex parte actûs primi, tanquam illum eminenter continens & conferens

unà cum actu secundo, concedo, tantùm, & quasi intra actum primum contenta nego min. & consequentiam.

§. II.

Qualis sit concursus Divinæ essentiæ ad visionem.

6. COlliges ex dictis. Concursum divinæ essentiæ ad visionem esse partim in genere causæ formalis, partim in genere causæ efficientis. Ratio primæ partis est primò: quia actuare & perficere est munus causæ formalis, sed essentia divina concurrit intellectum in genere intelligibili perficiendo & actuando: ergo concurrit in genere causæ formalis; non incompletæ, sed completæ, & per se subsistentis. Secundò. quia principium specificativum pertinet ad genus causæ formalis; sed essentia divina suo concursu specificat actum visionis: ergo.

7. Ratio secundæ partis est: Ultimum complementum principii activi adæquati pertinet ad lineam virtutis activæ; sed essentia divina est ultimum complementum adæquati principii intellectivi: cùm enim ex objecto & potentia tanquam uno adæquato principio pariatur notitia, præter complementum se tenens ex parte potentiæ, requiritur aliud ex parte objecti, quod vel est ipsum objectum, vel species ipsius.

Confirmatur ex S. D. infrà q. 56. a. 1. dicente: *ita se habet objectum unitum potentiæ ad cognitionem: sicuti se habet forma, quæ est principium agendi in agentibus*: ergo sicut ista non tantùm concurrit in genere causæ formalis, in quantum specificat actionem; sed etiam in genere causæ efficientis, tanquam principium agendi: sic idem erit dicendum de objecto unito potentiæ, & essentia divina, unita intellectui beati.

8. Dices primò contra primam partem Corollarii. Concursus in genere causæ formalis dicit intrinsecam compositionem: sed ista divinæ essentiæ repugnat, juxta superiùs dicta de simplicitate DEI, ergo etiam Divinæ essentiæ repugnat concursus in genere causæ formalis.

Secundò. Si formaliter concurreret, esset assignabilis effectus formalis; sed non est, ergo. Vel enim esset effectus creatus, vel increatus. Non increatus, quia iste recipi non potest in tempore, cùm tamen beata visio fiat in tempore: Non creatus: quia iste non procedit à DEO formaliter sed effectivè.

Tertiò. Si divina essentia concurreret in genere causæ formalis se se communicando & uniendo intellectui Beati, esset assignabilis actio unitiva ipsius: sed non est facilè assignabilis actio unitiva divinæ essentiæ cum intellectu Beati, ergo.

9. Respondeo ad 1. dist. ant. Concursus in genere causæ formalis incompletæ, partialis, & intrinsecè informantis dicit intrinsecam compositionem ex his, concedo: concursus in genere causæ formalis per se subsistentis, objectivè terminantis & perficientis, nego.

Sed, inquis, an non ergo resultat compositum ex unione divinæ essentiæ cum intellectu beati? Resp. resultare compositum seu potiùs complexum non per compositionem ex his, sed per compositionem cum his, de qua super. de simplicitate: hæc autem non imperfectionem, sed infinitam arguit perfectionem.

Ad 2. Resp. Effectum formalem istius formæ 10. esse unitum intelligibile, qui ex parte essentiæ perficientis est infinitus, ex parte intellectûs participantis est finitus, & creatus, sicut in simili dicitur de unione hypostatica in tract de Incarn. ubi unio est formaliter increata ex parte personæ se unientis, participativè creata: quatenùs nempe ex illa resultat, hunc hominem esse subsistentem in persona divina sibi creato modo communicata. Sic pariformiter hæc unio intelligibilis est participativè finita, quia ex illa resultat, intellectum beati esse deificatum modo tamen creato, & finito.

Ad 3. Resp. Actionem unitivam esse infusionem 11. luminis gloriæ: quia in illam actionem reducitur totum unitum, per quam ponitur ultima dispositio ad unionem, sed actio productiva luluminis gloriæ intellectum disponit ad unionem divinæ essentiæ cum intellectu videntis, ergo.

Contra 2. quoque partem Corollarii Dices 12. primò. Principium quo activum subordinatur principio activo quod: sed est impossibile, ut essentia divina subordinetur intellectui beati, qui tanquam principium quod elicit visionem: ergo neque potest esse principium activum quo visionis.

Secundò. Principium activum actûs vitalis debet esse vitale: species non est principium vitale: ergo nec est principium activum visionis.

Tertiò. Sequeretur, quòd divinæ relationes essent activæ ad extra: nam & ipsæ spectant ad objectum visionis. Sequela est contra communem Theologorum, apud quos operationes ad extra non sunt personis propriæ, sed communes toti Trinitati.

Respondeo ad primum. Principium quo li- 13. mitatum, & informativè inhærens principio quod, eidem subordinatur, concedo: illimitatum & per se subsistens, nego maj. atqui divina essentia est principium illimitatum, ipsum videntis intellectum in esse intelligibili sibi subordinans.

Ad 2. dist. maj. debet esse vitale vel ut quod, 14. vel ut quo, conc. ut quod, nego. Sed species respectu visionis non est principium vitale, ut quod, hoc est per modum principii vitaliter elicitivi, concedo: ut quo, hoc est per modum determinationis & complementi objectivi, ad quod ex vitali potentia resultat efficientia ipsius cognitionis, nego min. & consequentiam.

Ad 3. nego seq. & ad prob. Resp. Relationes divinæ pertinent ad objectum per se terminativum conc. per se primò motivum nego. Essentia autem divina habet rationem speciei in quantum est objectum per se primò motivum, & sic est virtualiter distincta à relationibus.

AR-

ARTICULUS III.

Vtrum in visione beatifica producatur verbum mentis, seu species expressa?

SUMMARIA.

1. *Explicatio speciei expressæ & verbi mentis.*
2. *Tenet se ex parte objecti.*
3. *Et distinguitur ab ipso actu cognitionis.*
4. *Non dari in unione speciem expressam probat authoritas S. Doctoris.*
5. *Et omnimoda paritas cum specie impressa.*
6. *Objectiones ex script. & PP.*
7. *Sensus script. & PP. eruitur.*
8. *Quomodo S. Thomas admittat verbum procedens ex omni intellectione?*
9. *Objicitur natura visionis.*
10. *Objicitur paritas visionis corporeæ.*
11. *Objicitur veritas visionis, &*
12. *Identitas visionis & verbi.*
13. *Quis sit primarius conceptus repræsentationis?*
14. *Neque viso corporea est species objecti.*
15. *Veritas cognitionis non est conformitas per modum imaginis, sed signi.*
16. *Verbum mentale est signum rei cognitæ per modum imaginis.*
17. *Visio beata, an sit dictio?*
18. *Essentia Divina non est verbum visionis beatæ.*
19. *Angelus in sui cognitione producit verbum.*
20. *Omnis intellectio, præter visionem, est simul dictio.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Speciem expressam secundùm Philosophos esse *imaginem & similitudinem objecti ipso actu intelligendi vitaliter expressam.* Distinguitur à specie impressa primò: quòd species impressa pertineat ad actum primum, ac proinde sit naturâ prior, quàm actus cognitionis; species verò expressa pertineat ad actum secundum; illa faciat objectum intelligibile & motivum, ista constituat actu intellectum & terminativum; illa comprincipiet actum visionis, ista terminet. Convenit verò cum specie impressa, quòd non sit similitudo objectiva, in qua tanquam in speculo mediatâ visione objectum videatur, sed quòd pariter sit similitudo formalis & medium, quo videtur objectum. Hæc species expressa etiam appellatur *verbum mentis*, quia per ipsam mens nostra rem cognitâ sibi ipsi intus loquitur & manifestat: unde definiri solet: *Signum formale productum ad manifestandum intellectui objectum.*

2. Notandum secundò. Etiam hanc speciem se tenere ex parte objecti, & agere vices ipsius. Ita apertè colligitur ex S. D. 1. contra gentes c. 53. ubi verbum mentis appellat, *intentionem rei intellectæ*, & illam distinguens à specie impressa: *hanc*, inquit, *oportet considerari ut intelligibilis operationis principium: speciem verò expressam, ut terminum intelligibilis operationis, licet utrumque sit rei intellectæ similitudo &c.* & l. 4. c. 11. esse hujus intentionis intellectæ dicit esse *ipsum intelligi.* & opusc. 14. *esse id in quo res exprimitur, & hoc esse intellectum principale.* Unde si species impressa se tenet ex parte objecti, quia per ipsam objectum est intelligibile, & principiat actum cognitionis; potiori jure species expressa se tenebit ex parte objecti, quia ipsa præstat & supplet concursum objecti in terminando, & per ipsam objectum redditur intellectum in actu.

Notandum tertiò. Juxta mentem & doctri- 3.
nam D. Th. hanc speciem expressam, seu verbum mentis esse *aliquid procedens* & resultans, adeóque distinctum ab actu cognitionis: nam inprimus citato l. 4. contra gentes dicit: quòd esse ipsius sit intelligi: sed esse cognitionis non est intelligi. opusc. 13. dicit: *formatur intelligendo, & est expressum per operationem intellectûs* inf. q. 28. a. 1. ad 1. *verbum cordis importat aliquid procedens ab intellectu, ut constitutum per operationem ejus.* Clarissimè q. 4. de verit. a 1. ad 4. *ipsa conceptio* (quam priùs vocavit verbum intellectûs nostri) *est effectus actûs intelligendi: unde etiam quando mens intelligit se ipsam, ejus conceptio non est ipsa mens, sed aliquid expressum à notitia mentis.*

Et ratio est 1. Si ipsa cognitio esset verbum & species expressa, tunc omnis cognitio esset reflexiva super se ipsam: consequens est falsum, ergo. Sequela prob. Intellectus cognoscit objectum quatenus intelligibiliter existens in verbo, sed verbum foret ipsa cognitio; ergo illud cognosceret, quatenus existens in sua cognitione: sed cognitio cognitionis est reflexio: ergo intellectus se semper reflecteret supra se ipsum.

Ratio est 2. Objectum cognitum non minùs debet esse intimè præsens & unitum intellectui, pro ut est in actu secundo, quàm prout est cognoscibile in actu primo: sed in actu secundo non est intimè præsens & unitum intellectui; neque per speciem impressam, quæ se tantùm tenet ex parte actûs primi, habet rationem objecti motivi, & objectum tantummodò facit cognoscibile; neque per ipsam cognitionem, quippe quæ non terminatur ad se ipsam, nisi sit reflexa: ergo debet fieri intrinsecè præsens in ratione termini intellectualis per speciem distinctam & ex actu cognitionis resultantem, quæ verbum & species expressa nuncupatur. His positis sit.

§. II.

Negatur species expressa.

CONCLUSIO. *Non datur, nec dari potest* 4.
species expressa, vel verbum mentis in beatifica visione. Ita sentit communiter Thomist. & videtur sentire Angel. D. hâc q. 12. a. 2. in c. universaliter loquens: *ex parte visæ rei* (*quam necesse*

est

est aliquo modo uniri videnti) *per nullam similitudinem creatam DEI essentiam videri posse.* Cùm ergo species expressa esset creata similitudo DEI, tenens se ex parte ipsius essentiæ visæ, prout liquet è testimoniis ejusdem S. D. n. 2. adductis, etiam impossibile erit per ipsam DEUM videri.

5. Probatur iisdem rationibus, quibus speciem impressam oppugnavimus, huc breviter accommodatis: Nam primò similitudo intentionalis DEUM ut in se est repræsentans & intellectui conjungens, deberet esse actus purus, infinitus; sed hæc species expressa esset talis imago & similitudo. ergo deberet esse actus purus, quod implicat.

Secundò. DEUS cùm sit suum esse, & suum intelligere, non minùs est per essentiam intelligibilis in actu secundo, quàm in actu primò: ergo tam repugnat ex parte ipsius, ut fiat intelligibilis in actu secundo per speciem creatam expressam, quàm repugnat, ut fiat intelligibilis in actu primo per speciem creatam impressam.

Tertiò. Verbum creatum nihil præstare potest in visione, quod non infinitè perfectiùs præstet ipsamet essentia divina semet intimo illapsu sistendo intra intellectum ejúsque actum terminando: ergo verbum creatum in visione est essentialiter superfluum. vide quæ sup. art. contra speciem impressam sunt dicta.

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. OBjicies primò authoritatem S. Script. 1. Jo. 3, dicentis: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Ubi causam assimilationis assignat visionem: adeóque ipsamet visio est formalis similitudo DEI.

Secundò. D. Aug. l. 14. de Trin. c. 17. *in hac quippe imagine tunc perfecta erit DEI similitudo, quando perfecta erit visio.* l. 15. c. 16. *tunc quidem, quando videbimus eum, sicuti est, verbum nostrum non erit falsum.* & l. 9. *in quantum DEUM novimus, similes sumus.* ubi vides admitti in visione similitudinem & verbum.

Tertiò. D. Anselm. Monol. c. 31. *quamcunque rem mens cupit veraciter cogitare, ejus similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere; quod quantò veracius facit, tantò rem ipsam verius cogitat, & hoc verbum ejus dicitur;* sed subsumitur, nunquam mens cupit veraciùs cogitare, quàm cùm DEUM videt: ergo tunc maximè cupit similitudinem DEI exprimere.

Quartò. D. Greg. 3. Moral c. 5. affirmat visionem beatificam esse *imaginem, quæ fit in nobis*: ita dicens: *sublatis orientalibus & occidentalibus verbis; quasi quidam sonus æternæ prædicationis fit ipsa imago internæ visionis.*

7. Respondetur ad primum ex S. D. hîc a. 2. ad 1. intelligi similitudinem proportionis & analogiæ tum per participationem luminis gloriæ, tum per internam unionem cum Divina essentia, ex qua Beati quodammodò deificantur.

Ad 2. patet, S. D. in primo loco loqui de imagine nostræ animæ, quæ in beata visione erit DEO perfectè similis per participationem gratiæ & gloriæ. Ad alterum ejusdem locum Resp primò. per ly *verbum* intelligi posse ipsam DEI essentiam supplentem munus verbi, quod jure merito verbum nostrum dicitur, quia à nobis intimè & inamissibiliter possessum. si contendas, loqui de verbo creato.

Resp. secundò. Non loqui de verbo objectivo & terminativo, quod nempe sit terminus visionis ex ipsa resultans (de quo est nostra conclusio) sed de verbo & dictione causali, seu de actu ipsius visionis, quæ quatenus est actus judicativus & quodammodò enuntiativus essentiæ visæ, sic aliquâ ratione verbum vel dictio dici potest, sicque verbum nostrum, hoc est, visio erit utique maximè vera, quia maximè conformis objecto. Ad ultimum ipsius locum. Resp. Nos in quantum DEUM cognoscimus, esse similes ipsi, vel formaliter in cognitione abstractiva per verbum productum, sed imperfectè DEUM cognitum repræsentans, vel eminentialiter, per ipsius divinæ essentiæ cum intellectu unionem.

Ad 3. D. Anselmi. Resp. Illum loqui de naturali & omni illa cognitione, quæ à verbi productione per actualissimam ipsius objecti præsentiam non impeditur.

Ad 4. Resp. à S. P. Gregorio visionem vocari quodammodò dictionem & imaginem, non formalem, quasi in ipsa divina essentia formaliter & terminativè repræsentetur, sed causalem, in quantum per actum visionis intellectus videntis rapitur & transformatur in DEUM.

8. Objicies secundò authoritatem S. D. qui primò inf. q. 27. a. 1. dicit: *quicunque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectûs proveniens, & ex ejus notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo oris.* Ergo ex S. D. est de natura & essentia intellectionis producere verbum, adeóque etiam de ratione beatificæ visionis.

Secundò. q. 4. de Ver. a. 2. cùm dixisset: *verbum est aliquod realiter progrediens ab altero*, addit: *quod universaliter verum est, de omni, quod à nobis intelligitur, sive per essentiam videatur, sive per similitudinem.*

Respondeo ad 1. cum communi Thomistarum: sensum esse, quòd in omni natura intelligente detur verbi processio, quamvis non detur in omni supposito intelligente: ex hoc quippe rectè S. D. intulit contra Arianos, quòd cùm in DEO sit natura intelligens, etiam sit aliqua processio Verbi, ideóque hæc universalis propositio *quicunque intelligit &c.* est accipienda secundùm distributionem accommodam, ut vocant, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum.

Ad 2. quoque Resp. Sermonem esse de ordinaria cognitione, in qua etiam Angeli se per essentiam sive substantiam suam intelligentes formant verbum mentis.

9. Objicies tertiò. Species expressa nihil aliud est, quàm formalis & vitalis assimilatio, atque unio cognoscentis cum cognito; sed omnis cognitio adeóque & visio est formalis vitalis assimilatio atque unio cognoscentis cum cognito: ergo omnis cognitio est species expressa objecti, adeóque

que & visio est species expressa divinæ essentiæ. Minor probatur. Actus potentiæ formaliter & essentialiter assimilativæ est assimilatio, siquidem potentia specificatur ab actu: sed intellectus est potentia formaliter assimilativa, quia est repræsentativa, nec aliter repræsentat, nisi in quantum cognoscentem assimilat cognito, & quodammodo transformat in objectum cognitum, unde Phil. 3. de an. tc. 7. inquit, quòd *omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum.*

10. Confirmatur primò. Ipsa visio corporea objecti est species & similitudo ipsius: ergo etiam visio incorporea & intellectualis; utraque enim est actus potentiæ repræsentativæ.

11. Confirmatur secundò. Visio divinæ essentiæ est per se ipsam formaliter vera: ergo per se ipsam est formaliter similis divinæ essentiæ. Consequentia probatur: veritas est conformitas actûs cum objecto, sed conformitas est similitudo: ergo formalis veritas actûs est ipsius formalis similitudo cum objecto. Cùm ergo visio sit formaliter vera, erit etiam formaliter similis essentiæ visæ.

12. Confirmatur tertiò. Verbum est signum productum ad manifestandam rem cognitam, sed hoc facit visio: ergo visio ipsa est verbum.

13. Respondeo negando minorem, & dico, essentiam conceptum cognitionis esse, ad objectum suo modo præsens vitaliter intendere & attendere, in quo consistit repræsentatio potentiæ cognoscitivæ. Cùmque sola divina essentia, tanquam suum intelligere & intelligi, ac proinde per essentiam intelligibilis & intellecta in actu, possit se ipsam per modum termini intelligibilis & intellecti sistere intelligibiliter præsentè intra intellectû, idcirco repræsentatio intellectûs, quæ fit in beata visione, consistit in sola contemplativa intentione, seu attentione ad illam divinam essentiam ceu terminum intellectualem: quâ attentione & adhæsione intellectus totus absorptus & affixus in DEO, quodammodo in ipsum transformatur & deificatur: in aliis verò cognitionibus, ubi objectum cognitum non est suum intelligere, ipse intellectus suâ cognitione conatur ad efformandum sibi terminum intellectualem, quem aliàs intra se & in esse cognito non haberet præsentem: Itaque vis repræsentativa intellectûs consistit in vitaliter terminando objectum præsens, quod fit vel in illud simplici intuitu, ut jam sufficienter præsens, in & attendendo, vel si se ipso non sit sufficienter præsens, ipsius imaginem in se efformando: sicut enim intellectus agens in homine vim habet efformandi species impressas, quando objectum non aliter fieri potest præsens in actu primo: sic intellectus patiens vim habet efformandi sibi speciem expressam, quando objectum aliter non potest fieri præsens & intellectum in actu secundo.

14. Ad 1. Confirm. nego antec. est enim attentio ad objectum externum per vitalem refractionem specierum & radiorum visualium in pupillam transmissorum.

15. Ad 2. nego conseq. Ad cujus probationem distinguo majorem: Veritas est conformitas actûs cum objecto vel per modum imaginis, vel per modum signi concedo: tantùm per modum imaginis, nego maj. sed conformitas est similitudo, quæ est conformitas imaginis, conc. conformitas signi cum re significata nego min. & conseq. Sensus est, quòd actus visionis se habet per modum cujusdam perpetui judicii & affirmationis, quæ intellectui Beati in fixissima contemplatione exercitè enuntiat, significat & gustandum exhibet, DEUM sibi esse omnia in omnibus, absque hoc, quòd in se formalia divinitatis prædicata intellectui contuenda objiciat: hoc autem est esse conformem per modum signi, sicuti vocalis propositio, quæ dicit objectum esse quod est, est vera & conformis objecto, sine similitudine, quia est conformis per modum signi, non per modum imaginis.

16. Ad 3. Confirm. quæ præcedentem responsionem impugnat Resp. Verbum mentale est signum productum ad manifestandam rem cognitam terminativè, & per modum imaginis conc. quomodocunque & vitaliter tantùm, nego. Nos autem in priori sensu disputamus: unde si contendas, etiam hunc actum esse verbum, vel dictionem, quo aliquid quomodocunque judicatur, apprehenditur, intimatur: erit quæstio de nomine: nec enim repugno, quin visio beata, quatenus est judicium quoddam exercitum de infinita DEI bonitate & sic practicè determinativa voluntatis ad amorem fruitivum, quædam dictio, vel verbum vitaliter, hoc est per modum tendentiæ apprehendentis & gustantis, quàm bonus sit Dominus, non verò terminativè, seu per modum objecti terminantis & instar imaginis contuendum præbentis, dici possit.

§ IV.

Corollaria.

17. INferes ex dictis primò. Visionem beatam in sensu strictiori & proprio non esse dictionem. Dictio enim propriè est intellectio productiva verbi terminantis cognitionem: sed ex dictis constat per visionem beatam non produci verbum, ergo.

18. Inferes secundò. Essentiam divinam tametsi intrinsecè terminet cognitionem tanquam objectum intellectum in actu secundo: ideóque expleat munus speciei expressæ, non tamen propriè loquendo dici posse verbum Beatorum: quia verbum præter rationem termini intellectualis dicit etiam processionem à dicente, hoc est intelligente, à quo exprimitur, quòd de essentia divina dici non potest. Ideo secunda Persona in Divinis dicitur Verbum & imago: quia à Patre æterno per cognitionem & in naturæ similitudinem formaliter procedit.

19. Inferes tertiò. Quamvis Angeli substantia respectu propriæ cognitionis obeat munus speciei impressæ, non tamen posse habere rationem verbi & speciei expressæ; quia sicuti Angelus non est suum intelligere, ita neque est suum intelligi, vel intellectum in actu: unde sicuti intelligere ipsius est accidentale; ita terminus quoque intellectionis debet esse accidentalis.

20. Inferes quartò. Omnem intellectionem creatam, exceptâ beatificâ visione, simul esse dictionem (ubi dictio ratione distinguitur ab intellectione, cui superaddit habitudinem ad verbum, tanquam signum manifestativum objecti) quia in omni alia verbum producitur. Dixi creatam, quia increata & essentialis DEI intellectio non producit verbum, sed notionalis tantùm, de qua in tractatu de Trinit.

DISPUTATIO VIII.
DE
Lumine Gloriæ.

Dictum est de principiis visionis se tenentibus ex parte objecti videlicet de specie impressa & expressa. Nunc etiam tractandum est de principio pertinente ad ipsam potentiam intellectivam, quæ perficitur & confortatur ad præstantissimum actum Divinæ visionis eliciendum, quod quidem principium lumen gloriæ nuncupamus: cuius primò necessitatem & existentiam, deinde quidditatem & naturam investigamus.

ARTICULUS I.

An lumen gloriæ sit necessarium ad videndum DEVM?

SUMMARIA.

1. *Veritas fidei adstruit lumen gloriæ.*
2. *Diversitas sententiarum, in quo consistat?*
3. *Requiritur lumen gloriæ per modum habitûs elevans intellectum ad videndum DEUM.*
4. *Fundamentum ex natura visionis requirentis potentiam proportionatam.*
5. *Et ex paritate aliorum habituum.*
6. *Impugnatur ulteriùs concursus objectivus.*
7. *Primum officium luminis gloriæ, intellectum elevare.*
8. *Alterum, disponere ad intelligibilem unionem cum Divina essentia.*
9. *Instantiæ de hypostasi, & ipso lumine gloriæ.*
10. *Hypostasis non eget prævia dispositione, quia dat ipsum esse.*
11. *Nec lumen gloriæ, quia est ipsa dispositio.*
12. *Vnio intelligibilis non nisi comparativè ad physicam unionem potest dici metaphorica.*

§. I.
Adstruitur necessitas luminis gloriæ.

1. ALiquod lumen gloriæ ad Divinæ essentiæ visionem Beatis saltem de potentia DEI ordinaria esse necessarium, est definitum in Concilio Viennensi contra Beguardos & Beguinas Hæreticos, qui negabant, animam indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum DEUM. ut habetur in Clementina *ad nostrum. de hæret.* Colligitur è S. Script. Apoc. 21. *claritas DEI illuminabit eam.* h. e. Societatem Beatorum videntium DEUM. & Psal. 35. *in lumine tuo videbimus lumen.* h. e. interprete Genebrardo, per lumen gloriæ à te nobis communicatum, videbimus te DEUS, qui lux es inaccessibilis. in quo verò lumen gloriæ consistat, vel an per absolutam DEI potentiam suppleri possit? nihil definitum, sed Theologorum disceptationi relictum est.

2. Fuerunt primò, qui dicerent, lumen gloriæ esse ipsum DEUM, seu lumen increatum, quod objectivo suo concursu suppleat tum speciem impressam, tum lumen creatum, tenens se ex parte potentiæ. Sed hæc expositio inprimis videtur esse contra mentem Concilii, tale lumen gloriæ adstruentis, quale ab hæreticis negabatur, sed objectivum DEI concursum hæretici non negabant, aliàs negassent omnino DEUM videri: ergo præter objectivum DEI concursum, aliud lumen distinctum intellexit.

Aureoli sententia est, per lumen gloriæ intelligi ipsam visionem. Sed hæc expositio nugatoriam reddit definitionem Concilii, quia sensus ipsius foret, quod anima indigeret visione ad videndum DEUM, quod neque Beguardi negabant, aut ullus sanæ mentis negaverit.

Tertiò alii (pro qua sententia citatur Scotus) intelligunt concursum DEI effectivum, sive actionem productivam visionis. Sed & ista sententia (ut alia in decursu proponenda omittam) incidit in absurdum prioris opinionis: cùm enim iste concursus DEI simultaneus non distinguatur ab ipsa visione, rursus nugatoria erit propositio, si dicas, lumen gloriæ esse necessarium ad visionem.

Quartò aliqui intelligunt auxilium transiens; Sed quamvis ad visionem transeuntem (qualem probabiliter S. Paulus habuit in raptu) auxilium transiens, sive ut vocat S. Doctor 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. lumen gloriæ per modum passionis transeuntis collatum, proportionem habeat; visioni tamen permanenter & inamissibiliter collatæ non nisi permanens principium visionis proportionatur.

Quinta tandem ait esse, qualitatem supernaturalem, & permanentem qualis est gratia sanctificans, habitus fidei &c. quam rursus alii cum Vasquez, Hurtado, Esparza, Rosmer identificant cum specie impressa, ut suprà retulimus & rejecimus; alii distinguunt.

3. CONCLUSIO. *Præter concursum objectivum Divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis unita, ex parte intellectûs requiritur lumen gloriæ per modum habitûs ipsum intrinsecè elevans & confortans.* Ita Schola S. Thomæ cum pluribus aliis, etiam Scotistis, teste Smising tract. 2. disp. 6. q. 4. & apertè colligitur ex testimoniis S. Doct. priori disp. 2. 1. n. 5. adductis, præsertim hic. q. 12. a. 5. ad 2. cùm dicit: *Lumen gloriæ non requiritur ad videndum DEI essentiam, quasi similitudo, in qua DEVS videatur, sed quasi perfectio quædam intellectûs, confortans ipsum ad videndum DEVM, & ideo potest dici, quod non est medium, in quo*

DEVS

DEVS videatur, sed sub quo videtur: ubi præter concursum essentiæ divinæ in ratione specifici intelligibilis, admittit simul lumen gloriæ, quod vocatur medium sub quo, & distinguitur à medio quo, vel in quo, quorum illo speciem intelligibilem, isto similitudinem objectivam S. Doctor intelligit.

Ratio quoque ab eodem S. Doctore hîc a. 2. insinuata & ex intima natura visionis petita est, quòd præter concursum ex parte objecti, requiritur ad visionem sufficiens concursus ex parte potentiæ, ut nempe potentia habeat proportionatam virtutem & efficaciam, sitque apta ad producendam visionem, sine hoc enim inutilis erit, imò (ut mox dicetur) impossibilis concursus objecti: unde oculus reliquit concursum objectivum saporis & soni, quia deest ipsi intrinseca capacitas & proportio: neque oculo noctuæ prodest solare lumen, defectu intrinsecæ dispositionis: sed intellectus ex parte sui non est saltem proximè completus & intrinsecè proportionatus ad actum visionis (aliàs naturaliter posset videre DEUM) ergo præter concursum objectivum requirit intrinsecam virtutem, quâ elevetur & confortetur ad eliciendam visionem. Imò verò ejusmodi virtus concursui objectivo essentialiter præsupponitur, cùm potentia non nisi ut apta & proportionata ejusmodi concursum exigat & admittat, veluti suprà notavimus.

4. Primum est, intellectum evehere & elevare ad ordinem supernaturalem, ejúsque activam virtutem complere, cujus doctrinam & expositionem tradit S. Doctor hîc. a. 5. in c. *Cùm virtus naturalis intellectûs creati non sufficiat ad DEI essentiam videndam, oportet, quòd ex Divinâ gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectûs vocamus.* & ad 2. *tamen requiritur quasi perfectio quædam intellectûs confortans ipsum ad videndum DEUM.*

5. Confirmatur primò: Intellectus ad assensum supernaturalem fidei, voluntas ad actus supernaturales sperandi, amandi, &c. indiget habitibus infusis; ergo multò magis ad nobilissimum actum visionis permanenter & quasi connaturaliter eliciendum intellectus Beati indiget habitu infuso, quem lumen gloriæ appellamus.

6. Confirmatur secundò: Si sufficeret objectivus concursus DEI absque lumine gloriæ, non esset ratio, cur de facto intellectus viatoris non videret DEUM, ut enim fiat visio, plus non requiritur, quàm potentia ex sua parte completa, & sufficiens præsentia objecti; sed si nullum requiritur lumen gloriæ, intellectus ex parte sui habet virtutem completam, nec deest ipsi præsentia Divinæ essentiæ per omnia diffusa; non ergo erit ratio, cur DEUM actu non videat. Neque confugias ad denegationem Divini concursus; nam rursus sequeretur, quòd DEUS, si non contra, certè præter naturam miraculosè, & non sine quadam violentia suum concursum denegaret, sicut enim oculus sufficienti virtute instructus connaturaliter exigit visionem objecti intelligibilis sibi debitè præsentis, ut miraculo sit tribuendum, si quis apertis oculis nil videat in meridie; ita intellectus sufficienti virtute præditus connaturaliter exigit visionem objecti intelligibilis sibi debitè præsentis, ut subtractio ejusmodi visionis planè foret miraculosa, & præter naturalis.

§. II.

Officia luminis gloriæ.

7. EX modò dictis patet, quænam sint munia, ad quæ lumen gloriæ ex sua natura destinatur.

8. Alterum ipsius officium est, disponere intellectum ad intelligibilem cum divina essentia unionem, cujus rationem simul & explicationem rursus accipe à S. D. hîc a. 5. *Cùm aliquis intellectus videt DEUM per suam essentiam, ipsa essentia DEI fit forma intelligibilis intellectûs:* unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ut elevetur in tantam sublimitatem.

9. Sed inquis: hypostasis immediatè terminatur Divinam, & similiter immediatè lumen gloriæ recipitur in intellectu absque alia prævia dispositione: cur ergo essentia divina in ratione formæ intelligibilis necessariò prærequirit dispositionem? præsertim cùm (ut arguit Veckenus) ista intelligibilis unio & ratio formæ non sit propriè dicta, sed potiùs metaphorica, unde S. D. de Verit q. 8. a. 3. dicit, *ad hoc, quod DEVS per essentiam videatur, oportet, quòd essentia Divina uniatur intellectui quodammodò ut forma intelligibilis:* ubi particula *quodammodò*, teste Barbosa, improprietatem denotat, & fictionem importat.

10. Respondeo ad primum, hypostasin ideo esse immediatum terminum naturæ humanæ, quia facit illam esse & subsistere, quod uti primum est in rebus, ita nullam pro se dispositionem prærequirit.

11. Ad secundum dico quoque, quòd lumen gloriæ per essentiam sit forma dispositiva: ad dispositionem porro non datur dispositio, uti neque ad relationem relatio, ad actionem actio: atqui essentia Divina per modum formæ intelligibilis intellectui unita eundem proximè determinat ad actum vitalem visionis effectivè eliciendum, unde priùs virtutem proximam & vitam intellectualem supernaturalis ordinis (quæ sine lumine gloriæ non obtinetur) ex parte intellectûs supponit, quâ absente principium visionis adæquatum constituere non potest.

12. Ad ultimum dico, quòd unio intelligibilis (sicut & ratio formæ) quamvis comparata ad physicam unionem & informationem sit quodammodò & impropriè talis, quemadmodum causalitas finis, comparata ad causalitatem efficientis metaphorica dici consuevit: esse tamen verissimam unionem in genere unionis abstrahentis ab omni imperfectione. Essentiam quoque Divinam esse verissimè formam intelligibilem, quippe quæ seipsa perfectissimè intellectum videntis perficit, & actuat.

ARTICULUS II.

An per absolutam potentiam possit clarè videri Divina essentia sine lumine gloriæ?

SUMMARIA.

1. *E doctrina S. Doctoris eruitur implicantia visionis sine lumine gloriæ.*
2. *Prima implicantia ex parte intellectûs.*
3. *Secunda ex parte actûs.*
4. *Tertia ex parte essentiæ.*
5. *Non potest divina essentia supplere defectum luminis.*
6. *Sententia de concursu extrinseco.*
7. *Impugnatur concursus extrinsecus.*
8. *Responsio de potentia obedientiali proximè activa.*
9. *Ostenditur adversari doctrinæ S. Doctoris.*
10. *Varia absurda eidem imponuntur.*
11. *Objectio de infinito DEI dominio.*
12. *Nihil derogatur Divino dominio, cùm non uti potest creaturis ad effectus implicatorios.*
13. *Intellectus nihilominus activè influit.*
14. *Authoritas S. Doctoris non favet adversariis.*
15. *Lumen gloriæ est in genere habitûs.*
16. *Præstantiâ cedit soli gratiæ sanctificanti.*
17. *Non est formaliter ipsa unio Divinæ essentiæ cum intellectu Beati.*
18. *Lumen gloriæ intellectui necessarium etiam ad recipiendam visionem.*

§. I.

Negativa statuitur.

1. AFfirmativam tuentur Suarez l. 2. de Div. Attrib. c. 16. Molina, Vasquez, Amicus. disp. 9. sect. 12. Ysamb. disp. 3. a. 6.

Negativam tenent discipuli S. Thomæ, Salmantic. Philip. à S. Trinitate. Jo. à. S. Th. Gonet, Labat, Godoyus, &c.

CONCLUSIO. *Nec per absolutam DEI potentiam fieri potest, ut intellectus creatus absque lumine gloriæ vel transeunter, vel permanenter communicato DEVM videat.* ita Thomistæ deducunt ex S. Doct. cit. 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. ubi ex eo, quòd intellectus creatus non nisi per lumen gloriæ DEUM videre possit, infert, etiam S. Paulo in raptu Divinam essentiam videnti, communicatum fuisse lumen gloriæ per modum passionis transeuntis: quæ illatio nullius esset roboris, si de ordinaria tantùm potentia S. Thomas loqueretur. Diceretur enim S. Paulum extraordinario tantùm privilegio divinam essentiam vidisse, ideóque ordinario luminis auxilio non eguisse.

2. Probatur quoque triplici fundamento Thomistico, & ostensione implicantiæ. Primò ex parte intellectûs. Implicat causam priùs esse constitutam in actu secundo, quàm primo operandi, & prius operari, quàm possit operari; sed intellectus viribus naturæ relictus est impotens ad videndam Divinam essentiam, neque in actu primo visionis constitutus, ergo.

Confirmatur. Impossibile est, ut intellectus eliciat supernaturalem assensum fidei, sine habitu fidei, vel auxilio intrinsecè recepto: ergo idem dicendum de actu visionis.

3. Secundò ex parte actûs. Visio est actus vitalis vitalitate supernaturali: ergo petit ab intrinseco procedere à principio proximo vitali supernaturali. Consequentia probatur. actus vitalis essentialiter petit procedere à principio proximo conjuncto & vitali: ergo actus vitalis supernaturalis essentialiter petit procedere à principio proximo vitæ supernaturalis. Subsumo: sed intellectus absque lumine gloriæ non est principium proximum vitale supernaturale, cùm sic non conveniat ipsi alia vitalitas intellectiva, quàm quæ sit ordinis naturalis, (aliàs quoque connaturaliter posset videre DEUM) ergo impossibile est, ut ab intellectu destituto lumine gloriæ procedat actus visionis, qui est essentialiter actus vitæ intellectivæ supernaturalis.

4. Tertiò ex parte essentiæ Divinæ: implicat, ut species intentionaliter sit unita potentiæ, & concurrat ad actum vitalem, quando potentia non habet proportionatum gradum vitæ, & dispositionem debitam ad usum talis speciei. Unde exemplo supra insinuato, licèt in oculo ponerentur species soni, non tamen essent ipsi intentionaliter unitæ, nec constituerent cum ipso principium auditivum. Et licèt in intellectu ponantur species objectorum credibilium, non tamen cum ipso constituent principium sufficiens ad eliciendum assensum fidei, nisi accedat habitus fidei. atqui sine lumine gloriæ intellectus non est elevatus ad gradum vitæ, & intellectualitatis supernaturalis. ergo.

5. Non potest proinde ullâ ratione fieri, ut essentia Divina in beatifica visione suppleat defectum luminis. Quo enim modo suppleret? An quòd ipsa id officii præstaret ex parte potentiæ, quod præstat lumen gloriæ, quemadmodum in nostra sententia præstat officium speciei impressæ? sed hoc implicat; quia lumen gloriæ non aliter ad visionem concurrit, quàm ut intrinseca virtus potentiæ, eandem per intrinsecam sui receptionem confortans & elevans ad sufficientem proportionem cum actu visionis, qui modus concurrendi DEO repugnat, quippe involvens rationem formæ intrinsecè receptibilis. Alius longè est concursus speciei, cujus munus non est, per intrinsecam sui receptionem (id enim speciebus creatis non nisi ex accidenti convenit) sed objectivam terminationem potentiam jam ex se intrinsecè proportionatam ultimatò complere, & repræsentativè perficere. Quod totum, ut ab omni imperfectione & potentialitate remotum, Divinæ essentiæ optimo jure convenit.

§. II.

Impugnatur concursus extrinsecus, & potentia obedientialis proximè activa.

ALius dicendi modus communis inter RR. qui potentiam obedientialem proximè activam, cujus

ullvis creaturæ congenitam, admittunt, docet, per ſolum auxilium extrinſecum, ſive concurſum DEI in genere cauſæ efficientis luminis gloriæ concurſum ſuppleri poſſe: ſiquidem DEUS poteſt per ſe ſolum efficientiam cujusvis cauſæ creatæ ſupplere; ut præter Scotum etiam expreſſis verbis tradit S. Thomas 1. parte. q. 105. a. 2. in c. dicens *erroneum eſt dicere, DEVM non poſſe facere per ſe ipſum, omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque cauſam creatam.* Cùm igitur viſio efficienter procedat ex lumine gloriæ, poterit ille influxus à concurſu DEI tanquam ſuperioris cauſæ ſuppleri.

7. Sed contra hanc opinionem eſt primò. Ille concurſus vel ponit aliquid intrinſecum ex parte intellectûs, vel nihil ponit. ſi nihil: ergo manebit intrinſecè impotens, ſicut ante concurſum, neque proinde exibit in actum viſionis, quem in nulla ſua virtute aut actu primo continet. Si aliquid addit ex parte intellectûs, illud ipſum jam eſt aliquid intrinſecè perficiens, & confortans intellectum, quod lumen gloriæ intelligitur.

Contrà eſt ſecundò. Concurſus actualis tenet ſe ex parte actûs ſecundi, non primi; &, ut ante advertimus, ab ipſo actu potentiæ, ſi ſit ſimultaneus, non diſtinguitur: atqui actus ſecundus eſſentialiter præſupponit primum, & vires intrinſecas ipſius potentiæ, quas absque aliquo in ſe intrinſecè recepto nullo modo habet.

Contrà eſt tertiò: Vitalitas ſupernaturalis actûs ſecundi præquirit vitalitatem ſupernaturalem actûs primi; ſed intellectus naturæ viribus relictus cum ſolo extrinſeco concurſu non habet vitalitatem ſupernaturalem actûs primi: ergo viſio habens vitalitatem ſupernaturalem actûs ſecundi, non poteſt procedere ab intellectu habente ſolùm extrinſecum concurſum DEI.

Contrà eſt quartò. Impoſſibile eſt, cauſam intrinſecè mutari, aut elevari ſine aliquo in ſe recepto; ſed concurſus extrinſecus nihil intrinſecè ponit in cauſa: ergo per ipſum cauſa intrinſecè non mutatur aut elevatur. atqui officium luminis gloriæ eſt, potentiam intrinſecè elevare, ut etiam adverſarii concedunt; ergo extrinſecus DEI concurſus non ſupplet officium luminis gloriæ.

8. Reſpondentes quidem ipſimet intellectui ratione ſuæ potentiæ obedientialis proximè activæ ineſſe virtutem partialem & incompletam, quâ ſeipſo effectus ſupernaturales poſſit attingere, ſi à concurſu alterius comprincipii ſuperioris & ſupernaturalis compleatur, idque de potentia ordinaria fieri per habitum creati luminis gloriæ intrinſecè inhærentem; de potentia verò extraordinaria per lumen increatum Divinæ eſſentiæ extrinſecùs aſſiſtens.

9. Sed hæc reſponſio, ſimúlque potentia obedientialis proximè activa partialiter concurrens, cui velut unico fundamento innititur, imprimis apertè contradicit S. Doctori: nam iſte 3. contra gentes c. 70. negat in effectibus vires naturæ excedentibus cauſam naturalem per modum cauſæ partialis concurrere. Verba ipſius ſunt. *Non ſic idem effectus cauſæ naturali & Divinæ virtuti tribuitur, quaſi partim à DEO, & partim ab agente naturali fiat.*

Secundò in 1. 2. q. 109. a. 1. in cauſa naturali ultra ſuam proportionem operante requirit formam ſuperadditam. *Vnaquæque*, inquit, *forma indita rebus creatis à DEO, habet efficaciam reſpectu alicujus actûs determinati, in quem poteſt ſecundùm ſuam proprietatem, ultrà autem non poteſt, niſi per aliquam formam ſuperadditam.*

Rurſus 3. parte q. 62. a. 4. concedit ſacramentis novæ legis virtutem intrinſecam ipſis ſuperadditam, quâ eleventur ad gratiæ productionem.

Tandem in qq. diſput. q. un: de virt. in com. inquit, *reſpectu eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum, Reſpectu aliorum verò admittit non ſolùm principia receptiva, ſed etiam activa.* Ecce quomodo S. Doctor agnoſcat potentiam obedientialem paſſivam, neget verò proximè activam.

10. Eadem quoque potentia obedientialis activa variis abſurdis videtur obnoxia. Nam primò eſſet, & non eſſet intrinſecè naturalis. naturalis eſſet, quia indiſtincta ab ipſa rei natura & entitate: Supernaturalis eſſet, quia proximè ordinata ad actus ſupernaturales, à quibus habitus & potentiæ ſpecificantur.

Secundò. Eſſet, & non eſſet virtus incompleta. Eſſet incompleta ex hypotheſi adverſariorum: non eſſet incompleta ſed completa, quia contineret in actu primo totum effectum, ſiquidem ad illum producendum, ex parte actûs primi nullum intrinſecum complementum requirit.

Ideóque eſſet tertiò inſtrumentaria ſecundùm adverſarios, & non eſſet, quia nullâ egeret intrinſecâ elevatione, ſed tantùm concurſu partiali, qui non impedit rationem cauſæ principalis, veluti patet in duobus equis ſimul eundem currum trahentibus, quorum neuter eſt alterius inſtrumentum, quantumvis uterque alterius conſortio egeat ad productionem totius effectûs.

Quartò: Darentur in rerum natura ſemina & initia gratiæ, cùm iſthæc obedientialis potentia eſſet ipſa rei natura habens vim inchoativam immediatè producendi effectus gratiæ.

Quintò. Superflui eſſent habitus infuſi virtutum, donorúmque ſupernaturalium, ſiquidem omnes actus ſupernaturales à potentia obedientiali ſolo extrinſeco concurſu DEI adjuta produci poſſent.

Neque dicas: ideo dari iſtos habitus, ut per ipſos tanquam per intrinſeca principia actus magis connaturaliter eliciantur.

Quid enim magis connaturale, congenitum, & intrinſecum cuilibet, quàm propria ſua natura, in qua tua illa potentia obedientialis activa conſiſtit? Adde, quòd iſti habitus non minùs partialiter concurrant ad eliciendos actus, quàm concurſus DEI extrinſecus, adeóque potentiam obedientialem non magis perficiunt, quàm perficeret extrinſeca DEI aſſiſtentia. Omitto alia ad gratiæ ſufficientis, prævenientis, cooperantis neceſſitatem pertinentia, in qua potentiæ hujus obedientialis nimis ampla poteſtas diſpenſare videtur.

11. Objicies primò. Ad infinitum DEI dominium pertinet, ut poſſit immediatè creaturis uti ad producendos ſupernaturales effectus: ergo datur in creaturis potentia obedientialis immediatè

activa sine additione alterius virtutis. antecedens probatur: perfectius est dominium immediatè uti creaturis, tanquam instrumentis Divinæ omnipotentiæ, quàm uti mediatè: sed non est denegandus perfectissimo DEI dominio perfectior modus utendi creaturis: ergo.

Confirmatur. Ad absolutum & perfectissimum DEI dominium pertinet, ut immediatè conservet omnium rerum esse & operationes: ergo ad idem dominium pertinet, ut immediatè utatur creaturis, ceu instrumentis suæ omnipotentiæ.

12. Resp. primò, hoc argumentum nimium probare, nempe quòd DEUS de facto hoc modo utatur creaturis sine virtutibus superadditis, sicuti de facto immediatè conservat esse rerum: neque enim DEUS potest abdicare perfectionem sui infiniti dominii.

Resp. secundò, negando utrumque antecedens: sicut enim non est de perfectione Divini dominii, ut producat per creaturas effectum sine actione, quia implicat, ita etiam, ut iis utatur ad producendos effectus excedentes & supernaturales sine virtute operandi, quia etiam implicat operari sine posse & actu primo operandi.

Ad confirmationem disparitas est, quòd actio rerum conservativa sit continuata creatio, quæ à solo DEO est, & esse potest: usus verò creaturarum ad producendos effectus supernaturales DEO convenit, in quantum ipsas ultra suam nativam virtutem elevat, quod sine aliqua virtute intrinsecè superaddita nec esse nec concipi potest.

13. Objicies secundò: si intellectus in se non haberet virtutem partialem incompletam & inchoativam ad eliciendam visionem DEI, non influeret activè in visionem DEI, sed haberet se merè passivè per modum subjecti deferentis, sicut aqua calefacta defert calorem: sed consequens est absurdum: ergo.

Resp. negando sequelam, quia, ut statim pluribus dicetur, intellectus est virtus radicalis ad visionem, eò quòd intra adæquatum ipsius objectum contineatur Divina essentia, ac proinde sit natus perfici per lumen gloriæ ad essentiam Divinam proprio actu attingendam.

§. III.

Corollaria.

14. COlliges primò: authoritatem S. Doctoris n. 6. allegatam non favere potentiæ obedientiali activæ, loquitur enim de illis effectibus, quos DEUS immediatè se solo absque ullo concursu creaturæ potest producere, veluti est motus corporum, de quo illo toto artic. est Sermo. At verò quos effectus DEUS concurrente simul potentiâ obedientiali producit, non producit se solo. Sed neque adversarii concesserint, actum vitalem, saltem quâ talem, uti est actus visionis, à solo DEO produci.

Colliges secundò: Lumen gloriæ rectè collocari in prædicamento habitûs, quamvis enim in hoc obtineat modum potentiæ, quòd det simpliciter posse; in eo tamen, quòd non se habet indifferenter ad benè vel malè, sed ab intrinseco ad optimam operationem subjectum determinat, & disponit, intra habitûs definitionem continetur. 15.

Colliges tertiò: Lumen gloriæ præstantiorem esse habitum, quàm sint habitus omnium donorũ supernaturalium, præterquam gratiæ sanctificantis. Ratio primi est, quòd sit principium actûs perfectissimi, nempe visionis, & participatio nobilioris perfectionis, nempe intellectualitatis Divinæ. Ratio secundi est, quòd radicale principium visionis, ut est gratia, præcellat proximo, ut est lumen, & ratio naturæ sit perfectior, quàm principium formale operandi: sed gratia est participatio Divini intelligere sub ratione naturæ & primæ radicis; lumen gloriæ verò sub ratione principii proximi: ergo. 16.

Colliges quartò: Lumen gloriæ non esse formaliter unionem essentiæ Divinæ cum intellectu Beati. Ratio est primò: quia cùm actus & potentia ad se mutuò cùm debitis requisitis sunt proportionata, se ipsis uniuntur absque vinculo intermedio (ut suppono ex Philosophia) sed intellectus dispositus lumine gloriæ est proportionatus ad actum Divinæ essentiæ, tanquam formæ ex se infinitè intelligibilis: ergo immediatè se ipsis uniuntur. Secundò: unio debet se tenere ex parte utriusque extremi uniti: sed lumen gloriæ non tenet se ex parte essentiæ Divinæ, neque ipsam ullâ ratione afficere & determinare potest: ergo. 17.

Colliges quintò: Lumen gloriæ non tantùm esse necessarium intellectui ad eliciendam, sed etiam recipiendam DEI visionem, cùm iste non modò in ratione principii, sed etiam subjecti sit improportionatus visioni. Neque iterum obtrudas paritatem à lumine gloriæ, quod nullam sibi præviam dispositionem requirit: ut enim sup. insinuavi, dispositionis non est dispositio: unde quia lumen gloriæ est ipsa dispositio & elevatio in vitam supernaturalem, nullam præviam sui dispositionem requirit. Ipsa verò visio non est dispositio, sed perfectio vitalis potentiæ in proportionato vitæ gradu constitutæ. 18.

ARTICULUS III.

Quomodo lumen gloriæ cum intellectu concurrat ad visionem?

SUMMARIA.

1. *Quorundam antiquorum sententia refelluntur.*
2. *Diversitas sententiarum.*
3. *Astruitur intellectui activus influxus in visionem.*
4. *Astruitur influxus principalis.*
5. *Differentia inter influxum instrumentalem & principalem.*
6. *Impugnatur causalitas partialis.*

7. Quo-

7. *Quomodo SS. PP. intelligant vocem instrumenti.*
8. *Quomodo causa principalis per propriam virtutem operetur.*
9. *Quomodo intellectus agat ut elevatus.*
10. *Qualis sit virtus radicalis ad eliciendam visionem?*
11. *Sufficit ad actum vitalem, ut sit à principio intrinseco remotè.*

§. I.

Rejectis aliis Thomistica sententia statuitur.

1. ANtiquorum quorundam opinio fuit, intellectum beati in visione, sicut & lumen gloriæ otiosum desidere, & absque activo influxu passivè Divinam essentiam & intellectionem in se recipere, eaque increatâ visione DEI videntem denominari. Contra quos ex illo Joa. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c.* communiter Theologi tum hic, tum in 1. 2. deducunt, visionem beatorum, non esse actum visionis increatæ & Divinæ, cùm alioquin neque cognitio, neque vita beatorum rectè diceretur. Nominales sentiebant, visionem quidem esse actum creatum ipsius videntis, qui tamen à solo DEO ex intellectu videntis educeretur, intellectu & lumine gloriæ nihil activitatis ad ipsum conferente. Nec minùs ista sententia communiter rejicitur, quippe quæ non vitali sed mortuo quodam modo visionem in intellectu poneret, hoc ipso S. Script. textui contraria.

2. Certum igitur inter Theologos est, visionem esse actum vitalem ab intellectu beati effectivè procedentem. Quod ipsum tamen diversimode explicatur. Quidam dicunt, adæquatum principium visionis esse solum lumen gloriæ, intellectu se habente per modum subjecti deferentis.

Secunda, quam habet Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sc. 5. & Franc. de Lugo disp. 12. c. 4. dicit, intellectum per suam naturalem virtutem, ut associatam lumini gloriæ, immediatè & partialiter influere in visionem.

At tertiò Suarez to. 3. puncto 1. disp. 22. Se. 1. negatâ hac efficaciâ naturali, docet intellectum per potentiam obedientialem proximè activam instrumentaliter concurrere ad eliciendam claram visionem.

Quartò Thomistæ, quamvis in modo loquendi subinde diversi, in commune affirmant, è lumine gloriæ, tanquam virtute proxima adæquata, & ex intellectu tanquam virtute remota radicali (quam Godoyus etiam appellat proximam in ratione potentiæ) constitui unum adæquatum principium non instrumentaliter, sed principaliter, non per duos partiales, sed unum indivisibilem influxum producens actum visionis.

3. CONCLUSIO. I. *Intellectus in visione activè influit.* Probatur primò ex Tridentino, ubi Sess. 6. can. 4. dicit, quòd liberum arbitrium non merè passivè, sed activè se habeat in ordine ad actus supernaturales; ergo idem dicendum de intellectu; cùm par sit ratio.

Probatur secundò ex S. Th. a. 5. ad 1. dicente, quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum, quo potentia fit potens ad operandum per habitum; sed utique potentia cum habitu concurrit activè ad operandum: ergo & intellectus cum lumine gloriæ.

Probatur tertiò ratione. Actus intrinsecè vitalis debet procedere à principio propriè vitali, ut quod: sed nisi intellectus activè influeret, visio non procederet à principio vitali ut quod: quia lumen gloriæ se solo est qualitas ab extrinseco infusa, neque fluit ex natura videntis tanquam principio vitæ radicali, adeóque ut sic non est vitale ut quod: sed nec anima posset per solum lumen gloriæ vitaliter ut quod operari: siquidem ipsa non immediatè recipit lumen gloriæ, nec nisi mediantibus suis potentiis operatur: ergo necesse est, ut etiam ipse intellectus activè influat.

4. CONCLUSIO II. *Intellectus non ut causa instrumentalis, sed ut principalis influit in visionem beatificam, quatenus* intra *proprium objectum confortatur & elevatur per lumen gloriæ.* Ita communis Thomistarum contra Suarez.

Probatur. De ratione causæ vitalis est, ut perficiatur à proprio actu vitali intra gradum vitæ proprium & adæquatum objectum, sed intellectus est causa vitalis visionis: ergo est de ratione ipsius, ut perficiatur à visione intra proprium vitæ gradum, atque objectum adæquatum: atqui istud causæ tantùm principali, non instrumentali convenire potest: ergo intellectus principaliter non instrumentaliter influit in visionem. major videtur certa: nam ideo actus vitalis est à principio vitæ conjuncto, quia perficit intrinsecè ipsum principium, à quo procedit: sed non perficeret, nisi illud circa objectum adæquatum, à quo specificatur, & quod est finis ipsius intrinsecus, perficeret, ideo si v. g. oculus corporeus instrumentaliter assumeretur ad producendam aliquam cognitionem, non ideo illam modo vitali, sed modo non vitali produceret; quia illa cognitio non perficeret oculum intra proprium objectum & gradum vitæ.

5. Subsumptum quoque probatur. De essentia instrumenti est, agere, ut motum ab extrinseco movente, & applicari ab eodem ad finem & objectum non ipsi instrumento, sed causæ principali proprium, adeóque excedentem adæquatam sphæram suæ activitatis, qua de causa id, à quo primò incipit motus & actio, non est instrumentum, sed causa principalis. Unde S. D. 3. p. q. 62. a. 4. in c. *instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur.* Et 3. contra gentes c. 12. *quod ab altero tantùm agitur, rationem instrumenti habet, quod verò per se agit, habet rationem causæ principalis agentis:* atqui, ut dictum, causa vitalis non extra limites suæ sphæræ & objecti extrinseco agenti deservit; sed intra proprium objectum vitaliter à suo actu perficitur: & sic etiam intellectus DEUM videns in suo esse vitâque intelligibili vel maximè per divinæ essentiæ visionem perficitur: neque per lumen gloriæ subordinatur alicui extrinseco agenti; non enim per beatificam visionem se DEUS, sed ipsimet Beati DEUM vident;

vident; intellectus quoque per visionem extra latitudinem entis intelligibilis neutiquam evagatur, sed perficitur & confortatur intra latitudinem entis & veri intelligibilis. adeóque de ratione causæ vitalis, & consequenter intellectûs videntis DEUM est, esse causam principalem sui actûs.

Confirmatur primò. Instrumentum non ab intrinseco movetur ad actionem instrumentariam: intellectus ab intrinseco movetur ad visionem: ergo non est instrumentum ipsius. Secundò. Per lumen gloriæ intellectus collocatur permanenter in gradu intellectualitatis divinæ, ut visio quasi connaturaliter ab ipso procedat: econtra virtus instrumentaria solet esse transiens: ergo intellectus per lumen gloriæ instrumentaliter non operatur.

6. CONCLUSIO III. *Intellectus & lumen gloriæ non concurrunt ad visionem per modum duarum causarum partialium, ita ut visioni quoad vitalitatem intellectus, quoad supernaturalitatem respondeat lumen gloriæ: sed influunt per modum unius indivisibilis principii adæquati: ita ut intellectus se habeat tanquam virtus radicalis & remota; lumen autem gloriæ tanquam virtus proxima videndi DEVM.*

Ratio est primò. Quando nihil est in effectu divisibile & assignabile, quod potiùs ab hoc, quàm alio principio procedat, tunc effectus indivisibiliter procedit ab utroque simul sumpto, tanquàm ab uno totali principio; sed in visione nihil est divisibile & assignabile, quod soli intellectui, vel lumini gloriæ debeatur: ergo clara DEI visio ab intellectu elevato per lumen gloriæ tanquam ab uno indivisibili adæquato principio procedit. Minor probatur: perfectiones visionis sunt vitalis intelligibilitas & supernaturalitas; sed istæ non sunt separabiles, aut diversis principiis seorsim assignabiles. ergo. minor rursus probatur: nam tunc sunt separabiles, quando vitalitas visionis est indivisibiliter supernaturalis, & supernaturalitas est vitalis: sed ita se res habet in visione, ergo.

Ratio est secundò. Si intellectus partialiter influeret in visionem, quatenus est intellectio vitalis, non instrumentaliter, sed principaliter per potentiam naturalem, non obedientialem influeret. consequens est contra adversarios. ergo. Sequela probatur: quia vitalitas intelligibilis non est extra limites activitatis intellectualis, sed continetur intra nativas vires ipsius. Superest ergo, ut sicut visio est indivisibiliter actus vitæ supernaturalis, ita etiam indivisibiliter procedat à principio vitali supernaturali, quod est intellectus elevatus per lumen gloriæ.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. OBjicies primò, authorit. SS. PP. qui liberum arbitrium solent appellare instrumentum divinæ gratiæ. Et S. Doct. qui 2. 2. q. 173. a. 4. dicit, mentem Prophetæ à Spiritu S. moveri sicut instrumentum: ergo à pari idem dicendum de intellectu videntis DEUM.

Respondet S. Doct. q. 24. de ver. a. 1. ad 5. sui Sanctorúmque PP. luculentus interpres, vocem instrumenti latiori & minùs propria significatione ibi accipi. ait enim: *magis communiter instrumentum dicitur, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus sive non: quâ ratione omnes creaturæ dici possunt instrumenta DEI, quia movent ut mota à primo movente.* Ad rationem vero instrumenti propriè dicti requiritur, ut motus alterius causa sit ipsi tota ratio agendi, quod non reperitur in præsenti.

8. Objicies secundò. Causa principalis per propriam virtutem operatur, non alienam: sed intellectus concurrit ad visionem non per propriam virtutem, sed alienam.

Resp. causa principalis operatur per propriam virtutem, hoc est, quæ sit perfectiva ipsius intra proprium objectum, concedo; quæ tantùm sit ex propriis principiis, nego. Sed intellectus elicit visionem per virtutem alienam, hoc est, extrinsecùs infusam concedo; non perfectivam sui intra rationem proprii objecti, nego minorem & consequentiam.

9. Objicies tertiò. Causa quæ agit, ut elevata ad producendum effectum proprias vires excedentem, est instrumentum: sed ita se habet intellectus in visione, ergo.

Resp. primò. Instrumentum est, quod agit ut elevatum ultra limites proprii objecti, concedo; intra illas, nego. Secundò. Agit ut elevatum; ita ut elevatio sit ipsi tota ratio agendi tam remota quàm proxima, conc. solùm proxima, nego. Sed ratio agendi tantùm proxima est lumen gloriæ, conc. tam proxima quàm remota, nego minorem & consequentiam. Et ita visio beatifica excedit virtutem intellectûs proximam, nego; remotam & radicalem, concedo.

10. Si dicas: Hæc ipsa virtus radicalis nil aliud est, quàm potentia obedientialis, quæ rem non extrahit à ratione instrumenti. Resp. esse potentiam obedientialem vitalem & mediatè activam, non potentiam obedientialem nec mediatè nec immediatè activam, & passivam tantùm. ista constituit actionem instrumentalem; illa principalem.

Ratio diversitatis est: quòd potentia vitalis obedientialis elevatur per virtutem completam, in ordine ad actus proprios intra proprium adæquatum objectum eliciendos, qua de causa immediatè formam perficientem, & hac mediante obedientialiter respicit actus supernaturales. Econtra potentia obedientialis merè passiva tantùm elevatur, per virtutem incompletam, ut sua operatione causæ principali deserviat ultra proprium finem & objectum.

11. Objicies quartò. Actus vitalis quà talis debet provenire à principio intrinseco, non extrinseco: sed lumen gloriæ est principium extrinsecum: ergo actus vitalis visionis ratione suæ vitalitatis non à lumine gloriæ, sed ab intellectu provenit.

Resp. Actus vitalis quà talis debet provenire à principio intrinseco, vel proximè, vel remotè, conc. semper proximè nego. ergo ratione suæ vitalitatis non potest esse à lumine gloriæ, remotè tanquam à virtute radicali & elevabili, conc. proximè, & tanquam à virtute elevante, sic nego.

Sed

Sed inquis. Visio secundùm substantiam actus differt ab omni alio actu, sed hanc differentiam habet à sola potentia intellectiva: ergo hæc sola immediatè influit in substantiam visionis.

Resp. negando minorem: est enim actus visionis substantialiter supernaturalis, unde quòd ab omni alio differat, non accipit à sola potentia intellectiva, sed ab ipsa ut elevata per lumen gloriæ.

DISPUTATIO IX.
DE
Ipso actu visionis.

A Principiis tam ex parte potentiæ, quam ex parte obiecti modò consideratis, progredimur ad ipsum actum visionis, cuius proprietates & accidentia, nempe perfectionem & intensionem, mensuram, ac durationem in præsenti disquirimus.

ARTICULUS I.

Vnde proveniat inæqualitas visionis?

SUMMARIA.

1. *Datur inæqualitas visionis.*
2. *Quæ non est essentialis, sed accidentalis.*
3. *Intellectus Angelicus & humanus in ordine ad visionem non sunt principia specie distincta.*
4. *Duplex sententia, Scoti, & D. Thomæ.*
5. *Defenditur, inæqualitatem visionis adæquatè refundi in inæqualitatem luminis.*
6. *Absurda oppositæ sententiæ.*
7. *Exponitur auctor. S. Doctoris.*
8. *Causa tantùm materialiter nobilior non producit nobiliorem effectum.*
9. *Si duæ causæ æquè proximè concurrunt, tunc alterutrius excessus parit excessum in effectu.*
10. *Intellectus major perfectio naturalis non gignit perfectiorem assensum fidei.*

§. I.
Præsupposita.

1. Suppono primò tanquam de fide certum, quòd visio beatifica non sit æqualis in omnibus Beatis, prout definitum est à Conc. Florent. in Decreto unionis dicente: *juxta meritorum diversitatem unus alio perfectius videt divinam essentiam.*

Deducitur ex illo 1. Cor. 15. *Stella differt à stella in claritate.* & Jo. 14. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, ut nimirum, velut exponit D. Aug. tr. 67. in Jo. *mansionem pro suo quisque merito accipiat.* Sicut ergo diversa sunt Beatorum merita, ita & gloria, seu visio beatifica.

2. Suppono secundò. Hanc inæqualitatem non esse specificam & essentialem, sed accidentalem juxta majorem intensionem & extensionem. Nam idem formaliter principium & objectum reperitur, in cujuslibet Beati visione: principium quippe partim dispositivum, partim effectivum ex parte subjecti est lumen gloriæ, quod est ejusdem rationis in omnibus Beatis; principium ex parte objecti, ipsumque objectum formale specificum est essentia divina quà talis.

3. Dices: Actus, qui procedunt à principiis specie distinctis, sunt specie distincti, sed visio Angeli procedit ab alio specie principio, quam visio animæ beatæ: siquidem intellectus Angelicus & humanus specie distinguuntur: ergo visio Angeli specie distinguitur à visione animæ vel hominis.

Resp. primò. Actus qui procedunt à principiis proximis specie distinctis sunt specie distincti, conc. à remotis, nego. sed visio Angeli procedit ab alio specie principio remoto, quàm visio animæ beatæ: conc. proximo, nego minorem & conseq.

Resp. secundò. negando minorem, & probationem distinguo: intellectus Angelicus secundùm potentiam naturalem specie distinguitur ab intellectu humano, conc. secundùm potentiam obedientialem, nego. nam in ratione virtutis remotæ & elevabilis ambo intellectus omnino conveniunt.

Adde quòd intellectus humanus non elevetur ad videndum DEUM secundùm gradum suum specificum, sed genericum intellectûs ut sic, secundùm quem non differt, sed convenit cum Angelo.

Restat igitur ut accidentaliter distinguantur, in quantum nempe una visio vel intensivè propter majorem claritatem, vel extensivè propter plurium objectorum in divina essentia perceptionem est perfectior alterâ.

4. Controversia tamen est, an ista inæqualitas visionis solùm oriatur ex diversitate luminis gloriæ, ita ut quò istud est perfectius, tantò perfectior sit visio; vel an etiam oriatur ex majori perfectione intellectûs, ita ut perspicacius acumen ingenii, majórque subtilitas intellectûs conducat ad perfectionem visionem? Hanc posteriorem opinionem Scotus; illam priorem cum sua Schola amplectitur D. Thomas hîc a. 6. ad 3. dicens. *Diversitas videndi* DEUM *erit per di-*

versam facultatem intellectûs, non quidem naturalem, sed gloriosam, vel etiam quatenus lumine gloriæ instructam.

§. II.

Propugnatur sententia D. Thomæ.

5. CONCLUSIO. *Adæquata ratio perfectioris visionis est sola major perfectio luminis gloriæ.* Ita Schola Thomistica.

Probatur primò. Ex illo principio habet intellectus, ut possit producere perfectiorem visionem, ex quo habet majorem proportionem, & virtutem producendi; sed hanc habet ex solo lumine gloriæ, non autem ex intellectûs naturali perspicacia: ergo ex solo lumine gloriæ provenit perfectior visio, adeóque & inæqualitas visionis. Minor probatur. quod ex se nullam habet proportionem ad simpliciter producendum effectum, non potest dare majorem proportionem ad producendum perfectiorem effectum; sed virtus naturalis intellectûs ex se nullam habet proportionem ad producendam visionem simpliciter: ergo intellectus ex sua virtute & perspicacia naturali non potest accipere majorem proportionem ad producendam perfectiorem visionem.

Confirmatur. Perfectior visio sequitur ad perfectiorem unionem divinæ essentiæ cum intellectu Beati; sed perfectior unio fit ob perfectiorem dispositionem luminis gloriæ, non ob perfectionem majorem luminis naturalis. ergo perfectior visio refundi debet in perfectius lumen gloriæ.

6. Probatur secundò ab absurdis. Nam sequeretur primò, minimum Angelum in gloria superare Beatissimam Virginem, eò quòd intellectûs Angelici perspicacia longè superet omne acumen humani intellectûs. Secundò. quòd DEUS non distribueret præmium vitæ æternæ juxta proportionem meritorum, siquidem ex duobus Beatis habentibus æqualia merita, ille qui haberet perfectiorem intellectum clariùs videret DEUM. At sequela repugnat communi doctrinæ Ecclesiæ & SS. PP. Tertiò. quòd Beati se ab invicem in sua beatitudine discernerent saltè partialiter per sua naturalia. Quartò. quòd supernaturalis beatitudo non totaliter pertineret ad ordinem gratiæ: siquidem ex parte procederet ex lumine naturali, & DEO ut Authore naturæ, &c.

§. III.

Solvuntur objectiones.

7. OBjicies primò authoritatem Doct. Angelici in 3. part. q. 10. a. 4. ad 2. dicentis: *Gradus visionis divinæ magis attendi secundùm ordinem gratiæ, quam secundum ordinem naturæ.* Sentit igitur visionis divinæ perfectionem etiam attendi secundùm ordinem naturæ: vocula quippe *magis* est comparativa, quæ supponit positivum.

Resp. ly *magis* in illo loco non accipi comparativè; sed adversativè cum exclusione oppositi, veluti cùm D. Paulus de Moyse dixit: *magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Hebr. 11.

Objicies secundò. Causa nobilior nobiliorem producit effectum: sed intellectus nobilior instructus lumine gloriæ est causa nobilior visionis, quàm alius intellectus ignobilior instructus æquali lumine: ergo producit nobiliorem effectum.

Resp. quòd causa formaliter & secundùm proximam rationem causandi nobilior, producat nobiliorem effectum, non quæ tantùm materialiter est nobilior, & secundùm remotam rationem causandi. Intellectus verò nobilior cum æquali lumine non nisi materialiter & secundùm remotam virtutem causandi est nobilior.

Objicies tertiò. Ubi duæ causæ concurrunt ad eundem effectum, modò alterutra in causando sit nobilior, sequitur nobilior effectus: sed præter lumen gloriæ ad visionem etiam concurrit virtus naturalis: ergo si modò illa sit nobilior, sequetur nobilior visio.

Major ab experientia ostenditur; nam quia ad visionem corpoream non tantùm species, sed etiam lumen concurrit, sive ex parte speciei, sive ex parte luminis fiat intensio, semper sequitur perfectior visio.

Resp. majorem tunc solùm habere locum, quando duæ causæ æquè proximè & in eodem ordine concurrunt ad aliqua effectum, prout contingit in adducto exemplo corporeæ visionis: non item cùm una virtus concurrit proximè, altera remotè, ut contingit in visione DEI.

Objicies quartò. Intellectus perfectior cum æquali habitu fidei, perfectiùs penetrat fidei mysteria; ergo etiam intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectiùs DEUM videt.

Resp. Perspicacior intellectus perfectiùs penetrat fidei mysteria, quantùm ad apprehensionem terminorum, & propositionem objectorum credibilium, conc. quantum ad ipsum fidei assensum, nego, hujus enim major perfectio ex perfectiori lumine & habitu fidei descendit.

ARTICULUS II.

Qualis sit actus visionis beatificæ?

SUMMARIA.

1. *Variæ acceptiones comprehensionis.*
2. *Veritas Catholica negat comprehensibilitatem DEI.*
3. *Ratio implicantiæ ex natura comprehensionis.*
4. *Instantia de visibilitate DEI.*

Potest

5. *Potest DEVS videri totus, quin videatur totaliter.*
6. *Non potest ex probabili possibilitate cognitionis omnium possibilium inferri probabilis possibilitas comprehensionis.*
7. *Visio est formaliter eminenter speculativa & practica.*
8. *At principaliùs speculativa.*
9. *Et eminenter complexa.*
10. *Et virtualiter reflexa.*
11. *Extra visionem possibilis est formalis reflexio super illam.*
12. *Ejusq; mensoria.*
13. *Mensuratur visio æternitate participatâ.*
14. *Simplicior mensura debetur visioni, quàm Angelo.*
15. *Potest visio per accidens tempore mensurari.*

§. I.

Sitne, vel esse possit visio comprehensiva.

1. NOtandum. *Comprehensionem* dupliciter accipi, primò pro affectione & tentione rei, & hoc sensu visio Beatifica dicitur comprehensio apud D. Gregor. Nazianz. or. 34. *comprehensio divina essentiæ est præmium omnium Beatorum.* & in 1. 2. comprehensio dicitur esse una ex tribus animæ dotibus, Beati quoque ad distinctionem à viatoribus vocantur *comprehensores*, quia illi adhuc currunt & tendunt ad bravium æternæ felicitatis, illi verò summum bonum jam comprehendunt, & possident, juxta illud Apostoli 1. Cor. 9. *sic currite, ut comprehendatis.* Alio modo comprehensio significat cognitionem tam perfectam ut adæquet, & exhauriat totam cognoscibilitatem objecti, adeo ut tanta sit claritas & perfectio in modo cognitionis, quanta est in modo cognoscibilitatis objecti. quo sensu sit.

2. CONCLUSIO. *Non tantùm de facto nulla creata visio DEVM comprehendit; sed neque per absolutam potentiam potest comprehendere.* Est veritas Catholica contra Anomæos. ex S. D. hîc a. 7. & definita in Conc. Lat. c. *damnamus.* expressa Jer. 32. *magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. *quam incomprehensibilia sunt judicia DEI &c.* Unde D. Aug. Serm. 38. de V. D. *comprehendere DEVM omnino impossibile est.* Et Epiphan. l. 3. hom. 70. *Sola Trinitas incomprehensibilis est.*

3. Ratio est: Comprehendi objectum, est illud cognosci, in quantum est cognoscibile: sed implicat, ut finita cognitione DEUS cognoscatur in quantum est cognoscibilis, cùm ipse sit infinitè cognoscibilis: ergo implicat, ut finita cognitio ipsum comprehendat. Sed visio est finita, quia creata cognitio, ergo.

4. Dices primò. Non obstante, quòd DEUS in scripturis dicatur invisibilis, tamen per gratiam videri potest ab intellectu creato: ergo tametsi DEUS dicatur incomprehensibilis, adhuc comprehendi potest per gratiam.

Resp. nego paritatem: ut enim essentia divina sit visibilis, sufficit, quòd contineatur intra latitudinem objecti adæquati intellectûs, eique mediante supernaturali dispositione luminis gloriæ in ratione specie intelligibili uniri possit: quod posse supra ostensum est, ut autem esset comprehensibilis, deberet posse reperiri tanta actualitas in cognitione, quanta in cognoscibilitate divinæ essentiæ, quod implicat ex dictis.

5. Dices secundò. DEUS à Beatis totus videtur, quia secundùm Apostolum 1. Jo. 3. *videtur, sicuti est:* ergo comprehenditur. Consequentia probatur. Illud comprehenditur juxta D. Aug. ep. 117. *quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Sed si DEUS totus videtur, ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem: ergo comprehenditur.

Resp. dist. antec. DEUS videtur totus, & totaliter nego. & non totaliter concedo. Totum videri est videri quicquid est formaliter in DEO: totaliter videri est omni modo claritatis & intensionis, quo videri potest, & secundùm omnia etiam eminenter contenta in ipso. Unde ad probationem ex D. Aug. Resp. Illud comprehenditur, cujus nihil latet videntem, tam ut formaliter, quàm eminenter in ipso contentum, concedo, tantùm formaliter contentum nego. item: cujus nihil latet videntem & eo modo, quo est in objecto, conc. modo remissiori & obscuriori, nego.

6. Dices tertiò. Probabile est posse ab intellectu Beati videri omnia possibilia in DEO, imò non desunt, qui probabiliter existiment animam Christi de facto videre omnia possibilia, apud Henric. à S. Ignat. dist. 7. q. 8. sed visio omnium possibilium esset comprehensiva Divinæ Omnipotentiæ, ergo possibile est saltem dari posse comprehensionem DEI.

Resp. dist. majorem: Est hoc possibile ex hypothesi sententiæ negantis, quòd ex visione omnium possibilium inferatur comprehensio Divinæ essentiæ, concedo, ex hypothesi oppositæ sententiæ Thomistarum, inferentium comprehensionem, nego majorem: sed visio illa omnium possibilium foret comprehensiva, in fundamento & hypothesi Thomistarum, conc. aliorum nego min. & consequentiam.

§. II.

Sitne visio beatifica speculativa complexa, reflexiva?

7. CONCLUSIO I. *Visio beatifica est formaliter eminenter speculativa & practica; principaliùs tamen speculativa.*

Primæ partis ratio est primò, quia ipsius formale objectum, nempe divina essentia est formaliter eminenter non tantùm speculabile in ratione primæ veritatis in essendo; sed etiam operabile in ratione ultimi finis, sicut & ipsum lumen gloriæ, non minùs quàm habitus fidei, cui succedit, est propterea formaliter eminenter speculativum & practicum. Secundò: quia summè quietat intellectum, quòd pertinet ad speculationem, simulque determinat volitionem ad exercitium amoris fruitivi, quod ad praxin pertinet

8. Secundæ partis ratio est ex S. D. 1. 2. q. 3 a. 5. quia operatio intellectûs speculativi, est simpliciter

citer nobilior, quàm operatio intellectûs practici: beatitudo autem formalis principaliter in perfectissima & optima & per se ipsam quæsita operatione consistit. Secundo: quia quod est principalius in visione, est contemplativa adeptio & tentio divinæ essentiæ; hoc autem fit per speculationem, ergo.

9. CONCLUSIO II. *Visio DEI non formaliter sed eminenter est complexa.* Ratio primæ partis est, quia ad formaliter complexam cognitionem, qualis est propositio ex subjecto & prædicato, discursus ex præmissis & conclusione, requiritur pluralitas specierum, quorum singulæ objectum inadæquatè repræsentant; sed visio determinatur per essentiam divinam indivisibiliter & adæquatè repræsentativam sui ipsius. ergo visio non potest esse formaliter complexa.

Ratio secundæ partis est: quia visio est perfectissima scientia, per quam uno indivisibili actu Beati in divina essentia partim tanquam in causa virtuali vident ipsius attributa, partim tanquam in causa formali vident creaturas possibiles, & actuales: ergo visio divina eminenter æquivaleret actibus scientificis, qui formantur à nobis.

10. CONCLUSIO III. *Visio non est formaliter, sed virtualiter reflexa.* 1. p. constat: quia reflexæ cognitionis formale objectum est ipsa cognitio præterita: sed visio non habet pro formali objecto nisi divinam essentiam, nec est sibiipsi aliquando præterita: ergo non est formaliter reflexa infra se ipsam.

Secundæ partis ratio est: quia, ut dicetur in tract. de Act. hum. visio beata debet intellectum beati assecurare formaliter de sui perpetuitate: hoc autem fit in quantum videt in essentia divina decretum de sui perpetuitate, sicque virtualiter est reflexa supra se ipsam.

11. Quæres: An saltem extra visionem possit dari reflexio supra illam, vel memoria ipsius? Resp. utrúmque fieri posse: Et primum quidem, quia nihil obstat, quo minùs intellectus Beati in cognitione vespertina seipsum reflectat supra cognitionem matutinam, imò cùm assensus conclusionis probabiliter sit reflexivus supra assensum præmissarum, & Beati extra Verbum forment conclusiones Theologicas deductas ex principiis notis per beatam scientiam, etiam probabiliter supra beatam scientiam se reflectunt.

12. Secundum quoque videtur contigisse in visione D. Pauli qui suam illam visionem revisere non potuisset, nisi memoriam ipsius habuisset: neque plùs requiritur ad memoriam visionis, quàm ut ipsius species in memoria conservetur, sed nullum est inconveniens conservari speciem visionis, quamvis nullo modo conservetur species divinæ essentiæ visæ.

§. III.

Mensura visionis beatificæ.

CONCLUSIO. *Visio beatifica mensuratur æternitate participatâ.* 13. Ita S. D. q. 10. a. 5. ad 1. dicens: *Creaturæ spirituales quantum ad affectiones & intelligentias, in quibus est successio, mensurantur tempore: quantum verò ad eorum esse naturale mensurantur ævo: sed quantum ad visionem gloriæ participant æternitatem.*

Conformiter ad illud Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te,* ubi vitæ beatæ tribuitur æternitas, non utique essentialis, Soli DEO tanquam enti tam ab intrinseco, quàm extrinseco omnimodè immutabili propria: ergo æternitas participata, quæ est mensura entis tam quoad se, quàm quoad operationes per se consequentes ab intrinseco immutabilis, mutabilis tamen ab extrinseco.

Ratio est: quia ut S. D. cit. q. 10. a. 2. Ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum: sicut ergo immutabilitatem essentialem consequitur æternitas imparticipata & essentialis; sic immutabilitatem participatam visionis consequitur æternitas participata.

Dices primò. Licèt Angelus sit ab intrinseco immutabilis, tamen ipsius substantia non mensuratur æternitate participata sed ævo: ergo idem dicendum de visione beatifica. Resp. Cùm per visionem beatificam beatus efficiatur Deiformis, simpliciorem mensuram, ac divinæ durationis participationem eidem deberi, quàm debeatur alicui naturæ. Unde licèt ævum sit mensura entis quoad substantiam immutabilis, tamen supponit mutabilitatem ex parte operationum eidem per se debitarum. Atqui visio etiam habet immutabilitatem ex parte operationum, quæ sunt ipsi per se debitæ, ut sunt amor & fruitio, & consequenter etiam habet puriorem mensuram æternitatis participatæ. 14.

Dices secundò. Si mensuraretur æternitate participatâ, visio D. Pauli non fuisset destructa: consequens est falsum. ergo Resp. negando sequelam, quia cùm D. Paulo fuerit collata visio non juxta statum connaturalem & perfectum visionis; sed præternaturalem; ideo poterat per accidens tempore mensurari. 15.

DISPUTATIO X.

DE

Objecto visionis beatificæ.

EX ipsa formalitate & hypothesi visionis hactenus expositæ constat, eiusdem objectum DEUM esse, quia verò intra DEUM plura continentur prædicata ab ipsa Divina essentia virtualiter distincta, tres quoque Personæ Divinæ inter se realiter

liter distinctæ, ac tandem omnes creaturæ in DEO eminenter continentur, tam actuales, quàm possibiles, de omnibus istis disputandum est, an & quomodo in Divina essentia à Beatis videantur, aut videri possint?

ARTICULUS I.

Virum in visione beatifica videantur omnia, quæ sunt formaliter in DEO.

SUMMARIA.

1. *De facto videntur omnia, quæ sunt formaliter in DEO.*
2. *Status quæstionis & diversitas sententiarum.*
3. *Divina essentia ut virtualiter distincta specificat visionem.*
4. *Non posse per absolutam potentiam videri essentiam sine Personis probat S. Scriptura.*
5. *Et PP. authoritas.*
6. *Testimonia D. Th.*
7. *Ejusdem ratio, quia videtur ut est in se.*
8. *Non datur cognitio intuitiva, quæ non sit quidditativa.*
9. *Esset & non esset visio essentiæ ut in se est.*
10. *Omnes perfectiones Divinæ conveniunt in ratione visibilis.*
11. *Paritas à communicatione essentiæ.*
12. *Non potest una perfectio videri explicitè & altera implicitè.*
13. *Opponitur distinctio inter objectum primarium & secundarium, absolutum & relativum.*
14. *Opponitur prioritas originis.*
15. *Paritas à communicatione & assumptione naturæ.*
16. *Non videntur omnes habitudines omnipotentiæ.*
17. *Opponitur libertas Divinæ essentiæ in sui communicatione.*
18. *Instantia de cognitione intuitiva superioris Angeli.*
19. *Instantia de visione corporea.*
20. *Ostenditur implicantia præcisionis tam ex parte objecti quam visionis.*
21. *Non potest objectum primarium videri sine secundario, si sit ipsi intraneum & essentiale.*
22. *Prioritas originis, cùm sit à quo, non favet Adversariis.*
23. *Persona non convenit cum natura in esse communicabilis, sicut in esse visibilis.*
24. *Omnes habitudines Divinæ omnipotentiæ videntur quantum in recto, non quantum in obliquo.*
25. *Patri sub ratione essentiæ & non omnipotentiæ non verificatur respectu videntis.*
26. *Necessitat consequens non obest Divino dominio & libertati.*
27. *Cur intuitiva cognitio Angeli non attingat potentiam obedientialem.*
28. *Cur oculoris visio non percipiat rationes generícas?*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. Suppono primò. De facto à Beatis videri omnia, quæ sunt formaliter in DEO, adeóque non tantùm essentiam, sed etiam Personas & relationes, divinàque attributa per visionem attingi. Et quidem quoad 1. p. nempe visionem Personarum & relationum est definitum à Florent. in decreto un. dicente: *animas purgatas in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum DEUM Trinum & unum sicuti est.* Insinuatur quoque Jo. 14. per illa Christi verba: *Philippe, qui videt me videt & Patrem.* Quoad 2. p. est quoque communis Theologorum, & ratio est primò, quòd, ut dicitur 1. Jo. 3. *videbimus eum sicuti est*: sed est in se ipso bonus, sapiens, & ita quidem, ut sit ipse sua bonitas, sapientia, &c. ergo per visionem beatificam etiam attinguntur hæc omnia attributa. Secundò, quia cognitio clara visionis succedit obscuræ & ænigmaticæ cognitioni fidei, quam habemus in via: ergo cùm per cognitionem fidei credamus ea, quæ pertinent ad Personas & attributa DEI: etiam illa videbimus per claram cognitionem in patria.

2. Tota igitur difficultas & quæstio est, an saltem per absolutam potentiam fieri possit, ut visio clara DEI sit præcisiva & inadæquata, ut nempe divina essentia sine personis & attributis, vel una persona sine altera videri possit. Ubi Scotus in 1. dist. 1. q. 2. n. 5. & 9. dicit, de potentia absoluta fieri posse, ut videatur divina essentia non visis personis, vel attributis. Scotum, quamvis diversis fundamentis, sequuntur Ariaga, Vecken nus, Franc. de Lugo. Altera opposita & negans est S. Th. hâc q. 12. a. 7. totiúsque Scholæ Thomisticæ, quos sequuntur ex variis SS. Ordinibus Carmelitæ Salmantic. nostri Benedictini Salisb. præter Molinam, Suarez, Valent. plures alii PP. Societ. Petrus à S. Joseph Fulienfis. Puteanus Ord. S. August. aliíque. Tertiò aliqui distinguunt inter visionem intuitivam quidditativam, & intuitivam & non quidditativam: In illa concedunt non posse videri Divinam essentiam sine attributis, in ista videri posse contendunt. Hanc tenet Alarcon tract. 5. disp. 5. Quartò sunt aliqui, qui licèt concedant non posse videri formalitatem essentiæ non visa formalitate attributi; concedunt tamen, posse videri attributum sub expressione attributi, non visâ essentiâ quoad expressionem essentiæ, seu quod idem est, posse in visione intuitiva fieri præcisionem ex parte actûs, non autem ex parte objecti. Sic de la Moneda q. 12. a. 9. dub. 2.

3. Suppono secundò. Quòd licèt ad beatificæ visionis objectum non sola essentia divina, sed omnia quoque attributa, & Personæ pertineant, sola tamen essentia ut virtualiter ab omnibus aliis distincta sit objectum primarium & specificativum visionis; cætera verò non nisi objecta secundariò, vel potiùs per se secundò cognita. Quia nimirùm ratio primæ intelligibilitatis, & per se primò intel-

intellecti, convenit soli essentiæ divinæ ut ab omni attributo virtualiter distinctæ: illud autem est objectum primarium visionis beatificæ, sicuti etiam cognitionis divinæ, in quo reperitur prima ratio, intelligibilitatis: ergo sola essentia divina, ut ab omni attributo & relatione virtualiter distincta, est objectum primarium & specificativum beatificæ visionis. Major constat partim ex iis, quæ in disp. 3. a. 4. & 5. dicta sunt, ubi pro constitutivo divinæ essentiæ intelligere actualissimum & à se existens assignavimus, & ampliùs constabit ex iis, quæ in sequentibus dicentur. Visio namque beatifica est participatio increatæ intellectionis, unde illud est primarium & specificativum objectum visionis, quod est divinæ cognitionis primarium objectum: sed hoc est essentia divina, ut sic, juxta illa, quæ inferiùs dicentur; ergo etiam visionis beatificæ primarium est objectum. Quo eodem fundamento probabis, divinam essentiam sub ratione essentiæ virtualiter distinctæ esse objectum motivum, & speciem intelligibilem visionis in actu primo. His igitur suppositis ad principalis quæsiti resolutionem sit

§. II.

Prima Conclusio Thomistica.

4. CONCLUSIO I. *Divina essentia nec per absolutam potentiam videri potest intuitive & quidditative, non visis Personis vel attributis: nec una Persona, vel attributum sine altero.*

Deducitur & probatur primò ex illo præcitato textu Jo. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Ubi cùm posterior propositio sit causa & confirmatio præcedentis, iste sensus efficitur: si ego in Patre, & Pater in me est, tunc qui videt me, videt & Patrem. Cujus consequentiæ efficacia neque de absoluta potentia admittit Patrem sine Filio, & quod magis, sine essentia, ratione cujus in se existunt, videri posse.

5. Atque ita agnoverunt & deduxerunt SS. PP. præsertim D. Augustinus in ps. 85. dicens: *Patris, & Filii separari non potest visio, ubi non separatur natura & substantia.* Et 1. de Trin. c. 8. *sive ergo audiamus, ostende nobis Filium, sive audiamus, ostende nobis Patrem, tantundem valet, quia neuter sine altero potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut & ipse ait: ego & Pater unum sumus.*

6. Probant eandem veritatem tertiò expressa testimonia S. D. hîc a. 7. ad 2. Et in 2. 2. q. 2. a. 8. dicentis: *DEVS secundùm quod intelligitur in se ipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum.* Et in 3. p. q. 3. a. 3. *Impossibile est, ut circumscribatur per intellectum cognoscentem DEVM, sicuti est, aliquid à DEO, & quod aliud remaneat, quia totum, quod est in DEO, est unum, salvâ distinctione personarum.*

7. Ex quibus probatur quartò ratione. DEUS ut est in se, sic est subsistens in tribus personis, & est formaliter hoc *totum, quod habet:* sed visio intuitiva & quidditativa videt DEUM, ut est in se: ergo ipsum videt ut subsistentem in tribus personis, & secundùm hoc totum, quod habet, aut certè non erit ampliùs visio intuitiva DEI, ut est in se; si aliter videt quàm est in se.

§. III.

Altera conclusio contra tertiam sententiam.

8. CONCLUSIO II. *Implicat videri divinam essentiam cognitione intuitivâ, non quidditativâ, non visis attributis & relationibus.* Ita cum aliis Thomistis Godoyus disp. 19. §. 2.

Probatur primò. Implicat Divinam essentiam videri intuitivè, & non videri quidditativè: sed etiam per Adversarios implicat Divinam essentiam videri sine attributis quidditativè: ergo etiã implicat eandem sic videri intuitivè. Major probatur. Videri objectum intuitivè est illud videri, sicut in se, & in re est, & secundùm existentiam suam exercitam non possibilem, vel signatam: sed implicat videri divinam essentiam ut in se & in re est existentia exercitâ, quin eo ipso quidditativè videatur: ergo implicat illam videri intuitivè, quin videatur etiam quidditativè. Major constat ex distinctione cognitionis intuitivæ & abstractivæ. Minor probatur: quia existentia exercita est prædicatum quidditativum essentiale divinæ essentiæ, intrinsecè constitutivum ipsius: ergo si divina essentia videtur ut in se est secundùm suam exercitam existentiam, etiam necesse est, ut videatur quidditativè.

9. Probatur secundò. Implicat ut Divina essentia sese intellectui beato intelligibiliter communicet & manifestet ut est in se ipsa, & tamen se manifestet ac communicet inadæquatè: sed hoc fieret per visionem intuitivam præcisivè attingentem essentiam sine attributis: ergo implicat dari ejusmodi visionem Divinæ essentiæ. Minor est non ex terminis: major probatur. Divina essentia ut est in se ipsa, est actus purus simplicissimus, unissimus, *unum omnia, & omnia unum*, sed esse inadæquatum & divisum repugnat ejusmodi prædicatis, ut patet, ergo si se se inadæquatè manifestat, unit, communicat, hoc ipso non manifestat, communicat, unit, ut in se est, unde sequitur essentiam Divinam videri ut in se est, & non videri. Videri ex hypothesi, & non videri, ut in se est; nam cùm res aliter est objectivè in mente videntis, quàm sit in se ipsa, non videtur ut in se est: atqui aliter utique Divina essentia esset in mente videntis, quàm in se ipsa: ergo non videretur ut in se est. Certè hoc ipso, quòd cognoscas objectum divisum, quod in se est indivisum, jam alio modo cognoscis, ac in se est, jamque cognitio degenerat in abstractivam: Non minùs ergo cognitio dividens essentiam ab attributis abiret in abstractivam, objecto aliter se habente in mente cognoscentis, quàm sit in se ipso.

Probatur tertiò. Ubi est unica visibilitas rei, ibi implicat rem illam secundùm aliquid sui in se ipsa videri, secundùm aliud non videri: sed est unica visibilitas omnium Divinarum perfectionum; omnes quippe simplicissimè conveniunt in esse actualissimo, immaterialissimo, spiritualissimo, adeóque in esse intelligibili, ergo implicat Divinam essentiam (idem esto judicium de relationibus & attributis) secundùm aliquid sui videri, & secundùm aliquid sui non videri.

Con-

11. Confirmatur. Eò quòd se Divina essentia communicet Personis, ut in se est, implicat ipsam communicari, & non communicari omnia prædicata, quæ secum in communicabilitate conveniunt; ideóque solæ relationes & personalitates non communicantur, quia non conveniunt in communicabilitate, cùm propter oppositionem relativam sint incommunicabiles: ergo quia omnia Divina prædicata absque ulla oppositione conveniunt in visibilitate & intelligibilitate essentialiter connexa actui puro, cùm se Divina essentia intelligibiliter communicat intellectui, secum pariter omnia sua attributa, perfectiones, relationes communicat.

12. CONCLUSIO III. *Visio intuitiva DEI ut in se est, neque potest esse præcisiva ex parte actûs, quasi attingendo Divinam essentiam sub expressione essentiæ, & non sub expressione attributi.*

Sequitur hæc assertio ex fundamentis præmissis: nam videri intuitivè est objectum ita esse objectivè in mente intuentis, sicut est in se ipso: sed essentia Divina omnia sua attributa habet sibi in se formalissimè expressissimè unita neque illa vocabula expliciti impliciti, expressionis non expressionis locum habent, nisi per connotationem ad imperfectum, abstractivum & inadæquatum modum concipiendi: ergo nisi omnia attributa, perfectiones, personalitates sub sua expressione videantur: videbitur Divina essentia ex hypothesi intuitivè, ut in se est; & non sic videbitur, quia erit cognitio diminuta, inadæquata, abstractiva, aliter repræsentans objectum ac in se est.

Accedit, quòd in veriori sententia nunquam fiat præcisio ex parte actûs, quin fiat præcisio etiam ex parte objecti; si enim nihil in objecto præscinditur, quâ ratione actus dicitur præscindere? Sed objectum præscindi & videri, ut in se & in re est, implicat; ergo etiam implicat in visione essentiæ divinæ, ut in se est, fieri præcisionem ex parte actûs.

§. IV.
Ponuntur objectiones.

Multa sunt, quæ contrariarum opinionum Authores adversùs nostras assertiones adglomerant: Illa velut in duas turmas dispositа, in campum educimus.

13. Opponunt igitur. Nec est implicantia ex parte DEI, nec ex parte visionis, ut per ipsam attingatur unum prædicatum vel perfectio divina, præmissâ alterâ: ergo potest dari visio, quæ non attingat omnia prædicata formaliter identificata in DEO. Antecedentis primum membrum probatur primò. Potest objectum primarium videri sine secundario, & absolutum sine respectivo; sed essentia divina est objectum primarium specificativum visionis, & est perfectio absoluta; dum contrà Personæ & attributa tantummodò constituunt objectum secundarium; & illæ quidem sunt relativæ: ergo nil impedit, quin possit Divina essentia videri sine Personis & attributis.

14. Probatur secundò. Objectum visionis intuitivæ DEI prioritate naturæ antevertit notitiam Personarum: ergo potest intuitivè videri nondum habitâ notitiâ Personarum. Antecedens probatur.

In priori originis, quo Pater æternus generat Filium, jam intelligitur beatus cognitione suæ essentiæ & non cognitione Filii, vel Spiritûs S. siquidem pro illo priori nec Filius, nec Spiritus S. intelliguntur producti: ergo potest dari visio Divinæ essentiæ non terminata ad omnes Personas.

15. Probatur tertiò. Divina natura potest communicari, ut in se est, non tamen communicatâ personalitate secum intimè identificatâ: ergo poterit etiam videri divina essentia non viâ Personâ. Rursus. Potest una Persona ut in se est terminare naturam humanam, non terminante alterâ, uti factum in Incarnatione Verbi Divini: ergo non sequitur, si una Persona terminat cognitionem ut in se est, quòd etiam altera Persona vel natura debeant eandem terminare.

16. Probatur quartò. Tametsi habitudines Divinæ Omnipotentiæ ad creaturas possibiles sint formaliter in DEO, tamen non omnes videntur ab intellectu Beati, ut habet communis sententia: ergo nec alia prædicata formaliter identificata cum Divina essentia necesse est attingi per visionem ejusdem Divinæ essentiæ.

17. Probat. quintò de la Moneda. Nulla est repugnantia, ut Divina essentia exercens munus speciei & formæ intelligibilis uniatur intellectui sub conceptu essentiæ & non sub conceptu omnipotentiæ, v. g. ergo nulla quoque est repugnantia, ut videatur divina essentia sub expresso conceptu essentiæ, quin videatur sub expresso conceptu omnipotentiæ. Consequentiam admittimus, quia eo modo intellectus DEUM videt, quo modo determinatur per speciem impressam; ergo si Divina essentia sub expresso conceptu essentiæ se se uniat & manifestet intellectui videntis, non sub expresso conceptu Omnipotentiæ, hoc & non alio modo videbit essentiam. Antecedens verò probatur: DEUS liberè unit intellectui suam essentiam in ratione formæ per se intelligibilis, cùm sit ipsius effectus ad extra: ergo sicut illam potest pro suo libitu unire, vel non unire; ita potest unire sub conceptu essentiæ, non sub conceptu Omnipotentiæ.

18. Altera quoque pars Antecedentis in objectione posita, quòd nulla sit repugnantia ex parte visionis, Probatur primò. Licet superior Angelus intuitivè & quidditativè cognoscat inferiorem Angelum, tamen non cognoscit intuitivè ipsius potentiam obedientialem, quæ cum substantia visa identificatur; ergo non repugnat, aliquid intuitivè videri, quin videantur omnia prædicata formaliter identificata cum illo.

19. Probatur secundò. Tametsi visio corporea sit intuitiva, non tamen attingit omnia prædicata identificata cum colore v. g. rationem qualitatis, accidentis &c. imò potest dari tam debilis visio, quæ ne quidem discernat specificam diversitatem colorum; ergo non est de ratione intuitivæ visionis, ut attingat omnia prædicata formaliter identificata cum objecto.

§. V. So-

§. V.

Solutiones objectionum.

20. Respondeo igitur: Esse utrinque implicantiam tam ex parte objecti, quàm ex parte actûs: ex parte objecti, quia essentia divina unitur intellectui Beati per modum speciei intelligibilis, eúmque determinat ad sui visionem, ut in se est, adeóque ut species adæquata & quidditativa sui ipsius: unde non potest aliquid abscondere sibi formaliter identificatum, & connexum in esse intelligibili & manifestabili. Ex parte visionis quoque implicantia est, quia esset ex hypothesi visio, & tamen eo ipso, quòd aliquam formam & perfectionem divinam præscinderet, vel absconderet, non esset visio, non enim attingeret DEUM, sicuti est, dum non videret aliquid formaliter pertinens ad ipsum esse & quidditatem DEI.

21. Ad primam probationem. Resp. Potest objectum primarium videri sine secundario, quod est propriè secundarium, materiale & extraneum primario, concedo, quod est minùs propriè secundarium, & de essentia primarii, nego. Rursus: absolutum, quod non formaliter identificatur cum relativo, potest videri sine relativo, conc. secus, nego. At constat ex dictis, attributa Divina & relationes tam realiter quàm formaliter includi in Divina essentia.

22. Ad 2. inprimis Resp. Argumentum nimis probare: quia primò probat etiam de facto visionem Divinæ essentiæ esse præcisivam à cognitione Personarum: siquidem prioritas originis, in qua se fundant Adversarii, de facto datur. Secundò probat, quòd etiam comprehensiva & non tantùm beatifica visio ad solam essentiam terminari posset, non inclusis Personis, nam pro illo priori originis Pater æternus habet comprehensivam cognitionem suæ essentiæ.

Resp. 2. negando antec. ejúsque probationem: quia cum illâ prioritas non sit prioritas *in quo* sed *à quo*, seu potiùs ordo originis, idcirco in & pro eodem priori, quo Pater generat Filium, eundem etiam intelligit à se adeóque pro posteriori originis genitum.

23. Ad 3. Resp. Disparitatem esse, quòd Personæ habeant incapacitatem tam activæ, quàm passivæ communicationis propter oppositionem relativam: at verò in esse intelligibili & visibili nullam habent oppositionem, imò sicut in ratione actûs puri, ita etiam in ratione objecti intuitivè visibilis simplicissimè conveniunt: unde intuitivè visâ essentiâ etiam Personas videri necesse est.

Ad illud, quod additur de terminatione & assumptione naturæ humanæ, similis est responsio: nimirum Persona assumit & terminat naturam alienam secundùm rationem subsistentiæ & hypostasis incommunicabilis, in qua ab altera Persona realiter distinguitur, ideóque potest una sola Persona terminare naturam humanam, non terminante alterâ: visio verò fit secundùm rationem actûs puri manifestabilis, ut est in se ipso; in qua nulla est distinctio, sed simplicissima convenientia personarum.

24. Ad 4. Resp. Illas habitudines seu potiùs terminationes & connexiones Divinæ omnipotentiæ, quantùm ad id, quod dicunt in recto, omnes videri à Beatis, sic enim sunt ipsa Divina omnipotentia, & ne quidem virtualiter ab illa, vel inter se distinguuntur; quantum ad id verò, quod important in obliquo, nempe creatos effectus, non omnes videntur, ut sic enim non sunt formaliter, sed eminenter in DEO: & quia denominationem ut plurium non accipiunt nisi ex plurificatione illorum effectuum, ideo prout plures, vel pauciores ejusmodi effectus videntur, sic plures etiam particulares terminationes & connexiones Divinæ omnipotentiæ videntur.

25. Ad 5. Resp. Antecedens verificari tantùm per ordinem ad imperfectum & præcisivum modum cognoscendi, quo nempe inadæquatis conceptibus Divinas perfectiones attingimus & per metaphysicas abstractiones ad unicem comparamus: sic enim verum est, quòd essentia divina ut substans nostro inadæquato modo cognoscendi exceat munus speciei intelligibilis, & uniatur intellectui beati sub ratione essentiæ, non sub ratione & conceptu omnipotentiæ; imò voces ipsæ *conceptus*, *ratio &c.* præcisivas intellectûs nostri reduplicationes designant: quæ omnia per ordinem ad intuitivam inspectionem Divinæ essentiæ nullo modo subsistunt.

Resp. secundò. Essentia Divina unitur intellectui sub ratione & conceptu essentiæ, non sub ratione omnipotentiæ, in ratione objecti intelligibilis adæquati, ut in se est, nego majorem, in ratione objecti purè motivi vel terminativi per se primò, concedo majorem. Ratio est, quòd essentia ut physicè in se est, complectitur omnia prædicata formaliter contenta tam primaria, quàm secundaria; quippe quæ omnia secum conveniunt in esse actûs puri summè intelligibilis. Essentia verò, prout ratione distincta cum fundamento in re, sic exprimit rationem formæ per se primò & ratione sui intelligibilis: in quâ ratione non omnes perfectiones Divinæ (putà attributales & relativæ) conveniunt.

26. Ad probationem ulteriorem antecedentis negoz. consequentiam: quæ si valeret, sanè ex scriptura attestante, quòd *videbimus eum sicuti est*, inefficaciter intulisset Florentinum, *animas, quibus nihil purgandum supereſt, intueri clarè DEUM Trinum & unum:* Semper enim daretur locus dubitandi, an, cùm DEUS liberè se videndum præbeat, non fortè relativas perfectiones & personalitates velit esse absconditas. Multa igitur DEUS liberè vult & ponit, quæ tamen si velit, jam ex hypothesi aliter velle & ponere non potest, quàm ipsorum permittit essentia, quæ tantùm est necessitas consequens & hypothetica, Divino dominio & libertati nequaquam præjudicans, ut innumeris patet exemplis.

Sic igitur liberè Divina essentia se se unit & manifestat mentibus Beatorum: si tamen velit se unire & manifestare intuitivè, oportet ut manifestet etiam quidditativè, & ut in se est: hoc quippe est prædicatum essentiale cognitionis intuitivæ; & aliàs potiùs sese manifestaret aliter ac in se est, quod visioni repugnat.

27. Nunc ad argumenta, quibus oppugnatur impossibilitas ex parte ipsius visionis. Et ad primum Resp. primò, argumentum nimis probare: probat quippe etiam comprehensivam cognitionem

tem præscindere, siquidem Angelus superior inferiorem non tantùm quidditativè, sed etiam comprehensivè cognoscit. Resp. secundò: disparitatem esse, quòd potentia obedientialis non conveniat cum substantia Angeli in eadem ratione & ordine cognoscibilis; cùm potentia obedientialis sit saltem connotativè vel connexivè supernaturalis: substantia verò Angeli pertineat ad ordinem naturalem. Atqui Divinæ perfectiones & relationes cadunt sub eundem ordinem & rationem cognoscibilitatis supernaturalis.

28. Ad alterum eadem est solutio: nam ratio generica coloris, qualitatis, &c non cadit sub rationem & ordinem cognoscibilitatis sensibilis, ad quam oculus corporeus suâpte naturâ restringitur; sed ad ordinem intelligibilem, qui gradus metaphysicos & essentias rerum contuetur.

Et ad additamentum Resp. Imperfectionem visionis corporeæ contingere ex imperfectione speciei, quæ ab objecto producta illud non nisi sub certa distantia repræsentat, atqui in visione DEI non datur alia forma intuitivè repræsentans, quàm ipsa essentia DEI, cum qua & in qua, sub eadem ratione repræsentabilis per speciem increatam, omnes divinæ perfectiones conveniunt.

Unde si in forma opponas: Potest oculus corporeus in objecto distante attingere rationem lucidi & colorati, quin attingat specificam rationem albi, vel nigri, quantumvis album & nigrum conveniant sub una ratione visibilis: ergo poterit visio intellectualis attingere expressam rationem essentiæ, v. g. non attingendo expressam rationem omnipotentiæ, tametsi conveniant in ratione visibilis intellectualis. Resp. distinguendo suppositum antecedentis, quantumvis conveniant in ratione visibilis absolutè, concedo. in ratione visibilis per speciem ab objecto immissam & limitatam ad repræsentationem objecti sub certa distantia, & dependenter à medio deferente, sic nego. ex quo jam patet ratio diversitatis.

ARTICULUS II.

An, & quomodo creaturæ videantur in DEO.

SUMMARIA.

1. *Videntur creaturæ in DEO.*
2. *Duplex modus videndi in DEO, causaliter & formaliter.*
3. *Creaturæ videntur etiam formaliter in DEO.*
4. *Ratio desumpta ex continentia creaturarum.*
5. *An connexio DEI cum creaturis inferat imperfectionem?*
6. *An non sequatur creaturas esse ens tam necessarium, quàm DEUS?*
7. *Sequitur implicante creaturâ implicare DEVM, non illative a priori, sed consecutive.*
8. *Quod arguit perfectionem, non imperfectionem.*
9. *Videntur creaturæ in DEO ut medio cognito.*
10. *Cùm visio creata sit participatio increatæ visionis.*
11. *Et quia videntur in DEO sicut in causa.*
12. *Habente connexionem cum creaturis.*
13. *Medium cognitum non repugnat visioni objecti ut in se est.*
14. *Essentia Divina creaturas repræsentat ad modum actûs puri subjectivè, non objectivè.*
15. *Idem medium diversimode applicatum, non repræsentat idem.*
16. *Datur ratio, cur Divina essentia aliquas non omnes creaturas repræsentet.*
17. *Proxima radix videndi plures creaturas possibiles est lumen gloriæ.*
18. *Proxima radix videndi creaturas actuales est libera DEI ordinatio.*
19. *Intellectus diversa ratione ab essentia Divina determinatur ad videnda, quæ sunt formaliter, & quæ sunt eminenter in DEO.*
20. *Aliqua ratio videndi hæc potiùs, quàm illa possibilia est eorundem perfectio.*

§. I.

Creaturæ formaliter videntur in DEO.

NOtandum primò. De facto aliquas creaturas à Beatis videri. & constat primò ex Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te DEVM ve-*

rum, & quem misisti JESVM Christum: in Christo autem est humanitas creata. Constat secundò ex definitione Concilii Senonensis & Tridentini, quòd sancti pro nobis orent, nostras orationes, necessitates, item mysteria gratiæ hîc obscurè credita cognoscant. Constat tertiò ex communi Theologorum, quòd ad felicitatem Beatorum pertineat se invicem cognoscere, & ea quæ ad proprii statûs perfectionem pertinent. Quæstio igitur est, quo modo illa cognoscant. Ubi

Notandum secundò. Duplici modo posse intelligi, quòd aliquæ creaturæ ex vi beatificæ visionis à beatis videantur: primò *causaliter*, secundò *formaliter*. Causaliter videntur, si visio beatifica est causa, ut ipsius intuitu Beatis per distinctam cognitionem & revelationem extra visionem divinæ essentiæ aliquæ creaturæ manifestentur: formaliter videntur, si creaturæ ipso actu visionis in divina essentia conspiciuntur. 2.

Cæterùm hoc rursus dupliciter potest intelligi, vel quòd divina essentia repræsentet creaturas per modum speciei intelligibilis, & medii incogniti, quo modo repræsentat se ipsam, vel per modum speculi, & medii cogniti, quo modo effectus videtur in causa, exemplatum in exemplari, ideatum in idea. Nullas creaturas neque possibiles neque actuales videri in Divina essentia, tanquam medio priùs cognito, est sententia Vasquii, cui adhærent Alarcon & Becanus: videri creaturas possibiles hoc modo, non autem actuales, Durandus censuit, quem sequitur Herice 3. disp. 51. & 52. Tam de possibilibus, quàm de actualibus affirmat S. Doctor in præsenti a. 8. & 9. sit igitur. 3.

CONCLUSIO I. *Creaturæ tam actuales, quàm possibiles ex vi beatificæ visionis non tantùm causaliter, sed formaliter & secundum esse suum proprium & formale videntur in DEO.* Ita S. D. loco cit. & infra. q. 58. a. 7. de Angelis loquens: *Non enim videndo Verbum,*

cognoscunt solum illud esse rerum, quod habent in Verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura.

Probatur primò authoritate. Nam SS. P.P. passim docent creaturas in Verbo videri, sicut in speculo, ideóque D. August. cognitionem creaturarum, quam habent Beati, distinxit in *matutinam & vespertinam*: quarum illa sit nobilior & clarior cognitio creaturarum in Verbo clarè viso: ista *decoloratior* & ignobilior cognitio earundem extra Verbum & visionem essentiæ divinæ. Concilium quoque Senonense decreto 13. expressè dicit: *Beatis pervium esse divinitatis speculum, in quo quicquid illorum interfit, elucescat:*

Quæ verba secundùm proprietatem sensûs non possunt facere sensum causalem: quis enim rectè dixerit, beatos in suis meritis videre DEUM & creaturas, eò quòd merita sint motivum causale, propter quod Beati vident DEUM & creaturas? consequenter si essentia clarè visa tantùm foret motivum causale videndi creaturas, pariter non posset dici, Beatos in divina essentia, sed propter divinam essentiam videre creaturas.

4. Probatur secundò ratione. Divina essentia est medium idoneum repræsentandi creaturas, idque facit ad majorem perfectionem visionis, nec est assignabilis ulla implicantia: ergo Beati vident formaliter creaturas in DEO. Antecedens quo ad 3. p. ex solutione objectionum patebit. quoad 1. p. probatur primò: quia effectus videri potest in causa & conclusio in principiis: sed omnes creaturæ perfectiùs continentur in divina essentia, quàm ulli effectus in sua causa: ergo in essentia divina creaturæ idoneè videri possunt. Secundò, quia DEUS creaturas non per aliud medium videt, quàm per suammet essentiam, ut sequenti disputatione dicemus. ergo etiam Beati hoc modo vident; siquidem visio beatorum est participatio divinæ scientiæ.

Ex quo antecedens etiam probatur quoad 2. p. quia quod pertinet ad perfectionem divinæ scientiæ, etiam pertinet ad perfectionem visionis, quæ est participatio illius: sed videre creaturas in sua essentia pertinet ad perfectionem divinæ scientiæ: ergo etiam pertinet, & conducit ad perfectionem visionis, maximè quia perfectio cognitionis derivatur à perfectione medii, per quod videtur objectum: sed nullum potest esse medium perfectius, quàm divina essentia, ergo.

5. Objicies. Si creaturæ possibiles formaliter videntur in divina essentia, videntur propter necessariam connexionem divinæ essentiæ cum creaturis possibilibus, sed hoc diceret in DEO magnam imperfectionem: ergo formaliter in divina essentia videri non possunt. Minor probatur. Si divina essentia habet connexionem necessariam cum creaturis possibilibus, tunc sequitur, quòd implicante creaturâ etiam implicaret DEUS, sed hoc dicit imperfectionem: quia utique est perfectius, ut DEUS non implicet, etiam implicante creaturâ, quàm ut implicet implicante creaturâ: hoc enim videtur arguere dependentiam divinæ omnipotentiæ, à possibilitate creaturarum.

6. Confirm. primò. Si DEUS haberet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus, creaturæ possibiles essent ens æquè necessarium, quàm divina omnipotentia, & DEUS ipse: quia sicut implicante DEO implicarent creaturæ; ita implicante possibilitate creaturarum implicaret DEUS. Imò secundò. Si una musca redderetur impossibilis, DEUS non esset omnipotens. Ac tertiò. DEUS ad sui existentiam indigeret possibilitate creaturarum, quæ omnia dicunt magnam imperfectionem.

Resp. Creaturæ videntur in divina essentia propter hujus connexionem cum creaturis, quæ sit connexio eminentialis & causalis continentiæ, conc. alicujus dependentiæ, nego. Et ad prob. min. dist. seq. majoris. Sequitur implicante creaturâ implicare DEUM consecutivè, à posteriori, & (ut vocant) per locum extrinsecum conc. formaliter à priori & per locum intrinsecum, nego. non enim divina omnipotentia in possibilitate, sed possibilitas creaturarum fundatur in omnipotentia DEI. Et sic tam parum potest DEUS mutare possibilitatem creaturarum, quàm parum potest abdicare suam omnipotentiam: ex qua denominatio entis possibilis derivatur. 7.

Neque hoc arguit imperfectionem, sed infinitam perfectionem, & immutabilitatem DEI. Unde falsum est, quòd sit major perfectio DEUM non implicare implicante creaturâ: falsû quoq; est, quòd creaturæ possibiles essent ens æquè necessarium, quia illa possibilitatis necessitas esset ab alio, & dependenter ab omni potentia DEI: necessitas verò omnipotentiæ est à se independenter à creatura: & sic patet responsio ad 1. & 2. Confirmationem. Ad 3. Resp. DEUS indigeret possibilitate creaturarum, si per ly *indigere* nil aliud velis, quàm connotationem & exigentiam hujus termini extrinseci, conc. si velis exigentiam intrinseci complementi, sic nego: ista indigentia dicit, illa non dicit imperfectionem. 8.

§. II.

Creaturæ videntur in DEO, ut medio cognito.

CONCLUSIO II. *Beati vident creaturas in divina essentia non tanquam in medio incognito repræsentante creaturas instar speciei intelligibilis; sed tanquam in medio cognito, quæ illas sub ratione ideæ ut ideata, sub ratione omnipotentiæ, ut effectus, sub ratione artis, ut artefacta repræsentat.* Ita communis Thomistarum. 9.

Probatur primò. Visio beatifica est participatio illius visionis & scientiæ, quâ DEUS creaturas in se ipso videt, sed videt illas in se ipso, tanquam in causa: ergo etiam Beati vident creaturas in DEO tanquam in causa: Minoris notitiam & probationem dabit sequens disputatio. 10.

Probatur secundò. Qui videt objectum in alio tanquam in causa, videt illud tanquam in medio cognito, sed Beati vident creaturas in DEO, *sicut in causa*: ergo vident sicut in medio cognito. Major est clara. Minor, quæ est S. Doct. probatur. Eo modo Beati vident creaturas in DEO, quo modo in illo continentur; sed creaturæ secundùm esse suum formale & ultimas differentias continentur in DEO sicut in causa, arte, idea, per quam factæ sunt; ergo in illo etiam videntur tanquam in causa: unde S. August. loc. cit. dicit videri creaturas in Verbo, *tanquam in eo, per quod facta sunt omnia.* Et 11. de Civ. c. 7. *Cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, quam cùm in DEI sapientia cognoscitur, velut in arte, quâ facta est.* 11.

& D.

& D. Bernard. 5. de considerat. *videt* (Beatus) *Verbum, & in Verbo facta per Verbum.*

12. Confirm. Causa perfectè continens effectum, & cum ipso connexa sufficienter ducit in cognitionem ipsius, sed DEUS est causa perfectissimè continens omne esse creatum, & habet cum iis connexionem necessariam, si sunt possibiles; liberam, si actuales. ergo ipse cognitus sufficienter ducit in cognitionem effectûs.

13. Objicies primò. Quæ cognoscuntur in aliquo tanquam medio cognito, non videntur clarè & intuitivè, & secundùm esse proprium: atqui creaturæ à Beatis clarè & intuitivè videntur secundùm esse proprium ipsarum: ergo non videntur in divina essentia ceu medio cognito. Major probatur: Clara & distincta repræsentatio objecti fit per propias species: sed medium cognitum non est propria species objecti: ergo per illud non fit clara & distincta repræsentatio secundùm esse proprium ipsius.

Resp. nego maj. & probationem dist. Clara & distincta repræsentatio fit per proprias species, quando medium non eminenter continet perfectionem & claritatem propriæ speciei, conc. quando eminenter continet, nego. atqui essentia divina eminenter continet omnem claritatem propriæ speciei.

14. Objicies secundò. Quidquid essentia Divina repræsentat, illud repræsentat ad modum actûs puri; sed creaturæ secundùm esse proprium formale, sunt aliquid potentiale, quod non potest repræsentari ad modum actûs puri; ergo secundùm esse suum proprium & formale à Divina essentia repræsentari non possunt.

Resp. disting. maj. repræsentat admodum actûs puri subjectivè, & ex parte cognitionis, conc. objectivè, & ex parte rei repræsentatæ. nego. Et pariter distinctâ min. nego conseq.

15. Objicies tertiò. Viso eodem medio semper videtur idem: sed beati non vident easdem creaturas per visionem beatificam: aliàs tolleretur extrinseca inæqualitas visionis. ergo non possunt habere pro medio videndi creaturas unam eandémque essentiam divinam.

Resp. Viso eodem medio, & eodem modo applicato, videtur idem, concedo; viso eodem medio diverso modo applicato, videtur idem, nego maj. ergo beati non habent pro medio eodem essentiam divinam ut eodem modo applicatam, conc. ut diverso modo applicatam, nego consequentiam. Nam pro diversitate luminis gloriæ tanquam dispositionis, etiam divina essentia unum intellectum perfectiùs quàm alterum ad sui visionem determinat.

16. Objicies quartò. Si divina essentia ratione continentiæ & connexionis cum creaturis illas repræsentat ut medium cognitum, non est major ratio, cur aliquas potiùs, quàm omnes repræsentet, siquidem non tantùm habet necessariam connexionem cum aliquibus, nec tantùm cum omnibus in communi, sed etiam in particulari.

Respondeo negando sequelam: quia licèt continentia creaturarum sit ratio manifestandi creaturas, quia tamen divina essentia unitur & communicatur juxta proportionem luminis gloriæ, inde fit, quòd intellectum perfectiùs dispositum determinet ad majorem penetrationem suæ essentiæ, & consequenter majoris extensionis & connexionis cum creaturis possibilibus, sicuti intellectus principia perfectiùs penetrans, in ipsis plures videt conclusiones. Pro quorum clariori notitia sit.

§. III.

Corollaria ex dictis.

COlliges primò. Quamvis remota radix perfectiùs videndi DEUM, & plures possibiles creaturas in DEO sint merita Beati: siquidem visio est præmium essentiale, quod correspondet quantitati meritorum: proximam tamen radicem esse perfectius lumen gloriæ, & perfectiorem unionem essentiæ divinæ cum intellectu videntis DEUM. Nam tantò plures effectus videntur in causa, quantò perfectiùs virtus causæ penetratur: sed quantò perfectiùs divina essentia unitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, tantò perfectiùs penetratur ipsius causativa virtus, secundùm quam continet & repræsentat creaturas; hæc ipsa porro perfectior unio fit secundùm proportionem perfectioris dispositionis luminis gloriæ: ergo quantò perfectius est lumen gloriæ, & unio divinæ essentiæ cum intellectu Beati, tantò plures creaturæ possibiles videntur in DEO. Dixi possibiles: nam 17.

Colliges secundò. Proximam radicem videndi creaturas actuales plures vel pauciores, esse liberam DEI ordinationem, volentis & consentientis, ut suæ voluntatis & omnipotentiæ terminationes ad extrinseca objecta plures, vel pauciores intellectui videntis innotescant. Non enim alia ratione divina essentia repræsentat creaturas, nisi quatenus habet connexionem ad illas; sed ad actuales creaturas, quatenus aliquando existentes vel exstituras non habet connexionem, nisi ex determinatione liberi decreti: ergo illas non nisi in vi sui liberi decreti manifestat: atqui decreta libera non manifestantur, nisi per liberam DEI ordinationem, quemadmodum & secreta cordium inter homines & angelos mutuò manifestantur: ergo ratione illius liberæ ordinationis DEUS plures vel pauciores creaturas manifestat, ideóque respectu illarum speculum liberum & voluntarium appellatur. 18.

Colliges tertiò. Non eâdem prorsus ratione intellectum Beati per essentiam divinam determinari ad visionem eorum, quæ sunt in ipsa formaliter: & quæ sunt eminenter. Nam ad visionem personarum & perfectionum divinarum essentia determinat intellectum tanquam species intelligibilis & medium quo, quia se & sua repræsentat tanquam formaliter secum eadem in ratione actûs puri & intelligibilis per essentiam, creaturas verò propter causalem & eminentialem continentiam: unde ad creaturarũ visionem determinat per modum speculi & medii in quo. ideóque visio divinæ essentiæ ejúsque attributorum est immediata, visio verò creaturam est mediata; non quasi mediatio sit ex parte actuum; uno quippe actu visionis formaliter tam essentia divina, quam creaturæ videntur in essentia, sed ex parte objecti: quia per actum visionis per se primò essentia, ratione verò 19.

essentiæ tanquam causæ præcognitæ & eminenter continentis, creaturæ quoque possibiles & actuales videntur.

20. Colliges quartò. Quòd istæ potiùs, quàm illæ creaturæ possibiles in DEO videantur, rationem aliquo modo peti debere ex ipsis creaturis possibilibus, quarum aliquæ, quia in essendo & modo essendi sunt aliis perfectiores, sublimiori activitate & virtute ad sui productionem indigent: sicque intra sinum divinæ omnipotentiæ & essentiæ magis reconditæ latent, quæ proinde ut ab intellectu videntis penetrentur, perfectius lumen gloriæ requirunt. Quod exponens S. D. q. 8. d. Ver. a. 4. ad 12. *Cognitâ causâ*, inquit, *in promptu est, ut aliqui effectus cognoscantur in ipsa, aliqui verò magis lateant; sicut patet, quòd ex principiis demonstrationis statim aliquæ conclusiones eliciantur, quædam verò non nisi per multa media, &c. Similiter est etiam cognitio rationum intelligibilium de effectibus respectu essentiæ divinæ.*

ARTICULUS III.

Quænam creaturæ de facto videantur aut videri possint in DEO?

SUMMARIA.

1. *Necesse est videri possibilia in communi.*
2. *Visio ut beatificans debet repræsentare creaturam in particulari.*
3. *Absolutè potest dari visio DEI sine visione creaturæ in particulari.*
4. *Non est major ratio, cur possit dari non visis aliquibus, quàm non visis omnibus.*
5. *Creaturæ possibiles formaliter terminant omnipotentiam sub ratione producibilis ex nihilo.*
6. *Non obest visioni confusa repræsentatio objecti secundarii.*
7. *Ex cognitione omnium possibilium in DEO, sequeretur comprehensio Divinæ omnipotentiæ.*
8. *Variæ instantiæ contra rationem S. Th.*
9. *Anima Christi non videt terminum scientiæ visionis intensivè, sed extensivè adæquatum.*
10. *Beati vident totum terminum potentiæ generativæ in Patre, sed non totaliter.*
11. *Si in se ipsis viderentur omnia possibilia, videretur terminus Divinæ omnipotentiæ materialiter, non formaliter.*
12. *Omnia possibilia collectivè adæquarent Divinam omnipotentiam.*
13. *Non omnia libera decreta possunt terminativè videri à beatis.*
14. *Possunt omnes creaturæ actuales videri.*
15. *Videntur à sola anima Christi.*
16. *Cognoscunt Beati omnia mysteria fidei.*
17. *Item species universi & quæ ad statum pertinent.*
18. *Ideo Christus videt omnia objecta Divinæ scientiæ visionis, &c.*
19. *Videntur hæc simul & ab initio beatitudinis.*
20. *Exponitur locus Dan. c. 10.*
21. *Tripliciter datur nomen de DEO.*
22. *DEUS à creaturis duobus modis nominari potest.*
23. *Cur Beati possint formare de DEO nomen & non verbum?*

§. I.

An Divina essentia videri possit sine aliqua creatura in particulari?

1. SUppono primò. Non posse videri Divinam essentiam, quin videantur saltem creaturæ possibiles in communi: neque enim distinctè videri potest divina omnipotentia, nisi videatur objectum & terminus formalis ipsius: sed hoc sunt creaturæ possibiles in communi. ergo.

2. Suppono secundò. Non posse dari visionem beatificam divinæ essentiæ, quæ nullam videat creaturam actualem etiam in particulari. Ratio est, quòd, ut ex instituto dicetur in Tract. de Act. hum. visio divinæ essentiæ quatenus beatificans debeat videntem formaliter certificare de sui perpetuitate & inamissibilitate: atqui hoc non faceret, nisi se ipsam ut perpetuandam vi divini decreti videret in divina essentia: ergo se ipsam videt, estque virtualiter reflexa in se ipsam: & consequenter videt creaturam actualem. Dixi tamen *visioni quà beatificanti* hoc competere: quia istud prædicatum non convenit ipsi essentialiter ut visio, sed ut est beatifica: prout loco cit. dicetur. His suppositis sit

CONCLUSIO I. *Potest absolutè videri divina essentia non visâ aliquâ creaturâ possibili vel actuali in particulari.* Ita communiter Thomistæ cum S. D. a. 8. ad 4. ubi refert testimonium S. Augustini l. 1. confess. c. 4. *Infelix homo, qui scit omnia (scilicet creaturas) te autem nescit: beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò te & illa novit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus.*

Ratio est primò. Ut intuitivè videatur aliqua causa, & virtus eminenter continens effectum, sufficit, ut terminus & objectum videatur secundùm rationem formalem: sic enim potentia visiva quidditativè cognoscitur, cognito colore in communi, tanquam termino formali ipsius, & principia demonstrativa clarè videri possunt non cognitâ conclusione, quæ virtualiter continetur in ipsis: atqui particularitas creaturarum sive possibilium sive actualium non pertinet ad formalem, sed materialem tantùm rationem & exercitium divinæ causalitatis & omnipotentiæ: ergo essentia divina ejúsque omnipotentia clarè videri possunt, non visa aliquâ creaturâ in particulari.

Ratio est secundò. Divina essentia videri potest, & de facto videtur à beatis sine multis creaturis in particulari: ergo etiam videri potest sine omnibus. Antecedens constat ex §. seq. Consequentia probatur: Divina essentia in repræsentando tam est independens & absoluta ab una creatura, quàm ab altera: ergo si videri potest sine

sine aliquibus in particulari, non est ratio, cur non pariter videri possit sine omnibus.

5. Objicies primò. In tantùm creaturæ possibiles videntur in DEO, in quantùm DEUS illas eminenter continet, & habet necessariam connexionem cum illis: sed DEUS continet eminenter non tantùm creaturas possibiles in communi, sed etiam in particulari, & habet necessariam connexionem cum illis: si enim vel una creatura existens fieret impossibilis, tolleretur divina omnipotentia: ergo etiam est necesse, ut creaturæ possibiles in particulari videantur in DEO.

Resp. Videntur creaturæ in DEO, in quantum habent connexionem & continentiam sub aliqua ratione formali, nempe producibilitate ex nihilo, conc. secundùm rationem materialem, qualis est particularitas effectûs pertinens ad exercitium potiùs quàm ad virtutem creandi, nego. Tametsi enim etiam secundùm hanc extensionem materialem creaturæ videri possint & videantur in DEO, tamen omnipotentia sufficienter videri posset, non visâ ejusmodi ratione & extensione materiali.

6. Objicies secundò. Si essentia divina creaturas possibiles tantùm in communi repræsentaret, tunc illas confusè repræsentaret, sed hoc est contra perfectionem tam divinæ essentiæ, quàm visionis, quæ quicquid videt, clarè videt.

Resp. dist. maj. confusè repræsentaret, confusione sibi intrinsecâ, & ortâ ex defectu divinæ essentiæ, nego. extrinsecâ & ortâ ex imperfecta dispositione videntis, conc. Nec est contra perfectionem visionis, si objectum aliquod materiale confusè percipiat, dummodò primarium, quod est essentia divina, clarè perspiciat.

§. II.

An omnes creaturæ possibiles videri possint in DEO?

7. Adhanc quæstionem præcedenti è diametro oppositam responsio & CONCLUSIO secunda est *negativa*, quam habet S. D. hîc a. 8. & 3. contra gentes. c. 56. Ratio ipsius est: Si viderentur in divina essentia omnes creaturæ possibiles, comprehenderetur divina essentia & omnipotentia: sed hoc implicat. ergo. Sequela probatur: quando in virtute ipsius causæ videntur omnes effectus, & termini possibiles ipsius, tunc comprehenditur ipsa causa: sed creaturæ viderentur in divina essentia, tanquam in causa; ergo si omnes possibiles viderentur, comprehenderetur ipsa divina essentia. Major rursus probatur: illud comprehenditur, quod cognoscitur, in quantum est cognoscibile; Sed si causa cognoscitur secundùm omnem suam productionem, omnesque habitudines, quas habet ad quoscunque terminos & effectus producibiles, cognoscitur in quantum est cognoscibilis: ergo comprehenditur.

8. Objicies. Non sequitur, quòd viso termino adæquato Divinæ omnipotentiæ Beati videant eandem omnipotentiam in quantum est intensivè visibilis, sed ad summum, in quantum est extensivè visibilis: ergo non sequitur, quòd illam intensivè comprehendant.

Antecedens probatur primò. In sententia probabilissima anima Christi videt adæquatum objectum scientiæ divinæ visionis, nec tamen sequitur, quòd eandem intensivè comprehendat. Secundò. Beati vident adæquatum terminum Divinæ generationis, nempe Filium, sicut & adæquatum terminum virtutis spirativæ, nempe Spiritum S. nec tamen sequitur, quòd vel generativam vel spirativam virtutem intensivè comprehendant, quia non vident illam totaliter, & in quantum est cognoscibilis. Tertiò. Si beati viderent (seu per possibile, seu per impossibile) per species infusas omnes creaturas possibiles in se ipsis, non comprehenderent Divinam essentiam: ergo neque, si videant in speculo Divinæ essentiæ. Quartò. Si etiam sive per possibile, sive impossibile producerentur omnia possibilia, tamen in essendo non adæquarent perfectionem Divinæ omnipotentiæ: ergo neque cognitio omnium possibilium adæquat perfectionem Divinæ omnipotentiæ in cognoscendo, adeóque Divina omnipotentia non comprehenditur.

Resp. nego antec. ad cujus primam instantiam 9.
est disparitas, quòd creaturæ actuales & futuræ non sint terminus intensivè, sed extensivè adæquatus increatæ scientiæ visionis: cùm scientia visionis habeat virtutem infinities plura videndi, unde tametsi anima Christi videat in Verbo omnes creaturas aliquando productas, vel producendas, non tamen eandem intensivè comprehendit. At contrà creaturæ omnes possibiles quatenus ex Divina omnipotentia fluentes sunt ejusdem terminus intensivè adæquatus, unde ex earum omnium visione sequeretur intensiva comprehensio Divinæ omnipotentiæ.

Ad 2. instantiam disparitas est, quòd licèt beati 10.
videant totum & intensivè adæquatum terminum virtutis tam generativæ, quàm spirativæ, non tamen illum vident totaliter, & secundùm omnem intensivam perfectionem suæ processionis; ideóque neutram virtutem comprehendunt. Si verò viderent in DEO omnia possibilia, omnem simul modum essendi, omnem producibilitatem, adeóque & omnem virtutis productivæ perfectionem conspicerent; adeóque eandem comprehenderent.

Ad 3. instantiam permisso antecedente nego 11.
consequentiam. Disparitas est, quòd in facta hypothesi tantùm videretur adæquatus terminus Divinæ omnipotentiæ materialiter, non autem formaliter & sub ea ratione, quâ derivatur à virtute causæ; ideo sicut omnes creaturæ possibiles in suo esse producto materialiter spectato sunt ens ab alio, limitatum, potentialitati immersum, nec proinde ad Divini esse plenitudinem pertingunt; ita etiam omnia possibilia in se ipsis cognita, non exhaurirent purissimam actualitatem & cognoscibilitatem suæ causæ. At verò in nostra hypothesi omnes creaturæ possibiles viderentur in ratione termini Divinæ omnipotentiæ formaliter, quia viderentur secundùm omnem rationem, secundùm quam è sinu Divinæ omnipotentiæ promanant.

Ad 4. Resp. Etiamsi omnia possibilia producta 12.
distributivè sumpta non adæquarent virtutem Divinæ omnipotentiæ; eandem tamen adæquarent sumpta

sumpta collectivè, & in esse producti exhaurirent virtutem productivam DEI, qua ipsa de causa eorum omnium simultanea productio implicat. Unde instantia ipsis potiùs Adversariis est solvenda.

13. Ex hactenus dictis sequitur, neque omnia libera decreta DEI ab ullo beatorum terminativè cognosci posse, suppositâ doctrinâ, quòd divina voluntas circa nullas creaturas sive futuras, sive non futuras suspensa manere, aut negativè tantùm se habere possit. Decreta enim divina terminativè cognosci nequeunt, quin terminus eorundem in obliquo connotatus cognoscatur: sed ad terminum divinorum decretorum in hac hypothesi pertinent omnia illa possibilia, quæ ad statum non futuritionis sunt divinitus relegata; ergo nisi omnia possibilia videantur (quæ videri non posse ostendimus) omnia quoque decreta in DEO videri non possunt. Dixi tamen *terminativè*, non *subjectivè*, quia cùm subjectivè accepta sint actus ipse divinæ voluntatis formaliter & necessariò in DEO existens, ab ipso attributo voluntatis divinæ virtualiter indistinctus, haud dubiè à beatis videntur in DEO.

§. III.

Quænam creaturæ actuales & quomodo à beatis videantur?

14. CErtum est primò. Posse omnes actuales creaturas in DEO videri, cùm nulla sit assignabilis implicantia, & ita de facto juxta S. D. in 3. p. q. 10. art. 2. & communem Theologorum ab anima Christi videantur. Quia ut modò dictum, non idcirco comprehenditur scientia visionis, quòd omnes illæ creaturæ videantur, quæ scientiæ visionis objiciuntur, quòd enim scientia visionis non ad alia & plura objecta se extendat, non est, quia futura adæquant virtutem scientiæ, sed quia libera DEI voluntas plura objecta è statu possibilitatis educere noluit in statum realis existentiæ, in quo solùm scientiam visionis terminant & denominant.

15. Certum est secundò de fide, à cæteris beatis non omnes creaturas actuales videri, ex illo Matth. 24. & Marci 13. ubi Christus affirmat, quòd *de ultimo die judicii nemo scit, neque Angeli in cælo.* Ac præterea, quia nulli puræ creaturæ concessum est, cognoscere omnes cogitationes & secreta cordium.

16. Cognoscunt tamen beati secundùm communem Theologorum inprimis omnia mysteria fidei, saltem quo ad substantiam: visio enim succedit fidei, tanquam terminus viæ conformiter ad illud Prophetæ: Psal. 47. *sicut audivimus, sic vidimus, &c.* & illud Apostoli 1. Cor. 13. *cùm autem venerit, quòd perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est &c.* Unde August. 20. de Civ. c. 21. dicit: *quid videbimus, nisi DEUM, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?* Dixi: *saltem quoad substantiam*, hoc est, specificam rationem mysteriorum: nam quoad omnes differentias individuales, circumstantias loci, vel temporis, singulorum quoque peculiares rationes & ordinationes, non omnia clarè cognosci ex loco scripturæ supra citato de extremo judicii die, satis constat.

Cognoscunt præterea ordinem, partes, species, naturam, virtutes & proprietates totius universi; nec non illa omnia, quæ pertinent ad cujuslibet statum, quem in hac vita gesserat, quæque personam ipsius concernunt. Quorum omnium *ratio* est, quòd visio beatifica satiet, & expleat omnem rationabilem appetitum beati: sed beati rationabiliter appetunt in primis illa clarè videre in patria, quæ obscurè crediderunt, & è quibus Theologicas conclusiones derivarunt in via: Nec non dispositionem & seriem totius universi, cujus perfecta cognitio naturæ Angelicæ est concessa: ac tandem quæ statum aut personam propriam concernunt.

Inde est, quòd, ut dictum, Christus D. omnes videat cogitationes hominum & Angelorum, & quæcunque scientiâ visionis continentur, quia nôsse hæc omnia ad ipsius statum pertinet, propter dignitatem capitis, & hypostaticæ unionis. Ideo quoque vident beati seriem & ordinem suæ prædestinationis, quia hæc maximè personam & statum beatitudinis concernit. Vident Sancti eorum preces ac constitutionem, qui se ipsorum intercessioni commendant, præcipuè SS. Angeli Custodes, quæ circa suos clientes aguntur. Videt Beatissima Virgo ceu Patrona omnium Christianorum omnium statum, necessitates, &c.

Vident, inquam, hæc omnia beati, & ab initio, suæ beatitudinis simul, absque successione vident, ut S. Doct. hîc a. 10. *Non enim* inquit S. August. l. 15. de Trin. c. 16. *erunt volubiles cogitationes nostræ, ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Etsi enim ea, quæ beati vident, non simul, sed successivè eveniant, quia tamen habent simultatem in æternitate divinæ essentiæ; ipsi quoque visio æternitate participatâ mensuratur, & per invariabilia principia regulatur, ideo non successivè, sed simul beatorum conspectui objiciuntur. Unde si quæ in tempore & successivè ab Angelis vel Beatis cognita à S. Script. referuntur, ut is. 63. & Dan. 10. non de cognitione in Verbo, sed quæ per specialem revelationem extra Verbum habetur, sunt intelligenda.

Dices: Ex decimo cap. Danielis constat fuisse pugnam inter Angelos ex eo ortam, quòd ipsis ignotum esset, quid circa clientes suæ curæ commissos Divina providentia in futurum disposuerit: ergo non subsistit, quòd beati statim ab initio suæ beatitudinis videant omnia, quæ ad suum statum pertinent.

Resp. cum communi Thomist. & Godoyo hîc disp. 21. §. 4. sufficere, quòd beati præcipuos eventus & individua ad suum statum pertinentia à principio in Verbo cognoscant, omnes autem eventus in particulari successivè & extra Verbum possunt per specialem revelationem cognoscere.

§. IV.

Nominabilitas DEI.

NOta: Triplex DEO nomen imponi posse. 1. Primum, quod ipsum comprehensivè significet. Secundum. Quod licèt non comprehensivè, tamen quidditativè, ut in se est. Tertium. Quod quidem

quidem DEUM secundùm aliquid sui propriè & subsistantialiter significet, non tamen quidditativè, ut in se est, sed abstractivè & prout subest nostris inadæquatis conceptibus. Hoc posito sit

1. CONCLUSIO. *Primò modò solus DEUS; secundò beati DEUM videntes; tertiò etiam viatores DEUM nominare possunt.* Ita S. D. hâc q. 13. a. 1. & seq.

Ratio totius conclusionis est ex Philosopho 1. d. Interp. ubi dicit, quòd nomina significent res mediante conceptu, & *voces sint notæ earum, quæ in anima sunt passionum.* Unde *secundùm quòd aliquid à nobis intellectu cognosci potest* (inquit S. D.) *sic à nobis potest nominari*, sed DEUS suâ solâ cognitione comprehendi potest: ergo etiam à se solo comprehensivè nominari. Cognoscitur autem quidditativè ut in se est, à beatis; ergo sic etiam ab ipsis nominari potest, ideóque rursus S. D. *si intellectus noster DEUM per se ipsum videret, illi posset imponere nomen unum, quod erit in patria: & ideo dicitur Zach. ult. In illâ die erit Dominus unus, & nomen ejus unum.* Tandem abstractivè & inadæquatè cognoscitur à viatoribus: ergo etiam à nobis abstractiva nomina ipsius quidditatem saltem inadæquatè exprimentia potest accipere. De quibus in superioribus abunde diximus.

Dices: Beati non possunt de DEO formare verbum: ergo nec nomen quidditativè DEUM exprimens. 23.

Resp. nego consequentiam, quia per verbum intelligitur species expressa, quæ sit adæquata & formalis similitudo ipsius, imò ipsum objectum in esse intelligibili; quod implicat ex dictis: nomen verò tantùm importat rationem signi, quod etiam salvatur absque formali similitudine in conceptione & intellectione creata, terminata ad divinam essentiam, ut in se est. Ex quibus intelliges, quo sensu DEUS non tantùm incomprehensibilis, sed etiam ineffabilis, & innominabilis à SS. PP. nominetur: nimirum innominabilis comprehensivè respectu omnis creaturæ; innominabilis quidditativè in se est respectu viatoris. Et hæc de Visione.

DISPUTATIO XI.

DE Scientia DEI in genere. Ad q. 14. D. Th.

SCientia aliquando latiori sensu accipitur pro quacunque cognitione certa & evidente; alias præsiori significatione pro *cognitione certa & evidente per causam.* Priori modo DEUM infinitè scientem, hoc est, intelligentem esse, tam respectu sui, quàm creaturarum ex fide & ratione certum est. Ex fide quidem, declaratâ Job. 12. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam*, aliisque quam plurimis locis. Ratione verò, quia de ratione actûs puri, entis à se, perfectissimi agentis, & viventis vitâ infinitè perfectâ, non est tantùm esse intellectivum (imò esse intellectivum radicale vel in actu primo, virtualiter intrinsecè distinctum ab actu secundo, in DEO admitti non posse, dictum est. Disp. 3. a. 4. §. 2.) sed ipsum intelligere: insuper actus purus exigit habere omnem perfectionem simpliciter simplicem, qualis utique est intellectio & scientia. Restat igitur hoc capite inquirendum, quomodo scientia Divina se habeat tum per ordinem ad DEUM ipsum, tum per ordinem ad creaturas.

ARTICULUS I.

An S. D. infinitam intellectualitatem DEI demonstrativè probaverit ex ejus infinita immaterialitate?

SUMMARIA.

1. *Quotuplex sit immaterialitas?*
2. *Defenditur probatio D. Thomæ inductione cognoscentium.*
3. *Et ratione, ex natura materiæ desumpta.*
4. *Authoritas PP. pro eâdem sententia.*
5. *Martinezii opinio & objectio.*
6. *Bruta habent modum cognoscendi immaterialem immersivè.*
7. *Angeli non æqualiter excludunt materiam, quoad conditionem potentialitatis.*
8. *Ratio S. D. procedit de Substantiis immaterialibus.*
9. *Retorsio contra Adversarios.*
10. *S. D. non probat esse cognoscitivum per capacitatem plurium formarum.*
11. *Quando esse receptivum sit esse materiale?*
12. *Instantiæ adversus rationem S. D.*
13. *Refutatur responsio Ferrariensis.*
14. *Vera differentia inter cognoscentia & non cognoscentia.*

15. *Non*

15. *Non datur substantia spiritualis, non intellectiva.*
16. *Substantia de substantia corporea non operativa.*
17. *An cælum empyreum sit operativum?*
18. *Implicat substantia pure corporea, & intellectiva.*
19. *An acceptio immaterialitatis pro perfectione sit ad mentem D. Thomæ?*

§. I.

Astruitur demonstrativa efficacia angelicæ probationis.

1. SUpponitur. Divinam scientiam & intellectualitatem infinitam ab Angelico Doctore probari ex infinita immaterialitate, quòd *cùm sit in summo* (gradu) *immaterialitatis*, etiam *sit in summo cognitionis*. Porro immaterialitas hîc accipitur pro positiva exclusione materiæ, quæ fieri potest tripliciter, ut habet Mag. Godoy tr. 3. disp. 22. §. 7. Primò significat, exclusionem compositionis cum materia. Secundò. Exclusionem dependentiæ à materia in essendo. Tertiò. Exclusionem conditionum materialium in agendo & recipiendo, quam Thomistæ etiam appellant exclusionem immersionis in materia.

Primò modò Angeli sunt immateriales, secundò anima rationalis, tertiò anima sensitiva. Quo posito impugnant hanc D. Th. rationem Arriaga disp. 15. sc. 1. subsect. 1. & 2. negans ex immaterialitate rectè inferri vim cognoscitivam. Aversa, q. 14. de scient. sect. 1. negat rationem D. Thomæ esse demonstrativam, utpote tantùm ex probabilibus principiis deductam. Oppositum docent Discipuli S. Doct. cum quibus sentiunt ex RR. Molina, Suarez. Granado. Martinez disp. 1. de DEO cognosc. se. 1. §. 2.

2. CONCLUSIO. Ratio indicata Angelici Doct. optimè probat intellectualitatem DEI: Nam partim in inductione cognoscentium, partim in ratione solidissimè fundatur. Inductione quidem: quia cernimus, quòd quantò aliqua cognoscentia à materiali concretione magis recedunt, tantò perfectiùs intelligendi munere fungantur. Nam viventia sensitiva quamvis non aliâ quàm sensitivâ notitiâ, eâque intra gradum corporeum contentâ gaudeant, tamen spiritualem agendi modum æmulantur, nec patiuntur immersionem in materiâ, quam alia corporea agentia patiuntur, sed supra conditiones materiæ in formarum & imaginum sensibilium sensitiva perceptione elevantur. Homo quia est ex parte Spiritus, ex parte intelligit. Angelus, quia totus immaterialis, totus intelligentia est. Quidni ergo actus purus & ab omni materiæ umbra remotissimus, sit summè intellectualis?

3. In ratione quoque fundatur: quia intellectus & materia oppositas habent rationes & proprietates. Intellectus capacitatem dicit & amplitudinem, ad formas omnium intelligibilium objectorum recipiendas: in tantum quippe fit cognitio, in quantum cognitum est in cognoscente. Ex opposito materia est principium limitationis & coarctationis; quatenus non modò ita tenet formam, ut nullam aliam simul compatiatur, sed etiam eandem ad certas individuales conditiones quantitatis, loci &c. limitet. Sequitur ergo, ut quantò major est alicujus entis communicatio cum materia, tantò minor sit communicatio intellectualitatis, quantò major verò recessus à materia, tantò ampliùs de gradu intellectualitatis participet. Cúmque proinde in DEO ceu actu puro sit infinitus recessus à materia: infinita quoque erit perfectio intellectualitatis.

4. Hanc ipsam connexionem & vim inferendi inter immaterialitatem & intellectualitatem agnovit D. Dionysius, cùm in l. cæl. hier. probat Angelos esse intellectuales, eò quòd sint spirituales: Augustinus 12. Gen. litt. c. 10. dicit intellectualitatem esse connexam spiritualitati. D. Maxim. l. de div. nom. c. 5. eandem statuit consequentiam, dicens, *Angelos intelligere entia, tanquam mentes incorporeas.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicit primò. Martinez, qui tametsi rationem D. Thomæ appellet solidissimam, illam tamen viâ à sensu ipsius, Scholæque Thomisticæ longè alienâ explicat, dum immaterialitatem pro perfectione, materiam pro imperfectione, adeóque non nisi imitativè aut metaphoricè accipit.

Si immaterialitas accipiatur pro exclusione materiæ physicæ, sequitur clarissimam veritatem, imò qualis est, *DEVS est Sapiens*, probari per principium obscurissimum, quale est, quòd immaterialitas alicujus rei sit ratio, quòd sit cognoscitiva, & quòd secundùm modum immaterialitatis sit modus cognitionis. Quòd verò hoc principium sit obscurissimum probatur; quia penetrari non potest, quæ vel quid sit illa materialitas, quæ à quocunque cognoscente excluditur. Non enim esse potest materia prima, cùm bruta habeant materiam primam, & tamen sint cognoscentia. Secundò Angeli quoque æqualiter excludant materiam primam, cùm tamen in perfectione intelligendi sint inæquales, ac tertiò multæ dentur perfectiones spirituales & immateriales, tam in DEO quàm creaturis, quæ tamen non sunt formaliter cognoscitivæ, uti sunt voluntas, & personalitates Divinæ, gratia, & virtutes infusæ, character sacramentalis, &c.

Sequitur secundò. D. Thomam probâsse idem per idem, probaret enim aliquid ideo esse cognoscitivum, quia haberet in se repræsentativè formas rerum cognoscibilium, sed habere in se repræsentativè formas rerum cognoscibilium est formaliter ipsum esse cognoscitivum: ergo probaret idem per idem.

Sequitur tertiò. Quòd cognoscentia forent magis materialia, quàm non cognoscentia: consequens contradicit nostris principiis. ergo. Sequela probatur. Esse materiale & esse receptivum sunt idem: ergo quo magis aliquid est receptivum, eò magis est materiale: atqui cognoscentia sunt magis receptiva, quàm non cognoscentia; siquidem habent amplitudinem & capacitatem recipiendi formas intentionales plurimarum rerum. ergo.

Respon-

6. Respondeo negando omnes sequelas. Et ad 1. Resp. Rectè intelligi materiam primam, quam dari ceu principium limitativum & coarctativum formarum naturalium S. D. supponit, ceu veritatem notissimam, experientiâ & communi Philosophorum assensu firmatam.

Ad primam instantiam de brutis Resp. Habent bruta materiam, ita tamen ut in aliquo modo operandi eleventur supra conditiones materiæ, conc. ut totaliter à materia absorbeantur & comprehendantur in modo operandi, sic nego. Si dicis: Etiam in modo cognoscendi dependent à materia. Resp. dependent entitativè, conc. immersivè, nego. Immersivè dependerent, si in receptione formarum seu specierum sensibilium dependerent à physica alteratione & dispositione primarum qualitatum: sed quia habent capacitatem sine ejusmodi alteratione per actionem solùm perfectivam recipiendi rerum species, deputatas & denudatas ab illa physica & materiali crassitie, quam objecta habent in se ipsis (unde & vocantur species intentionales, quasi proximè accedentes ad intentiones & qualitates spirituales) propterea habent modum cognoscendi immersivè immaterialem.

7. Ad 2. instantiam de Angelis Resp. Angeli æqualiter excludunt materiam primam, quoad substantiam materiæ, conc. quoad aliquam conditionem materiæ, nempe quoad potentialitatem, quæ est limitationis principium, nego: in hac quippe etiam Angeli substantia cum materia prima analogicè convenit: ideóque quantò substantia Angelica magis recedit à potentialitate ad actum, tantò universaliorem habet amplitudinem in modo & medio cognoscendi, quantò magis accedit ad potentialitatem, tantò habet modum cognoscendi arctiorem, magisque divisum ac limitatum. De quo in tract. de Angelis.

8. Ad 3. instantiam. Resp. primò per retorsionem: Multa sunt perfecta non tantùm in esse spirituali, sed etiam in esse corporeo, quæ non sunt cognoscentia, uti sunt voluntas, gratia cæli, stellæ, &c. perfectum quippe est, cui in suo genere, vel specie nihil deest: ergo ex perfectione non rectè probatur intellectus. Respondeo 2. Rationem & mentem S. D. esse de substantiis, quæ in se continent radicem operandi, & capacitatem ad habendam formam; accidentia verò immaterialia, aut sunt ipsa principia formalia vel radicalia cognitionis, aut proprietates & qualitates in cognitione radicatæ, & consequuntur ad ipsam, ut est voluntas, & habitus in voluntate recepti.

9. Ad 2. Sequelam Resp. primò retorquendo argumentum: Juxta prænotatum Authorem S. D. ex immaterialitate probaret intellectualitatem DEI, in quantum illa significaret summam perfectionem: sed sic probaret idem per idem. ergo. Minor probatur: Aut intelligeret S. D. perfectionem ut sic in communi aut perfectionem specificam in determinata linea: Non primo modo, quia illa perfectio cùm sit transcendens & communis omni Divinæ perfectioni, non magis probat intellectum, quàm voluntatem, aut aliud attributum DEI: Si secundum; ergo probat idem per idem: quia perfectio determinata ad lineam intelligendi est ipse intellectus DEI, & consequenter S. D. per esse intellectivum, probaret esse intellectivum DEI.

10. Resp. secundò. S. Doctorem non probare esse intellectivum per esse receptivum formarum intelligibilium; sed supponere tanquam principium per se notum, quòd in tantùm aliquid sit intelligens, in quantùm in se habet repræsentativè objectum seu formam intelligibilem; hoc ipsum verò probat per esse immateriale & elevatum supra conditiones materiæ, tanquam principii essentialiter limitantis, & impedientis amplitudinem plurium formarum capacem.

11. Ad 3. Sequelam Resp. Esse receptivum modo contractivo per comprehensionem & immersionem formæ est esse materiale conc. esse receptivum cum amplitudine ad plures formas sine contractione & immersione illarum, nego maj. sed cognoscentia recipiunt plures formas, posteriori modo. concedo, priori, nego min. & consequentiam. Imò hæc ipsa impugnatio est petitio principii; quia supponit, esse materiale esse synonymum cum imperfecto; hâc enim suppositione remotâ statim apparet falsitas hujus propositionis, quòd esse receptivum sit esse materiale.

12. Objicies secundò. Probatio D. Thomæ fundatur in hac differentia inter cognoscentia, & non cognoscentia, quòd cognoscentia habeant capacitatem præter formam propriam recipiendi formas alienas, quâ capacitate carent non cognoscentia: sed hæc differentia non procedit: ergo nec probatio D. Thomæ. Minor probatur: quia aqua recipit in se calorem, cùm tamen calor non sit propria forma aquæ, & aër recipit species intentionales visibiles, quæ non sunt propria forma ipsius: ergo etiam non viventia & non cognoscentia possunt recipere formam alienam sibi non propriam; præterquam quòd substantia corporea sit receptiva plurium formarum accidentalium.

13. Respondeo, negando min. Ad probationem respondet Ferrar. 1. contra gentes c. 44. & Sylvius hâc q. 14. a. 1. in hoc consistere rationem differentiæ, quòd non cognoscentia præter suam propriam formam substantialem tantùm sint apta recipere formas accidentales; cognoscentia verò non tantùm formas accidentales, sed etiam substantiales: sic enim intellectus intelligendo quidditatem hominis in se recipit ipsam quidditatem hominis, non quidem in modo essendi naturali, sed tamen in modo essendi intentionali & repræsentativo.

Contra hanc tamen explicationem est primò, quòd ratio S. D. comprehendat omnia cognoscentia tam perfecta, quàm imperfecta; hæc autem explicatio tantummodò arctetur ad cognoscentia perfecta seu intelligentia; solus quippe intellectus quidditates substantiales percipit. Secundò, quòd etiam intellectus non tantùm recipiat quidditates substantiales, sed etiam accidentales: Unde remanet assignanda differentia

rentia inter cognoscentia & non cognoscentia etiam quoad receptionem formarum accidentalium.

14. Respondeo igitur: in hoc esse diversitatem, quòd non cognoscentia nec sint apta in se recipere formas, seu quidditates alienas substantiales tam in modo essendi naturali, quàm intentionali; nec formas accidentales in modo essendi naturali sine multiplicatione individuali; at verò cognoscentia sunt apta recipere formas alienas, vel substantiales, vel accidentales individualiter indistinctas in esse repræsentativo à suis objectis, quorum sunt formæ.

§. III.

Corollaria ex dictis.

15. INfertur ex dictis primò. Non posse per absolutam potentiam dari spiritualem substantiam, quæ non sit intellectiva.

Primò: quia hoc ipso, quòd ejus forma non sit immersa materiæ, habet capacitatem, ut cum propria forma retenta induat alias formas, sed hoc est esse intellectivum, ergo.

Secundò. Quia implicat substantia, cui non sit assignabilis aliquis actus & motus proprius: sed non est substantiæ spirituali quà tali assignabilis aliquis actus & motus proprius, quàm intellectio, ergo. Minor probatur: ista operatio & actus vel esset Motus localis, vel volitio. Non primum, tum quia iste etiam convenit corporeis, tum quia substantia spiritualis non movetur localiter nisi per determinationem sui intellectus & volitionis. Non secundum: quia volitio essentialiter supponit cognitionem.

16. Dices: Non implicat substantia spiritualis, quæ careat omni operatione spirituali; ergo nec implicat substantia spiritualis, quæ non sit intellectiva. Consequentia est manifesta. Anteced. probatur à pari. Non implicat substantia corporea & materialis, carens omni operatione materiali; ergo etiam non implicat substantia spiritualis carens omni operatione spirituali. Antecedens probatur: Cælum empyreum non est operativum juxta D. Th. in 2. dist. 2. q. 2. a. 3. ergo datur defacto corpus & substantia materialis non operativa.

17. Respondet Godoy distinguendo antecedens ultimæ probationis: Cælum empyreum non est operativum, in quantum caret actuali influxu, conc. in quantum destituitur virtute proximâ influendi, & materialiter operandi, nego. Ex quo tantùm sequitur, non implicare substantiam spiritualem, quæ nunquam intelligat, non autem quæ caret virtute tam radicali, quàm formali proximâ intelligendi.

Verùm difficile videtur, DEUM creâsse corpora, quæ perpetuò careant omni connaturali operatione, cùm hoc sit contra inclinationem & ordinem naturæ: nam juxta vulgare axioma: *unumquodque operatur secundùm quod est in actu*: Cùm igitur cælum empyreum inter omnia corpora maximè sit in actu, maximè oportet esse operativum.

Igitur Angelicus Doctor, non omnem operationem negavit cælo empyreo, sed illam, quæ fit per motum localem, uti patet ex 1. p. q. 66. a. 3. ad 2. & quodlib. 6. a. 19. Unde sicut alia corpora cælestia non per solum motum localem in hæc inferiora influunt (aliàs cùm ad Josue præceptum sol stetit per duodecim horas, adeóque juxta Interpretes tota simul cælorum compages suspensa hæsit, corpora subcælestia omni fuissent inflexu destituta) sed etiam per lucem, & qualitates occultas, ità neque empyreum, tametsi per motum non influat, aliâ omni virtute, & operatione privari debet.

Respondeo igitur negando utrúmque antecedens. Neque plus ex S. D. probatur, quàm quòd empyreum non sit operativum per motum localem. Adde, quòd, ut rectè adnotavit Godoy, iste modus arguendi tantùm inferat, quòd possit dari substantia actu non intelligens per suspensionem & denegationem Divini concursus, non verò quæ non sit intellectiva.

Infertur secundò. Implicare substantiam purè corpoream & materialem, quæ sit intellectiva. Ratio est: quòd implicet essentiale impedimentum intellectionis componi cum intellectione; sed materialitas est essentiale impedimentum intellectionis: unde quò aliquid est materialius, tantò magis recedit non tantùm à cognitione, sed etiam à vita: ergo quod est purè materiale non potest esse intellectivum. 18.

Infertur tertiò. Alienam esse à mente & sensu D. Thomæ explicationem, quòd materiale sit idem ac imperfectum, immateriale verò idem, quod perfectum; neque, ut inquit Godoyus, hanc esse explicationem, sed correctionem D. Thomæ. Etenim D. Thomas sumit immaterialitatem tanquam medium præ aliis connexum cum esse cognoscitivo, ex quo specialiter, & non sub communi & generica aliqua ratione perfectio intellectiva DEI possit inferri: sed esse perfectum non est tale medium speciale, cùm ex illo DEUS non minùs probetur volens, justus, misericors, quàm intelligens, aut sapiens. Secundò S. Th. 1. contra gentes. c. 44. a. 4. probat DEUM esse intellectivum, quia est immaterialis, & a. 5. probat ex eo, quia est summè perfectus; ergo non potest immaterialitatem, & perfectionem accipere pro rationibus synonymis, cùm aliàs inani repetitione fuisset usus. Tertiò, quia planta est in suo genere perfecta, nec tamen est cognoscitiva: non ergo præcisè ex perfectione rectè infertur esse cognoscitivum.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quomodo scientia sit in DEO?

SUMMARIA.

1. *Ratio habitûs à DEO exulat.*
2. *Admittuntur formalitates speciei & objecti specificativi.*
3. *Non attributa, sed essentia Divina exercet rationem speciei.*
4. 5. *Opponuntur objectiones.*
6. *Aliud est objectum adæquatum, & aliud per se primò terminativum, vel motivum visionis.*
7. *Quomodo attributa sint objecta secundaria?*
8. *Quomodo intelligibilitas consequatur rationem actus puri.*
9. *In definitione scientiæ ly* per causam *accipiendum ex parte objecti.*
10. *Astruitur scientia propriè dicta virtualiter distincta.*
11. 12. 13. *Differentia inter intelligere constitutivum, & scientiam attributalem DEI.*
14. *Essentia Divina aliter specificat intellectum, & aliter scientiam DEI.*
15. *Quomodo ratio entis a se impediat cognitionem scientificam?*
16. *Quomodo visio DEI sit participatio Divinæ scientiæ?*
17. *Utrum DEUS sua attributa diligat amore electivo?*
18. *Varia prædicata scientiæ Divinæ.*
19. *Removetur à DEO scientia a posteriori.*
20. *DEUS videt se in creaturis, non ex creaturis.*
21. *Infantia ex intelligere constitutivo.*
22. *Non datur in DEO scientia sui intelligere.*

§ I.

Quomodo Divina essentia respectu scientiæ DEI habet rationem objecti?

1. Cùm plura prædicata reperiantur in linea intellectuali, ut objecti motivi, terminativi, speciei intelligibilis, potentiæ, habitûs, &c. videndum est, quænam ex his & quomodo Divinis accommodari possint? Et primò quidem sicuti priùs rationem potentiæ & actûs primi ut virtualiter ab actu secundo distincti à DEO removi; ita omnem quoque habitum à Divino intellectu proscribo, quippe cujus formalis ratio ab imperfectione difficultatis, quàm ex parte subjecti essentialiter connotat, separari non possit.

2. Prædicata verò speciei intelligibilis, nec non objecti motivi, terminativi & specificativi DEO tribui posse censeo, quia separatâ omni imperfectione retinent aliquid perfectionis, quod DEO convenire possit. Nam ex parte speciei intelligibilis invenitur, quod objectum reddat proximè intelligibile, & illud uniat cum intelligente. In DEO porro est perfectissima intelligibilitas & unio objecti per omnimodam identitatem. Ratio objecti motivi plus non exigit, quam quòd proximè determinet intellectum ad actualem cognitionem sui. Ratio quoque objecti per se primò terminativi petit, ut ratione sui cognoscatur, & alia ratione ipsius, quod ipsum de specificativo objecto dixeris. Sed hæc omnia absque imperfectione præstat ipsa Divina essentia ut virtualiter ab omni attributo distincta. Est enim species intelligibilis; quia secundùm nullam aliam perfectionem DEUS magis est secum unus, quam secundùm suam essentiam, utpote in eadem secum linea constitutam, & ne quidem virtualiter distinctam; dum cæteræ perfectiones saltem virtualiter ab ipso distinguuntur. Rursus. Cùm essentia Divina sit radix intelligibilis (quod à paritate substantiæ Angelicæ confirmabis) nec ratione alterius ipsa cognosci potest, sed alia omnia ratione ipsius cognoscuntur; ergo essentia Divina ut virtualiter ab omnibus aliis perfectionibus distincta habet rationem speciei intelligibilis. 3.

Accedit, quòd species intelligibilis pertineat ad lineam intelligibilem; sed attributa ceu virtualiter à linea intelligibili distincta ad eandem non pertinent: ergo munus intelligibilis speciei obire non possunt. Ex quo iterum sequitur, eidem Divinæ essentiæ tam motivi, quàm terminativi objecti formalis rationem convenire: est enim essentia Divina ut præintellecta attributis, non modò per se primò intelligibilis, sed ipsum intelligi & objectum intellectum omnibus modis idem cum intellectu.

Neque te moveat primò, quòd DEUS se ipsum intelligat non modò intuitivâ, sed comprehensivâ visione; visio verò intuitiva, ut nuper dictum, quia attingit objectum ut in se est, feratur in omnia quæcunque formaliter in DEO contenta. 4.

Secundò quòd hâc ratione attributa & relationes essent secundaria & materialia objecta divinæ visionis, quod videtur dici non posse, siquidem & ipsa sunt actus purus, adeóque habent per se intelligibilitatem infinitam. 5.

Ad primum quippe Respondeo: Visionis intuitivæ DEI objectum adæquatum, prout includit tam primarium, quàm secundarium, esse DEUM ut physicè in se est, non autem objectum per se primò motivum & terminativum; & ideo ad rationem objecti adæquati, ut includentis tam primarium, quàm secundarium, pertinent omnia prædicata, quæcunque formaliter in DEO contenta, quia omnia conveniunt in esse objecti pure intelligibilis, ut in se est: quia verò non omnia conveniunt in ratione objecti per se primò ratione sui intelligibilis, non omnia pertinent ad rationem objecti motivi & terminativi. 6.

Ad secundum Respondeo ut suprà: Attributa & relationes non esse propriè secundaria objecta, quasi essent materialia & extranea; sed minùs propriè, tanquam ratione alterius ut objecti formalis cognita, & pertinentia ad intrinsecam perfectionem ipsius. Habent quoque per se intelligibilitatem infinitam h. e. non ratione alterius extrinseci, concedo; non ratione alterius ut rationis formalis intrinsecæ, nego. 7.

8. Si dicas: Essentia divina ex eo habet rationem speciei intelligibilis, quia est actus purus, sed quodlibet prædicatum & attributum Divinum est actus purus: ergo quodlibet attributum Divinum poterit habere rationem speciei intelligibilis. Distinguo majorem: quia est actus purus in linea essentiæ, conc. quocunque modo neg. maj. sed quodlibet attributum est actus purus, in sua linea virtualiter distincta à lineâ essentiæ, conc. in ipsa linea essentiæ, nego min. & conseq.

§. II.

Adstruitur scientia propriè accepta sub ratione attributi virtualiter distincti.

9. NUnc investigandum, utrum scientia sub præsiori significatione, prout est *cognitio certa & evidens per causam*, tanquam attributum speciale ab essentia virtualiter distinctum, admitti debeat in Divinis? Ubi certum in primis est: si ly *per causam*, accipias ex parte actûs nullo modo habere in DEO locum, cùm iste modus cognoscendi sit valde imperfectus, & discursui formali proprius, in quo una cognitio causat & infert alteram. At verò si ly *per causam* accipias ex parte objecti, vera est doctrina Thomistica.

10. CONCLUSIO nostra. *Scientia ut attributum virtualiter distinctum, propriè & formaliter in DEO datur.* Ita Durandus, Ferrara, Bannez. Jo. à S. Th. Gonet, Godoyus & communiùs Thomistarum.

Ratio est in promptu: DEUS cognoscens suammet essentiam in eadem ceu causa formali & reali cognoscit omnes creaturas tam possibiles, quàm actuales. In eadem verò ceu radice & causa virtuali cognoscit sua divina attributa.

Quid ergo deest ipsi ad rationem veræ & propriè dictæ scientiæ, non tantùm respectu creaturarum, sed etiam suarum attributalium perfectionum? cùm exemplo Theologiæ & metaphysicæ constet, ad rationem veræ scientiæ sufficere causam virtualem proprietatum.

11. Dubitas tamen: utrum scientia sub hac formali ratione accepta sit verum attributum ratione nostra consequens ad intelligere constitutivum DEI? Ipsum enim intelligere DEI cùm sit comprehensivum, debet in essentia visa attingere omnes proprietates formaliter, & effectus eminenter contentos. ergo ipsum intelligere DEI constitutivum attingit essentiam divinam, ut est causa virtualis attributorum, & formalis creaturarum.

Quo posito jam nihil relinquitur scientiæ reliquum, quod ad intellectionis conceptum ceu virtualiter distinctum, & attributalem lineam constituens, superaddat: cùm totus scientiæ divinæ conceptus sistat in *cognitione per causam*, & non minùs pro suo primario & specificativo objecto habeat divinam essentiam, quàm ipsum intelligere constitutivum.

12. Nihilominùs scientia & sapientia divina distinctum attributum constituit, ut agnovit Damasc. l. 1. de fide c. 4. dicens: *sive bonum, sive justum, sive sapientem, sive quodcunque tandem aliud dicere libeat, non DEI naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis.* Nam alia est ratio *sub qua* scientia essentiam respicit; alia *sub qua* intelligere divinum eandem habet pro objecto. Illud essentiam attingit sub absoluta ratione primi intelligibilis; scientia verò sub ratione causæ formalis, & virtualis.

Ideóque ad rationem dubitandi Resp. quòd intelligere constitutivum DEI attingat quidem essentiam suam ut causam creaturarum, si reduplicatio cadat supra *rationem quæ*, & faciat hunc sensum, quòd intelligere divinum attingat essentiam, quæ sit causa realis creaturarum, & virtualis attributorum; non autem si reduplicatio cadat supra *rationem formalem sub qua*: non enim essentia divina concipitur esse objectum intelligere constitutivi sub formali ratione causæ, sed primi & connaturalissimi intelligibilis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. Idem est specificativum scientiæ & intellectûs Divini: ergo gratis Divina scientia ab intellectu vel intelligere primordiali & constitutivo distinguitur. Antec. probatur. Essentia Divina ut virtualiter ab attributis distincta specificat intellectum Divinum: sed eadem specificat Divinam scientiam: ergo idem est specificativum tam intellectûs quàm scientiæ Divinæ.

Resp. dist. maj. Idem est specificativum, & diverso modo concedo, eodem modo, nego antec. & consequentiam.

Probationem rursus distinguo: Essentia Divina, specificat Divinum intellectum sub ratione objecti formalis tam motivi, quàm terminativi, concedo. Sub ratione motivi tantùm, nego maj. sed eadem essentia specificat Divinam scientiam: sub ratione objecti formalis motivi concedo: terminativi nego min. & consequentiam.

Ipsa quippe Divina essentia sub duplici ratione suæmet cognitioni objicitur. Primò in ratione objecti connaturalissimi & per se primò intelligibilis, quod per nullam aliam causam vel formalem vel virtualem cognosci potest: & hoc modo non tantùm est formale objectum motivum; seu prima ratio cognoscendi se ipsam; sed etiam terminativum, seu quod ratione suæ infinitæ intelligibilitatis à se existentis per se primò intuitioni Divinæ objicitur; quamquam ea ipsa cognitio, utpote comprehensiva, etiam attributa ceu terminos secundarios, creaturas verò, ceu terminos materiales eminenter in essentia contentos respiciat.

Secundò objicitur eidem suæ cognitioni in ratione causæ tum virtualis respectu attributorum, tum formalis respectu creaturarum, idque tam in essendo quàm cognoscendo, quâ ratione non exercet munus objecti per se primò terminativi, sed motivi; neque enim ipsa est, quæ per se primò per causam cognoscitur (quod est de ratione scientiæ) sed est ratio, ut per ipsam tanquam causam virtualem per se primò & ut objectum formale terminativum attributa, creaturæ verò ut secundarium & objectum materiale terminativum cognoscantur.

Dices.

15. Dices primò. Essentia Divina, eò quòd sit infinita & ens à se, non potest esse objectum formale terminativum cognitionis strictè scientificæ, quæ importat cognitionem per causam: sed etiam attributa sunt ens à se: ergo neque illa possunt esse objectum cognitionis scientificæ strictè & propriè acceptæ.

Resp. cum Godoyo, dist. maj. eò quòd sit ens à se tam per exclusionem causæ formalis, quàm virtualis, concedo maj. per exclusionem solùm causæ formalis, nego maj. sed etiam attributa sunt ens à se per exclusionem causæ formalis, concedo, virtualis nego min & consequentiam.

16. Dices secundò. Visio beatifica est participatio Divinæ scientiæ; sed illa habet pro suo formali objecto tam motivo, quàm terminativo Divinam essentiam; ergo etiam scientia DEI pro suo objecto tam motivo, quàm terminativo habet Divinam essentiam.

Resp. est participatio Divinæ scientiæ tam latè quàm strictè & propriè acceptæ, tam prout scientia accipitur pro intelligere primordiali essentiæ Divinæ ut objecti connaturalissimi, quàm prout accipitur pro cognitione objecti per Divinam essentiam tanquam causam, concedo. tantùm prout accipitur pro participatione scientiæ DEI strictè acceptæ, & virtualiter distinctæ ab intelligere primordiali, sic nego. Sed visio beatifica habet pro suo objecto formali tam motivo, quàm terminativo Divinam essentiam; quâ ratione est participatio scientiæ Divinæ latè acceptæ, concedo; quâ ratione est participatio scientiæ, ceu attributi virtualiter, distincti, nego min. & consequentiam. Itaque visio duplex inadæquatum munus exercet; unum, quòd attingat Divinam essentiam ceu objectum connaturalissimum, alia verò ceu terminos secundarios in essentia; & sic est participatio ipsius Divini intelligere, & est scientia latè solùm & impropriè sumpta, ac potiùs habet se ut lumen principiorum, quàm ut scientia; secundò quòd attingat per se primò attributa tanquam radicata & inferibilia ex Divina essentia, & hâc ratione propriè est scientia.

17. Objicies secundò. Si scientia DEI virtualiter distincta à lumine intellectûs & principiorum, attingeret per se primò & ut quod attributa Divina, non autem essentiam, sequeretur, quòd DEUS liberè & amore electivo diligeret sua attributa: sed hæc sequela peccat, estque contraria D. Thomæ 1. cont. gent. c. 74. & 88. dicenti: *cùm igitur DEUS se ipsum tanquam finem velit, & non sicut quæ ad finem sunt, sequitur, quòd respectu sui habeat voluntatem tantùm; respectu autem aliorum electionem.* ergo. Sequela probatur.

Sic in voluntate comparatur electio mediorum ad intentionem finis; sicut in intellectu scientia conclusionum, & lumen principiorum: ergo si in intellectu Divino attributa per se primò terminant Divinam scientiam; etiam in voluntate terminabunt amorem electivum.

Resp. negando sequelam. & ad probationem permisso antecedente, quod in pluribus deficit & patitur limitationem, distinguo consequens: terminant amorem electivum; si electionem latiori sensu accipias pro amore boni quodammodo intermedii in aliam bonitatem virtualiter priorem referibilis, conc. si presse accipias pro libera assumptione boni intermedii extranei, de qua loquitur S. D. nego consequens & consequentiam. Itaque electio strictè & propriissimè accepta, sic nominat actum liberi arbitrii assumptivum alicujus medii propter bonitatem finis; quo sensu non valet paritas inter scientiam & electionem; cùm illa sit de necessariis, ista de contingentibus: latiori sensu denotat amorem alicujus boni non ultimatò sistentem & defixum in illo bono, quin saltem virtualiter tendat in aliquam rationem virtualiter priorem; atque ita Divinus amor necessariò attingens sua attributa eâ ratione dici potest electivus, quatenus infinita bonitas cujusvis lineæ attributalis virtualiter radicatur in Divina essentia, in quâ ratio finis ultimi explicitè & per se primò reperitur.

§. IV.

Corollaria.

18. COlliges primò. Varia prædicata & proprietates scientiæ creatæ attribui posse scientiæ increatæ, quæ nimirum ab imperfectione sunt immunes. Est igitur inprimis certa & evidens: quia certitudo & evidentia sunt perfectiones scientiæ simpliciter simplices. Ideóque dicitur Dan. 11. *ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est.* Et secundò diverso respectu formaliter speculativa & practica: quia rursùs utrumque prædicatum dicit perfectionem simpliciter simplicem. Et respectu sui quidem ceu optimi speculabilis cognitionem habet speculativam; respectu creaturarum scientiam practicam utpote quarum est *Artifex*, sap. 7. Est quoque scientia divina formaliter simplex & incomposita, in qua nulla est volubilitas cogitationum *ab aliis in alias euntium*, nihil *formabile priusquam formatum.* ut inquit S. August. l. 15. de Trin. c. 15. quia totum hoc realem distinctionem cogitationum, & mutabilitatem involuit. Virtualem tamen discursum, quo cognoscitur minùs notum ex magis noto, non ex parte cognoscentis, sed ex parte cogniti, non est cur DEO deneges: siquidem ea est dependentia creaturarum à divina essentia, ut non nisi ratione ipsius tanquam magis noti, & tanquam effectus in causa à DEO cognoscantur: quamvis ex parte ipsius cognitionis nulla prorsus sit illatio, sed omnia simplici & judicativo intuitu repræsententur. Tandem esse etiam virtualiter reflexivam rectè dixeris; quia sicut alias omnes perfectiones: ita se ipsam quoque in essentia divina veluti virtuali causa cognoscit.

19. Colliges secundò. Non posse in DEO admitti scientiam à posteriori. Ita videtur expressè sentire D. Th. 1. ad Annib. dist. 3. q. 2. a. 1. in c. de Angelo beato affirmans: *dicendum, quòd quamvis cognoscat divinam bonitatem relucere in creatura, non tamen ex creatura venit in creatorem, sed ex converso.* Et q. 2. de ver. a. 2. ad 2. de DEO loquitur: *Non quasi essentiam suam ex aliis rebus cognoscens.* Ex quibus ratio præsentis Corollarii deducitur: Tunc datur scientia à posteriori, quando id quod ex parte cogniti & in essendo est effectus, ex parte cognitionis & in cognoscendo

do sit causa alterius; sed hoc implicat in DEO; ergo etiam implicat scientia à posteriori. Major liquet: quia cùm scientia in genere sit rei cognitio per causam; in hoc differt scientia *propter quid*, & *quia*, quòd illa pro medio demonstrativo assumat medium, quod non tantùm sit causa in cognoscendo, sed etiam in essendo, & ex parte cogniti; ista verò assumat medium, quod quidem est notius quo ad nos, & causa in cognoscendo: ex parte verò objecti cogniti & in essendo est effectus minùs notus quoad se.

Minor probatur primò; quia in DEO non datur alia virtualis causalitas & subordinatio ex parte cognitionum, nisi per connotationem ad causalitatem & subordinationem objectorum cognitorum, ut ex decursu patebit: sed ex parte objecti cogniti effectus subordinatur suæ causæ; ergo etiam talis est ordo ex parte cognitionis divinæ, adeóque sola relinquitur scientia à priori. Secundò effectus creatus in tantùm fundat notitiam evidentem & scientiam de DEO à posteriori, in quantum est medium cognoscendi DEUM modo abstractivo, imperfecto, & quoad an est: atqui talis modus cognoscendi seipsum repugnat in DEO: quia includeret cognitionem immediatè terminatam ad creaturas, adeóque specificatam à creaturis, abstractionem exclusivam quidditativæ cognitionis, &c. quæ sine imperfectione concipi non possunt.

20. Oppones: Qui causam cognoscit in effectu, ille habet scientiam à posteriori, atqui DEUS se ipsum ceu causam cognoscit in effectibus creatis: ergo habet scientiam à posteriori: Minor est S. D. l. 1. ad Annib. d. 3. q. 2. a. 1. in c. ubi dicit: *DEUS se ipsum videt in creatura repræsentatum*, & exinde patet: quia sicut est impossibile causam comprehendere, & non videre in ipsa effectus contentos, sic est impossibile effectum comprehendere, quin in ipso cognoscatur causa ipsius: sed DEUS comprehensivè cognoscit omnes effectus creatos: ergo & se ipsum tanquam causam in creatis effectibus cognoscit.

Resp. negando, vel disting. maj. qui videt causam in effectu, & ex effectu conc. maj. & non ex effectu nego maj. vel explicatiùs: qui videt causam in effectu, tanquam dependenter in cognoscendo ab effectu, conc. maj. tantùm ut terminum dependentiæ & connexionis, nego maj. sed DEUS videt se ipsum in effectibus creatis, ut terminum dependentiæ, quam habent effectus creati à se, tanquam causa, concedo min. videt se ipsum in effectibus creatis, & ex ipsis, ita ut cognitio sui virtualiter dependeat à cognitione effectûs, ceu medio cognoscendi, nego min. & conseq.

Et datur instantia: DEUS per suum intelligere primordiale comprehendendo suam essentiam comprehendit omnes terminos cum illa necessariò connexos: nec tamen illud intelligere habet rationem scientiæ à priori strictè sumptæ: ergo tametsi DEUS cognoscendo comprehensivè effectus creatos attingat omnes causas eorundem tam ordinis creati, quàm increati, non sequitur quòd illa cognitio sit scientia à posteriori. Igitur sicut ad scientiam à priori ulterius requiritur, quòd ex parte objecti & effectûs cogniti sit aliqua dependentia à causa tam in essendo, quàm cognoscendo, sic ad scientiam à posteriori requiritur, ut ex parte objecti & causæ cognitæ sit dependentia ab effectu, non quidem in essendo, sed tamen in cognoscendo: qualis in intellectu Divino non potest admitti.

Colliges tertiò contra Godoyum, Non dari in DEO scientiam suæ intellectualitatis, vel intelligere actualissimi, ut enim daretur ejus scientia, deberet posse cognosci in aliquo medio virtualiter priori, & habente rationem causæ virtualis; sed hoc dici nequit: siquidem nec intellectualitas ab essentia, nec intelligere actualissimum ab intellectualitate virtualiter intrinsecè distinguitur, sed intelligere actualissimum est ipsum primordiale constitutivum divinæ essentiæ, prout in 3. dispu. diximus. 22.

❁ : ❁ : ❁

ARTICULUS III.

An & quomodo in DEO dentur ideæ?
Ad q. 15. S. Th.

SUMMARIA.

1. *Quid sit idea?*
2. *Dari ideas in DEO probatur authoritate & ratione.*
3. *Non nisi rerum operabilium ideæ dantur.*
4. *Ipsa Divina essentia est idea rerum creatarum & creabilium.*
5. *Pluralitas idearum exponitur.*
6. *Omnium creaturarum & jam possibilium ideæ dantur in DEO.*
7. *Mali formalis idea non datur.*
8. *Materia prima seorsim non habet ideam.*
9. *Divinæ Personæ non ideantur per essentiam.*
10. *Dantur ideæ omnium tam individuorum, quàm specierum.*
11. *Refellitur sententia Scoti.*
12. *Refellitur sententia Granadi.*
13. *Quomodo omnia vivant in DEO?*
14. *Quomodo DEVS respiciat creaturas in esse cognito?*
15. *Qualis similitudo inter Divinam ideam & creaturas?*
16. *Ideæ Divinæ multiplicantur virtualiter extrinsecè.*

§. I.

Sententia Thomistica.

SUppono ex Philosophia, quòd idea sit *forma* 1. *intelligibilis, ad quam respiciens artifex aliquid ad ejus instar operatur*: ita ut idea de materiali & entitativè dicat ipsam speciem expressam intelligentis

gentis artificiosi; de formali autem passivam imitabilitatem ipsius, ratione cujus pertinet ad genus causæ formalis extrinsecæ. Unde sequitur primò, quòd ratio ideæ nulli alteri agenti, quàm intellectivo convenire possit. Sequitur secundò, quòd eadem forma intelligibilis ut comparata ad intelligentem habeat rationem speciei expressæ, eúmque intelligentem denominet; quatenus verò comparata ad rem artefactam, à qua est imitabilis, sic induat rationem exemplaris, & sic sub isto posteriori solùm conceptu habeat rationem ideæ.

2. CONCLUSIO. *In DEO dantur ideæ omnium creaturarum* (1) *ab ipso operabilium.* (2) *& rationem ideæ habet ipsa Divina essentia.* (3) *pluralitatem verò idearum non habet nisi ex connotatione ad creaturas, à quibus est diversissime imitabilis.* Ita communiter Thomistæ ad mentem S. D. q. 15. Oppositum tenet Scotus quoad 2. p. docens in 1. d. 35. q. 1. ideam esse ipsam creaturam quatenus ab æterno præexistentem in esse diminuto, objectivo & cognito.

Prima pars est expressa doctrina PP. in primis D. Dionysii qui c. 5. d. div. nom. *rationes rerum in mente divina existentes* vocat *exemplaria & rationes substantificas.* D. Aug. l. 83. qq. q. 46. *Prima vis, inquit, in ideis constituitur, ut nisi eis intellectis sapiens nemo esse possit.* Imò idem relatus à S. D. in q. 3. d. Ver. a. 1. dicit: *qui negat ideas esse, infidelis est.* idque deducit ex illo Joan. *quod factum est in illo, vita erat: quid est hoc,* inquit, *vita erat? facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est.* Boëtius quoque l. 3. d. consol. metro 9.

- - - - - *Tu cuncta superno*
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Ratio est: Agentis intellectualis & artificiosi, quod proinde ex præstituto sibi fine operatur, proprium est, habere propositum sibi exemplar, ad cujus imitationem producat effectum: sed DEUS est tale agens: ergo juxta propositum exemplar seu ideam operatur. Quam rationem expressit D. Damasc. *DEUS omnium author est, ergo omnium, quæ sunt, rationes in se & causas* (hoc est ideas) *jam ante in se ipso præhabet.* Et D. Aug. l. cit. *omnia ratione sunt condita, aliàs casu & fortuito evenient; nec eâdem ratione homo, quâ equus, &c.*

3. Secunda pars exponit, quarum rerum rationes seu ideæ sint in DEO, & probatur. Illarum rerum rationes seu ideæ sunt in artifice, quas ipse ad idearum imitationem operatur: ergo earum, quæ DEUS ut artifex operatur & operari potest, ideas habet, quas verò operari non potest, earum nullæ sunt in DEO ideæ.

4. Tertia pars asserit, Divinam essentiam habere rationem ideæ, & patet ex præsupposita explicatione ideæ. Nam in eo formaliter consistit idea, quod est species & forma intelligibilis per artificiosam productionem ab effectu imitabilis; sed respectu intellectûs divini essentia divina habet formalem rationem formæ intelligibilis, eáque propter eminentissimam continentiam omnium creaturarum est ab iisdem infinitis modis imitabilis & participabilis, ergo. unde etiam per ordinem ad ipsum intellectum divinum habet rationem speciei, per ordinem verò ad creaturas producendas vel producibiles rationem ideæ.

Quarta pars affirmat & explicat pluralitatem idearum in DEO. Dari plures ideas, colligitur ex modo loquendi SS. PP. ipsiúsque scripturæ: nam Heb. 11. *Fide*, inquit Apostolus, *intelligimus aptata esse sæcula verbo DEI, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* ubi S. D. per ly *invisibilibus* ideas intelligit, quas etiam plurali numero loco cit. S. Dionys. appellat *subsistantificas rationes existentium prædeterminativas*, uti & Mercur. Trismeg. *rerum nascendarum seminales rationes.* Et D. Aug. sup. *singula*, inquit, *propriis esse creata rationibus.* 5.

Cæterùm, quòd sint plures ideæ & quòd ista pluralitas, quæ utique non est realis, sed rationis ratiocinatæ, non sit desumenda ex parte divinæ essentia & ex fundamento distinctionis virtualis intrinsecæ, sed ex parte & connotatione rerum productarum, vel producibilium, ratio est: tot sunt ideæ, quot sunt diversæ imitabilitates & participabilitates divinæ essentiæ; sed tot sunt ejusmodi imitabilitates, quot sunt creaturæ producibiles; ergo etiam tot sunt ideæ, Minor constat: quia, ut dicebat D. Aug. *aliâ ratione homo, quàm equus. Angelus quam homo, &c.*

Jam verò, quòd ista pluralitas non sit virtualis intrinseca, inde constat, quia pluralitas, quæ non ex formalis objecti & lineæ diversitate, sed ex multiplicatione objectorum materialium connotatorum & intra eandem lineam accipitur, illa non est virtualis intrinseca, sed extrinseca: sed talis est multiplicatio idearum in DEO, ergo.

§. II.

Corollaria.

SEquitur ex dictis primò. Omnium creaturarum non tantùm actualium, sed etiam possibilium ideas esse in DEO, illarum quidem, quia ipsas DEUS per suam divinam artem actu producit; istarum verò, quia illas videt ad sui imitationem producibiles; seu quia videt suam divinam essentiam sic & sic infinitis modis participabilem. Unde etiam respectu creaturarum actualium ideæ divinæ sunt actu practicæ: respectu verò possibilium tantùm sunt virtute practicæ. 6.

Sequitur secundò. Mali formalis & peccati in DEO nullam dari ideam, quia malum & peccatum non continentur in virtute divinæ essentiæ effectricis, sed tantùm potentiæ deficientis, nec ullo modo est à DEO operabile vel effectibile. 7.

Sequitur tertiò. Materiam primam seorsim sumptam non habere ideam in DEO, quia ut sic neque per absolutam potentiam produci posse supponо ex Philosophia, habere verò ideam ratione totius compositi, in quo & per cujus existentiam existit. 8.

Sequitur quartò. Divinam essentiam non esse ideam Filii, vel Spiritûs S, quia istæ divinæ personæ 9.

sonæ non producuntur artificiosè per directionem, imitationem & participationem essentiæ, tanquam suæ imagines & similitudines, sed producuntur necessariò à personis, Filius à persona Patris, Spiritus S. à Patre & Filio, idque cum infinita univoca communicatione, & identitate essentiæ.

10. Sequitur quintò. Omnium tam individuorum, quàm specierum ideas dari, eò quòd hæc omnia sint à DEO producibilia, & subjecta artifici providentiæ ipsius.

11. Sequitur sextò contra Scotum, ideam non posse constitui in ipso esse cognito & objectivo creaturarum: nam implicat, ut DEUS accipiat finem, regulam, & mensuram suæ operationis extra se ab aliquo creato; sed idea est finis, mensura, & regula artificiosæ operationis: ergo implicat, ut DEUS ideam habeat extra se: atqui esse objectivum creaturæ est esse creatum extra DEUM. ergo. Audi Angel. Doct. q. 3. de ver. a. 1. in c. ita loquentem: *non est autem conveniens ponere DEVM agere propter finem alium à se & accipere aliunde, unde sit sufficiens ad agendum, ideo non possumus ponere ideas esse extra DEUM, sed in mente Divina tantùm.* Nec aliter D. August. in l. 83. qq. q. 46. *Has autem* (ideas) *ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? non enim extra se quicquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegium est.*

Confirmatur ex præcitatâ doctrina S. Th. DEUS à nullo creato potest recipere sufficientiam ad agendum; sed ideale exemplar est forma, quâ artifex fit sufficienter potens agere artificiosè; quemadmodum per formam naturalem agens naturale fit sufficienter potens agere naturaliter: ergo nihil creatum potest respectu DEI habere rationem ideæ.

12. Sequitur septimò. Cognitionem Divinam non habere rationem ideæ, contra Granado & Suarez pro se referentes D. Bonavent. in 1. dist. 35. q. 1. a. 1. Ita sentit Doctor Angel. hîc a. 1. ad 3. dicens: *idea in DEO nihil est aliud, quàm DEI essentia.* & a. 2. ad 2. discrimen assignans, cur dentur plures ideæ, non autem plures sapientiæ, vel artes in DEO? *quia, inquit, sapientia & ars significantur, ut quo DEUS intelligit, sed idea, ut quod DEVS intelligit: DEVS autem uno intellectu intelligit multa.* ex quo subsumitur: sed cognitio Divina non significatur ut quod à DEO intelligitur, sed ut quo DEUS intelligit: ergo cognitio Divina non habet rationem ideæ.

Præterea. Idea est forma, ad quam respiciens artifex aliquid ad ejus instar operatur: atqui cognitio non est talis forma, ad cujus imitationem artifex DEI sapientia operatur: est quippe forma, quâ artifex ideam contemplatur; non quæ ejus aspectui ad illam extrinsecùs imitandam objicitur.

13. Sequitur octavò. Rectè dici, quòd omnia creata apud DEUM, & in DEO vivant. Ita canit Ecclesia in officio Defunct. *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Idque D. Augustinus colligit ex illo Jo. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ratio ibidem à S. Patre insinuata est, quòd omnes creaturæ relucent in essentia & ideis Divinis ut cognitæ: sed essentia Divina repræsentans creaturas est per essentiam vita: ergo omnes creaturæ in essentia divina ipsas repræsentante & ideante sunt vita. *Facta est terra*, inquit S. P. *Sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est; hæc est vita. Ergo quod factum est, in illo vita est. Attendite arcam in arte, & arcam in opere: arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit in artificis anima.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies pro Scoti sententia. Idea est forma, ad quam respiciens artifex operatur: sed creatura cognita, seu esse objectivum & cognitum creaturæ, est illa forma & ratio, ad quam DEUS respiciens illam ad extra producit, nam DEUS v. g. lapidem à se ab æterno cognitum intuens, eundem in tempore ad extra producit: ergo idea in Divino intellectu aliud non est, quàm ipsa creatura in esse cognito existens. 14.

Respond. disting. maj. ad quam ut efficiendam respiciens artifex operatur, nego maj. ad quam ut imitandam & exemplandam respiciens artifex operatur, conc. maj. sed DEUS efficit creaturam, illius esse objectivum in suo Divino intellectu respiciens, ut efficiendum, conc. ut imitandum & exemplandum, nego min. & consequentiam. Non igitur sufficit ad rationem ideæ, quòd sit forma quam respiciat artifex operans; aliàs quippe creaturæ *dici* possent ideæ Verbi Divini, siquidem DEUS cognitione omnium creaturarum possibilium producit Verbum: sed requiritur insuper, quòd illa forma sit agenti mensura, regula, & ratio, ut ad ejus imitationem artificiosus operans externum effectum producat, quod non alicui creaturæ, sed increatæ DEI (imitabilitas enim passiva est distinctivum formale ideæ ab aliis formis) essentiæ potest competere.

Objicies secundò. Idea debet habere similitudinem cum suo ideato; sed essentia divina non potest habere similitudinem cum creaturis, cùm easdem non nisi eminenter contineat: ergo nequit habere rationem ideæ respectu creaturarum. 15.

Resp. debet habere similitudinem vel formalem, vel eminentialem, conc. tantùm formalem nego. item debet habere similitudinem vel analogicam, vel univocam, conc. tantùm univocam, nego. Sed Divina essentia non habet similitudinem cum creaturis, univocam, conc. analogicam, nego. formalem conc. eminentialem, nego. min. & conseq.

Objicies tertiò. Si Divina essentia haberet rationem ideæ, non essent plures, sed una solùm idea creaturarum, consequens est contra SS. PP. & communem Theologorum: ergo & antec. sequela probatur. Nihil in DEO est multiplicabile præter relationes; sed ideæ non pertinent ad relationes: ergo si illæ sunt intrinsecè in DEO, hoc ipso non sunt multiplicabiles. 16.

Confirmatur. Sapientia & ars non multiplicantur in DEO; ergo neque idea, cùm omnes

ista

ſitæ rationes identificentur cum Divina eſſentia, & ad lineam intelligibilem pertineant.

Reſp. nego ſequelam ejúsque probationem diſtinguo: Nihil eſt multiplicabile præter relationes, formaliter, conc. virtualiter nego. Si dicas: quæ pertinent ad eandem lineam ſub eodem objecto formali, non multiplicantur virtualiter; ſed omnes ideæ conveniunt ſub eadem formali ratione in linea intelligibilitatis Divinæ: ergo non multiplicantur virtualiter.

Reſp. quæ pertinent ad eandem lineam &c. non multiplicantur virtualiter, intrinſecè conc. extrinſecè, nimirum per connotationem ad creaturas in particulari aliter & aliter imitantes & participantes Divinam eſſentiam, ſic nego.

Ad confirmationem aſſigno paritatem ex S. D. loco cit. quòd ſapientia & ars in DEO ſe habeant, ſicut principium quo DEUS intelligit; adeóque ſe tenet ex parte ſubjecti, & exprimit unitatem; atque idea eſt, quod DEUS ut diverſimodè imitabile intelligit, ideóque ſe tenet ex parte objecti per modum prototypi, multiplicabilis juxta connotationem plurium objectorum per ideas extrinſecè ſpecificabilium, unde idea non habet rationem attributi.

ARTICULUS IV.

In quo medio DEVS cognoſcat creaturas?

SUMMARIA.

1. *Cognoſci creaturas à DEO ſecundùm formale eſſe ipſarum probatur authoritate.*
2. *Evincitur ex ratione Divinæ providentiæ & ſcientiæ comprehenſivæ.*
3. *Exponitur authoritas Hieronymi apparenter contrarii.*
4. *Cenſura oppoſitæ ſententiæ.*
5. *An non entium ſit cognoſcibilitas?*
6. *Rejicitur eſſe anticipatum creaturarum Henrici.*
7. *Et eſſe diminutum Scoti.*
8. *Creaturæ poſſibiles habent cognoſcibilitatem in virtute cauſæ.*
9. *Realitas eſſentiæ poſſibilibus competit actu cognitionis Divinæ & logicè in actu ſignato.*
10. *Cognoſcens ſit idem cum objecto cognito per propriam quidditativam ſpeciem, non quomodocunque.*
11. *Ex cognitione infinitorum poſſibilium non ſequitur numerus infinitus actu.*
12. *Varia Authorum placita de modo cognoſcendi creaturas.*
13. *Non cognoſcuntur immediatè in ſe ipſis.*
14. *Authoritates PP.*
15. *Ratio prima ex natura intellectionis.*
16. *Ratio ſecunda, quia forent objectum motivum Divinæ cognitionis.*
17. *Ratio tertia, quia non eſſet modus cognitionis perfectiſſimus.*
18. *Ratio quarta à paritate Theologiæ & virtutum Theologicarum.*
19. *Ratio quinta à paritate voluntatis Divinæ.*
20. *Rationes pro eſſentia, tanquam medio cognito.*
21. 22. 23. *Oſtenditur neceſſitas negandi medium incognitum.*
24. *Quænam cognoſcibilitas creaturarum ſubſiſtat in DEO?*
25. *Diſparitas ad inſtantiam intellectûs Angelici & humani.*
26. *Cognitio creaturarum in ſe ipſis non eſſet tantùm imperfecta negativè, ſed privativè.*
27. *Eliditur inſtantia de inæqualitate linearum.*
28. *Diſparitas inter producibilitatem & cognoſcibilitatem creaturarum.*
29. *Non eſt idem creaturas videri ſecundùm eſſe proprium, & videri in ſe ipſis.*
30. *Exponitur authoritas objecta Doct. Angelici.*
31. 32. *Solvuntur inſtantiæ de comprehenſione ſolis & intellectûs Angelici.*
33. *Quænam univerſalitas cauſet confuſionem cognitorum.*
34. *Datur malorum cognitio in DEO.*
35. *Eſtq; de perfectione Divinæ ſcientiæ.*
36. *Cognoſcuntur in formis oppoſitis.*
37. *Quomodo cognoſcantur entia rationis?*
38. *Expediuntur duæ objectiunculæ.*

§. I.

DEVS cognoſcit omnes creaturas ſecundùm eſſe proprium ipſarum.

CErtum eſt, omnes creaturas tam poſſibiles, quàm actuales non tantùm cognoſci à DEO ſecundùm eſſe eminentiale, & ideale, quod habent in DEO, eſtque ipſa increata DEI eſſentia; ſed etiam ſecundùm eſſe formale & proprium ipſarum, quod vel habere poſſunt, vel habent aliquando in propria menſura: ita enim clarè docet S. textus Hebr. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Gen. 1. *Vidit DEVS cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Prov. 16. *Ecce cælum & cæli cælorum, & abyſſus, & univerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius, &c.* 1.

Cùm igitur verba ſcript. in proprio ſenſu ſint accipienda, ubi nullum obſtat inconveniens, imò ſumma militat convenientia: ejuſmodi cognitio creaturarum, quâ proprium, formale, & particulare cuiuslibet eſſe attingat, nullatenus eſt DEO ſubtrahenda.

Ratio eſt primò. Quæcúnque ſubſunt divinæ Providentiæ, requirunt diſtinctam ſui cognitionem: ſed omnes creaturæ actuales ſubſunt divinæ providentiæ ſecundùm eſſe ſuum proprium: ergo etiam ſecundùm eſſe proprium debent cognoſci: cúmque hæc cognitio nullam dicat imperfectionem, ſed meriſſimam perfectionem, DEO neceſſariò eſt tribuenda. 2.

Secundò. Cognitio comprehensiva causæ attingit omnia ad quæ se virtus causæ extendit, quæque in illa vel formaliter vel eminenter continentur, sed DEUS comprehendit suam omnipotentiam, quæ est causa omnium creaturarum in ipsa secundùm proprias rationes contentarum: ergo eriam suâ cognitione attingit omnium creaturarum esse secundùm proprias rationes ipsarum.

3. Nec obstat textus Hieron. in illud Hab. c. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* ubi dicit S. P. *Absurdum est ad hoc DEI deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotq; moriantur, &c* Optime enim S. Patrem exponit Mag. in 1. d. 39. §. 4. Nequaquam tanti Doctoris mentem esse, quòd nullam Divina sapientia notitiam habet rerum quarumlibet minimarum, quam & fides docet, & ratio: sed quòd irrationales creaturas non respiciat illâ speciali providentiâ ordinativa mediorum tum sufficientium tum efficacium in finem beatitudinis adipiscendæ, quâ DEUS respicit creaturas rationales. quo sensu D. Th. inf. q. 22. a. 2. ad 5. expoſuit illud Apostoli 1. Cor. 9. *Nunquid de bobus cura est DEO.*

4. Oppositam sententiam, quæ non nisi confusam creaturarum possibilium cognitionem DEO permittit, & Aureolo tribuitur, saltem erroneam, vel errori proximam censet Godoyus cum aliis Theologis, eò quòd adversetur evidenti discursui, & conclusioni deductæ ex una præmissa de fide & altera lumine naturali notâ; nempe *perfecta providentia creaturarum requirit* distinctam notitiam illarum in particulari: (en! propositionem lumine naturali notam.) *Sed DEVS habet infinitè perfectam providentiam omnium creaturarum:* (en! propositionem fide certam) ergo DEUS habet distinctam notitiam omnium creaturarum in particulari.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. OBjic. primò. Quod in se actu non est, non est actu cognoscibile, sed creaturæ possibiles in se actu non sunt: ergo non sunt in se actu cognoscibiles. Major constat, quia cognoscibilitas est passio entis; quod ergo in se nihil est, in se quoque non est cognoscibile. Minor pariter videtur esse certa: nam sicut futura non habent esse, nisi in determinatione causæ; sic possibilia non habent esse nisi in potentia & virtute causæ.

6. Ad hanc objectionem Respondebat Henricus. quodl. 8. q. 1. & 9. quamvis creaturæ possibiles non habeant existentiam, habere tamen ab æterno verum aliquod esse reale, ratione cujus cognosci queant, quæ tamen sententia, si de esse physico loquatur, tanquam dissona principiis fidei, quibus docemur, omnia liberè & in tempore à DEO producta fuisse, passim Theologorum censuris vapulat.

7. Mitior est responsio Scoti in 1. d. 35. & 36. ac alibi, ejúsque sequacium, distinguentis minorem propositionis: creaturæ possibiles in se actu non sunt secundùm esse physicum & perfectum, conc. secundùm esse diminutum, sive cognitum, secundùm quod producitur ab intellectu divino in secundo instanti, in quo ipsas possibiles creaturas cognoscit, negat. Quod esse diminutum ajunt medium esse inter ens reale & rationis, & participare de utroque, de ente reali, cum quo convenit in non repugnantia ad existendum, de ente rationis, cum quo convenit in negatione physicæ realis existentiæ. Sed & ista responsio magis intricat, quàm extricat difficultatem, siquidem aliquod esse plus quàm objectivum veréque efficienter productum intelligat: cùm enim illud esse cognitum habeat pro forma denominanre divinam cognitionem, quomodo potest esse productum, cùm forma denominans sit essentialiter improducta? si verò aliud non velit, quàm quòd creaturæ possibiles in secundo instanti intellectionis divinæ ab eadem denominativè promanent, & constituantur in esse cogniti, planè nobiscum sentiunt, nec nisi in modo loquendi differunt, prout subtiliter advertit Illustrissimus Reding q. 5.

Conformiùs ad mentem S. D. Respondeo negando maj. & ad ejus probationem dico, eo modo aliquid cognosci, quo modo habet esse: si ergo esse tantùm habet in causa, etiam tantùm cognosci potest in causa: sic futura (ut infrà dicemus) quia tantùm habent esse in determinatione causæ, etiam secundùm esse suum formale cognoscibilia sunt in determinatione causæ; possibilia quia tantùm habent esse in virtute causæ, cognoscibilia sunt in virtute causæ. Cùm proinde virtus Divinæ essentiæ & omnipotentiæ in se eminentissimè contineat omnes creaturas possibiles secundùm omnia sua prædicata formalia, specifica & individualia, illa pariter secundùm hæc prædicata formalia & particularia in sua essentia ceu causa cognoscit, ut mox dicetur. Ita insinuat S. D. hîc q. 14. a. 9. ad 1. dicens: *dicendum, quòd secundùm quod sunt in potentia, sic habent veritatem, ea quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia, & sic sciuntur à DEO.* Item q. 2. de ver. a. 3. ad 12. *Dicendum, quòd quamvis cognitio non sit nisi entis, non tamen oportet, quod illud, quòd cognoscitur, sit tunc ens in sui natura, quando cognoscitur, &c.* 8.

Sed dices: Creaturæ possibiles actu objiciuntur Divinæ cognitioni secundùm esse suum proprium formale, distinctum ab esse & virtute Divinæ omnipotentiæ; ergo competit ipsis ab æterno actu aliquod esse reale distinctum à virtute causæ, quocirca Philosophi dicunt, essentias rerum esse ab æterno; verum quippe est ab æterno, quòd homo sit ens, animal &c. & hæc veritas non est ab æterno in potentia, sed actu; præscindit enim ab existentia, & solùm nominat realitatem essentiæ, quæ est necessaria, æterna, immutabilis. 9.

Resp. concesso anteced. distinguo consequens: ergo competit ipsis actu divinæ cognitionis & artis ideantis talem veritatem, aliquod esse actuale, conc. independenter ab illa cognitione ideante, nego consequentiam, vel subdistinguo consequens: competit esse reale secundùm realitatem essentiæ logicè, & in actu signato, conc. secundùm realitatem existentiæ physicè, & in actu exercito, sic nego.

Objic.

10. Objic. secundò. Si DEUS cognosceret creaturas secundùm proprium esse ipsarum, tunc sequeretur, quòd DEUS in esse intelligibili fieret creatura; imò cùm DEUS cognoscat etiam negationes, & peccata, sequeretur, quòd DEUS in esse intelligibili foret non ens, peccatum, &c. sed hæc horret auditus, ergo. Sequela deducitur ex antiquo Philosophorum præsertim apud Thomistas axiomate, quòd anima cognoscendo fit ipsum cognitum in esse intelligibili & repræsentativo.

Resp. negando sequelam. nam sensus axiomatis Philosophici ad summum procedit, quando objectum cognoscitur per propriam speciem quidditativam, quæ est forma intelligibilis ipsius objecti, & cùm cognoscitur per modum objecti primarii & motivi, non cùm cognoscitur per modum objecti secundarii, materialis & purè terminativi, atqui, ut statim dicetur, creaturæ possibiles cognoscuntur à DEO non per propriam sui speciem, sed in essentia Divina tanquam causa, & medio priùs cognito; negationes verò & peccata non nisi in formis oppositis cognoscuntur: ergo non sequitur, quòd DEUS recipiat denominationem ab istis objectis cognitis.

11. Objicies tertiò. Si DEUS cognosceret omnes creaturas possibiles secundùm esse formale, & proprium ipsarum, daretur numerus infinitus actu: sed hoc repugnat meliori Philosophiæ. ergo.

Sequela probatur. Omnes creaturæ possibi in suo proprio esse sunt infinitæ, sed illæ omnes essent simul actu cognitæ, ergo daretur numerus & multitudo infinita actu.

Resp. vel negando consequentiam, quia tò *actu* in minore jungitur cum cognitione, in consequenti verò cum objecto cognito: vel gratis distinguendo min. sunt actu & simul cognitæ simultate & actualitate cognitionis, concedo. simultate & actualitate objecti cogniti. nego min. sicque distincto consequente nego consequentiam. Ita tametsi omnia futura in infinitum in æternitate DEI scientiæ visionis fiant præsentia, non sequitur, quòd constituant numerum infinitum actu, sunt enim præsentia non simultate & præsentialitate mensuræ propriæ & intrinsecæ, sed tantùm præsentialitate & simultate mensuræ extrinsecæ & alienæ, nempe æternitatis DEI, cui repugnat successio.

§. III.

Medium & modus cognoscendi creaturas.

12. Vidimus creaturas per Divinam scientiam cognosci, secundùm proprium suum esse; nunc supereſt controversia, quo modo, vel in quo medio DEUS suas creaturas, ceu artefacta à se liberè vel producenda, vel producibilia cognoscat? ubi diversa sunt authorum placita. Prima est sententia Ockami in 1. d. 35. q. 3. dicentis, DEUM cognoscere creaturas in se ipsis, non autem in sua essentia tanquam objecto primario & motivo cognitionis. Secunda Franc. de Lugo. d. 28. c. 4. n. 16. Ariagæ & plurium, quòd licèt DEUS in sua essentia & omnipotentia tanquam objecto primario & motivo videat creaturas, videat nihilominus etiam creaturas in se ipsis. Tertia est Vasq. & Amici d. 12. de scientia DEI n. 12. & aliorum. DEUM cognoscere creaturas in sua essentia, non tanquam in causa & medio cognito, sed tanquam in specie expressa & verbo essentiali communi tribus Personis. Quarta est communis Thomistarum, quòd DEUS creaturas non immediatè in se ipsis, sed in sua essentia, non tanquam specie, sed speculo, causa & medio priùs cognito cognoscat.

13. CONCLUSIO. *DEUS non potest cognoscere creaturas immediatè in se ipsis, sed mediate in se ipso tanquam medio & causa cognita.* Est expressa doctrina S. D. hîc q. 14. a. 5. in c. ubi dicit: Igitur dicendum est, *quod DEUS se ipsum videt in se ipso: alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso.* Quibus verbis etiam negat posse illas à DEO videri in se ipsis. Nam si tali modo possent cognosci, defacto cognoscerentur, cùm etiam juxta principium Adversariorum omni modo cognoscere creaturas, quo sunt cognoscibiles, pertineat ad infinitam perfectionem divinæ cognitionis.

14. Probatur primò authoritate SS. PP. Nam primò in ps. 101. dicitur: *DEUS prospexit de excelso sancto suo*, hoc est, exponente S. D. in 1. contra gent. c. 49. *quasi de se ipso excelso omnia videns.* Secundò D. Dionysius ibidem relatus c. 7. d div. nom. *divina mens ratione illâ, quâ causa est omnium, scientiam in se omnium complectitur.* Item, quòd *ex se ipsa, & in se ipsa secundùm unicam causæ præstantiam omnia cognoscit.* Rursus: *Non secundùm visionem singulis se immittit; sed secundùm causæ continentiam scit omnia.* Et infrà. *DEUS ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitiâ, sed sui.* Tertiò D. Augustinus 4. Gen. c. 29. dicit creaturas videri in Verbo, *tanquam in eo, per quod factæ sunt.* Et l. 5. c. 16. *DEUS creaturas non videret, nisi haberet*, hoc est, nisi illas contineret, sicut causa continet effectum. Et 11. de Civ. c. 7. dicit, creaturas in DEI sapientia cognosci, *tanquam in arte, per quam factæ sunt.* Item hoc a. 5. ad 3. relatus à S. D. dicit: *neque quicquam DEUS extra se ipsum intuetur*, quod exponit Angel. D. *non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se intueatur, sed quia id, quod est extra ipsum, non intuetur, nisi in seipso, ut dictum est.*

15. Prima pars assertionis probatur ulteriùs ratione primò: ut creaturæ immediatè cognoscerentur in se ipsis, deberent vel ipsæ per se vel per aliquam speciem propriam creatam conjungi cum intellectu divino; sed utrúmque implicat, ut per se clarum est ex simplicitate & infinita actualitate DEI. ergo. Sequela majoris patet, & supponitur ex Philosophica doctrina, quòd ad omnem intellectionem requiratur unio intelligibilis cogniti cum cognoscente.

16. Secundò. Si creaturæ immediatè cognoscerentur in se ipsis, pertinerent ad objectum motivum, formale, & specificativum divinæ cognitionis: sed hoc est absurdum, quia ut argumentatur S. D. cit. 1. contra gentes. c. 48. divina cognitio nobilitatem & speciem acciperet ab aliquo creato, tanquam pertinente ad formale objectum ipsius, objectum enim formale à scientia distinctum dat ipsi

ipsi esse, quoad specificationem, si quidem ex objecto & potentia notitia paritur. Sequela probatur inductione aliarum cognitionum, quæ specificantur ab objecto immediatè cognito: tum quia illud est objectum formale & motivum, quod per se primò & ratione sui attingitur, sed creaturæ immediatè visæ in se ipsis attingerentur per se primò & ratione sui, quia non attingerentur ratione alicujus alterius mediantis ergo.

17. Tertiò. Modus perfectissimus cognoscendi creaturas DEO convenit: sed modus creaturas in se ipsis cognoscendi, non est modus perfectissimus, quia modus ipsas videndi in sua essentia, tanquam medio infinitè nobiliori est nobilior & perfectior. ergo.

Atque ideo licèt anima Christi & Angeli beati præter matutinam cognitionem, quâ creaturas in DEO vident, etiam cognitione vespertinâ videant eas in se ipsis, hoc tamen DEO convenire nequit, in quo modus minùs perfectè cognoscendi repugnat, qui non repugnat in creaturis.

18. Quartò probatur duplici paritate. Primò virtutes Theologicæ uti & ipsa Theologia non possunt pro suo objecto motivo immediato & formali habere aliquid creatum: ergo multò minùs intellectus divinus. consequentia patet, quia istæ virtutes sunt participationes divini intellectûs & voluntatis.

19. Præterea. DEUS *nihil aliud à se vult, nisi ratione suæ bonitatis*, inquit S. D. infrà q. 19. a. 2. ad 3. ergo etiam nihil aliud à se intelligit, nisi ratione suæ essentiæ. Ideoque S. D. loco cit. ad 2. dicit: *sicut DEVS alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam, ita alia à se vult, volendo bonitatem suam.*

§. IV.

Altera pars assertionis demonstratur.

20. Dicit altera pars nostræ assertionis, creaturas à DEO cognosci in suamet essentia, non tanquam medio incognito, & exercente rationem speciei intelligibilis, sed in ipsa tanquam in causa & medio cognito habente rationem speculi intelligibilis. Hoc sanè probant authoritates in priori §. productæ. Quibus à ratione pondus accedit.

Primò. Eo modo DEUS in se cognoscit creaturas, quo modo continet, sed continentur eminenter in DEO tanquam in causa, ergo ipsas cognoscit in se, tanquam in causa.

Secundò. Qui comprehendit causam, videt etiam effectus in causa, sed DEUS videndo suam essentiam comprehendit causam omnium creaturarum; ergo etiam videt omnes creaturas in sua essentia tanquam in causa.

Tertiò. Sapientia est cognitio rerum per causam altissimam; scientia DEI est sapientia: ergo est cognitio creaturarum per causam altissimam; non aliam utique, quàm ipsammet essentiam.

Quartò. Necesse est, ut DEUS cognoscat creaturas modo nobilissimo cognoscendi; sed illas cognoscere per suam essentiam est modus cognoscendi nobilissimus, quia quantò præstantius est medium cognitionis, tantò præstantior est cognitio & scientia; ergo DEUS necessariò cognoscit creaturas per suam essentiam.

21. Nihilominùs dices: Omnino cognitionem creaturarum per essentiam ceu medium nobilissimum esse perfectissimam; non tamen hinc probari, quòd essentia debeat esse medium cognitum in ratione causæ. Ideo Ratio est quinto. Essentia divina non alio modo potest esse medium creaturas cognoscendi, quàm per modum causæ ergo DEUS non aliâ ratione potest videre creaturas in sua essentia, quàm ut in causa. Antecedens probatur primò.

Quandocunque objectum in alio repræsentatur, vel repræsentatur propter similitudinem formalem, quo modo species intelligibilis repræsentat, vel propter dependentiam, quo modo relatio terminum, effectus causam manifestat, vel propter continentiam virtualem, quo modo causa repræsentat effectum: sed essentia divina non habet similitudinem formalem cum creaturis, aliàs prædicata & perfectiones secundùm quid rerum creatarum formaliter essent in DEO; ipsa quoque Divina essentia in repræsentando mensuram acciperet à creatis objectis, sicuti species intelligibiles mensurantur extrinsecè ab objectis. Neque habet dependentiam, ut per se patet: superest ut tertio modo nempe per modum continentiæ virtualis repræsentet.

22. Ratio est secundò. Si Divina essentia repræsentaret creaturas per modum speciei intelligibilis earundem, adeóque per modum *medii quo cognoniti*; non per modum *medii quod, & cogniti*, tunc creaturæ cognoscerentur in se ipsis: consequens jam fuit impugnatum; ergo & antecedens. Sequela est S. Doctoris, nam ut habet q. 2. de ver. a. 2. ad 2. *Tunc res cognoscitur in se ex parte cognoscentis, quando per suam propriam speciem cognoscitur; in alio verò, quando per speciem alterius*, sed tunc creaturæ cognoscerentur per essentiam Divinam, non tanquam speciem alterius, sed tanquam per propriam speciem intelligibilem, ergo cognoscerentur in se ipsis. Ex quo sequitur ulteriùs, creaturas fore objectum Divinæ scientiæ æquè motivum ac per se terminativum, ac est ipsa essentia: quia essentia non minùs per modum speciei intelligibilis & medii incogniti manifestaret immediatè creaturas, quàm se ipsam: sicuti ergo lumen & color per se primò sunt objectum visus, quia utrumque nullo mediante à viso attingitur; sic pariter tam creaturæ, quàm divina essentia essent objectum primarium Divini intellectûs, quia utrumque immediatè attingeretur.

Confirmatur ex dictis. Videre creaturas per ipsam essentiam ut medium cognitum est major perfectio, quàm si viderentur per ipsam ut medium incognitum (præscindendo ab imperfectionibus jam insinuatis) ergo hoc ipso DEUS non aliter videt creaturas in sua essentia, quàm ut in medio cognito.

§. V.

Solvuntur objectiones.

24. Opponunt Adversarii contra primas rationes in defensionem nostræ assertionis adductas. Intellectûs Divini infinitudo postulat, ut non tan-

tantùm cognoscat objectum, sed omni modo, quo cognoscibile est: sed creaturæ sunt etiam cognoscibiles in se ipsis; ita namque nostram, & Angelicam scientiam terminant. ergo licèt illas DEUS in sua essentia videat, tamen debebit ipsas pariter cognoscere in se ipsis. Rationes porro objecti motivi, specificativi, quæ obstare videntur, facile removeris, si dicas, eas omnes tantùm habere locum in objecto creato; in increato autem intellectu, qui à se est intelligens, nihil esse motivum, specificativum, mensurans, &c.

Resp. Infinitudo Divini intellectûs postulat, ut cognoscat creaturas omni modo cognoscibilitatis non involvente imperfectionem, conc. involvente imperfectionem, nego: hoc ipso quippe, quòd imperfectionem involvit, non cadit in DEUM.

25. Unde nulla est instantia petita à nostra & Angelica scientia, quas constat ab omni imperfectione non absolvi. De cætero verum quidem est, rationes objecti motivi, & specificativi, secundùm imperfectiones extrinsecè mensurantis, & habitudinem intrinsecam terminantis, aut formaliter moventis (quæ imperfectiones objecta cognitionis creatæ tantùm comitantur) in DEO, qui est à se intelligens, non reperiri. Ex hoc ipso tamen sequitur, nullam creaturam ad primarium & formale objectum ipsius pertinere, neque adeo immediatè in se cognosci posse: quia daretur aliquod ens creatum extrinsecè mensurans & specificans Divinam cognitionem.

26. Dices: Hanc cognitionem non fore imperfectam, sed tantummodò minùs perfectam positivè *vel* privativè; sic enim constat, quòd lineæ duarum perfectionum & attributorum inter se virtualiter distinctæ dicant inæqualem perfectionem. Sed contra est, quòd hæc cognitio esset minùs perfecta & imperfecta positivè: quia in propria linea non habere summam & actualissimam illius lineæ perfectionem est positiva vel potiùs privata imperfectio; sed cognitio creaturarum in se ipsis non haberet summam perfectionem in linea scientiæ: ergo esset imperfecta etiam positivè.

27. Ex quo patet responsio ad instantiam. Nam licèt una linea exprimat in suo formali conceptu majorem perfectionem, quàm altera: sicut linea intellectiva est magis perfecta præcisivè & negativè quàm altera, quælibet tamen linea in suo conceptu dicit summam & infinitam illius lineæ actualitatem.

28. Instabis. Creaturæ possibiles sunt in se ipsis immediatè producibiles per omnipotentiam divinam; ergo etiam in se ipsis immediatè sunt cognoscibiles per scientiam divinam: neque enim major est ratio, cur creaturæ in se ipsis immediatè terminent divinam omnipotentiam, quàm omniscientiam.

Resp. nullam esse paritatem, nam effectus non est motivum productionis; neque concurrit ad sui productionem, sed est purus terminus: econtrà objectum immediatum cognitionis concurrit tanquam motivum ad sui cognitionem: nam ex potentia & objecto paritur notitia; omnipotentia operatur ad extra, scientia ad intra.

29. Objicies secundò. Si DEUS creaturas cognosceret in sua essentia tanquam in causa; non videret illas secundùm esse proprium & formale ipsarum, sed hoc est contra nostram hypothesin. ergo.

Sequela probatur: quia si viderentur in DEO ut in causa, tunc viderentur quo modo continentur in ipso: atqui non continentur formaliter, sed eminenter; ergo non videntur formaliter.

Resp. Aliud esse, videri creaturas secundùm esse formale & proprium, aliud verò ipsas videri immediatè in se ipsis. Primum supponimus, alterum negamus. Unde nego sequelam, & ad probationem distinguo minorem: non continentur formaliter, *ly formaliter* accipiendo ex parte medii, conc. ex parte objecti nego, ergo non videntur formaliter, ex parte medii, quasi nimirum ipsum medium, quod est divina essentia, esset similitudo formalis objecti concedo, ex parte objecti, quasi non videatur esse formale objecti secundùm omnes suas etiam individuales rationes in divina essentia eminenter contentum, nego conseq.

30. Sed objicies tertiò ipsius Angelici Doctoris authoritatem infrà q. 20. a. 2. ad 2. dicentis: *DEVS cognoscit res in propriis naturis, sicut & nos per similitudines rerum, quæ in nobis sunt, cognoscimus res in se ipsis existentes.*

Resp. sensum esse, quòd sicut nos cognoscendo res per proprias species, adeóque in se ipsis, cognoscimus, quicquid est in propria earum natura, sic DEUS cognoscendo illas non per proprias species, sed in sua essentia, nihilominùs cognoscat, quicquid est in earum natura, & ita DEUS cognoscit res in earum naturis ex parte objecti & cogniti, hoc est cognoscit secundùm ipsarum naturas & esse proprium; non cognoscit illas in propriis naturis ex parte sui vel medii, hoc est pro medio & motivo cognoscendi non habet ipsarum naturas vel speciem propriam ipsarum.

Ita se exponit ipse S. D. q. 2. de ver. a. 2. ad 2. ubi dicit, rem aliquam dupliciter cognosci posse in se ipsa; nimirùm ex parte cognoscentis, & ex parte cogniti. Tunc cognoscitur in se ex parte cognoscentis, quando per suam propriam speciem cognoscitur; tunc verò ex parte cogniti res cognoscitur in se, quando cognoscitur esse, quod habet in propria natura.

31. Objicies quartò. Si propter comprehensionem suæ essentiæ tanquam causæ DEUS creaturas videret secundùm formale & proprium esse ipsarum, sequeretur primò, quòd qui comprehenderet naturam solis, hoc ipso comprehenderet etiam omnia sublunaria, utpote contenta in virtute solis tanquam causæ universalis: Secundò, quòd Angelus comprehendendo suum intellectum comprehenderet etiam omnes suas cognitiones & cogitationes possibiles, adeóque etiam omnia objecta illarum, quæ sunt infinita, utrumque est inconveniens. ergo.

Respondeo nego utramque sequelam, & ad 1. disparitas est, quòd sol sit causa universalis limitata, cujus causalitas non pertingit ad ultimum gradum individualitatis rerum sublunarium: essentia autem divina est causa universalis illimitata, à qua res omnes secundùm universalissimam rationem entis ultimásque individuales differentias dependent.

32. Ad secundam sequelam est disparitas, quòd in-

tellectus Angeli non est causa proximè completa ad omnes suas possibiles cognitiones; econtra essentia divina est causa proximè completa ad producendas & cognoscendas omnes creaturas tam possibiles, quàm actuales.

33. Instabis. Medium universale nihil distinctè & in particulari, sed confusè tantùm, & in universali repræsentat; sed essentia DEI respectu creaturarum esset medium universale; ergo ipsas tantùm confusè & sub aliqua communi ratione repræsentaret.

Resp. quod est medium universale, universalitate abstractionis & confusionis, non nisi confusè & in universali repræsentat, conc. quod est universale universalitate causalitatis & eminentialis continentiæ, nego maj. sicque distinctâ minore, nego consequentiam.

§. VI.

Cognitio malorum, privationum, negationum.

34 CErtum est scientiam divinam etiam ad mala, miserias, infirmitates, mortem, peccata extendi; nam ita de malis naturæ dicitur sap. 8. *Monstra scit, antequam fiant*: de malis pænæ Prov. 15. *Infernus & perditio coram eo*: de malis culpæ ps. 66. *delicta mea à te non sunt abscondita.* Deut. 32. *nonne hæc condita sunt apud me.* Job. 14. *signasti quasi in sacculo delicta mea.* Cùm ergo dictum sit, DEUM alia à se cognoscere in sua essentia, & hæc objecta nullo modo in divina essentia tanquam causa contineri possint, difficultas est, quo modo à divina scientia certò cognosci possint.

35. CONCLUSIO. *Quamvis sit de perfectione divinæ scientiæ, ut cognoscat omnia mala* (2.) illa *tamen quà talia non cognoscit in sua essentia tanquam causa* (3.) sed per formas & bonitates oppositas cognitas in sua essentia tanquam causa. Ita S. D. a. 10.

Ratio primæ partis est, quòd cognitio malorum est cognitio veri; sed hæc pertinet ad perfectionem intellectûs & cognitionis: *neque enim bonum perfectè cognoscitur, nisi cognoscantur ea, quæ ipsi possunt accidere.* Sed bonis possunt accidere mala, per quæ corrumpantur: ergo DEUS perfectè & comprehensivè cognoscendo bona, etiam debet cognoscere mala ipsis opposita.

Et ideo DEUS debet inprimis cognoscere mala naturæ, quia hæc cadunt sub universalem DEI providentiam, tanquam provisoris naturæ. Mala verò pænæ & culpæ pertinent ad eundem, tanquam legislatorem, judicem & vindicem bona imperantem, ideòque mala prohibentem ac punientem.

Ratio secundæ & tertiæ partis est, quòd cùm 36. cognoscibilitas sit proprietas entis, privationes & negationes non sunt cognoscibiles nisi in formis oppositis; sicut per lumen cognoscuntur tenebræ: sed malum quà tale consistit in privatione bonitatis ut sic, ergo non nisi ratione bonitatis oppositæ cognosci potest. Sed neque divina essentia potest esse causa proxima ullius mali & privationis, tum quia mala & privationes non habent causam efficientem directam & proximam, tum quia licèt malum peccati consisteret in positivo, solùm haberet causam deficientem, non efficientem.

Videntur igitur mala, sicut etiam privationes, & negationes ratione creatæ bonitatis ceu formæ oppositæ, non quasi bonitas creata sit species, in qua DEUS malum videt, sed quia est objectum materiale, quod DEUS videndo in sua essentia tanquam causa indirectè attingit malitiam oppositam.

Colliges. Nec entia rationis à DEO cognosci 37. in sua essentia tanquam causa proxima, sed per actum nostri intellectûs cognitum in sua essentia tanquam causa. Ratio est eadem, quia nempe ens rationis propter suam imperfectionem à solo humano intellectu causari, & in ipso tanquam causa contineri & videri potest, ut aliunde suppono. Cognoscit ergo DEUS nostra entia rationis, quatenus in sua essentia tanquam causa comprehendit omnes nostras cogitationes, & *scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* ps. 93. adeòque videt, ad quænam objecta terminentur, ut sunt entia rationis, naturæ universales, conceptus præcisivi &c. unde etiam divina cognitio respectu talium objectorum non est practica, sed purè speculativa.

Objicies primò illud Abacuc. 1. *Mundi sunto 38. oculi tui, ne videant malum.* Secundò. Si DEUS cognosceret ens rationis, tunc faceret, quia ejus fieri est cognosci: sed non facit; ergo non cognoscit.

Resp. ad 1. Ibi negari tantùm scientiam approbationis, non aliam quamcunque. Ad 2. nego sequelã, & probationem distinguo: entis rationis fieri est cognosci cognitione practicâ, componente & combinante extrema incombinabilia conc. cognitione tantùm speculativa, illa ab intellectu humano combinata speculante, nego. priori modo homo, posteriori DEUS cognoscit ens rationis.

DISPUTATIO XII.

DE

Causalitate scientiæ Divinæ.

Ada. 8. q. 14.

POstquam illa expendimus, quæ ad ipsam quidditatem, modúmque Divinæ scientiæ pertinent, quo res creatas intelligit, & pro scientia futurorum fundamenta

menta iecimus, nunc etiam eius efficaciam, causalitatémque disquirimus, & primò an Divina scientia sit causa rerum non tantùm directiva, sed etiam effectiva? deinde quænam sit illa scientia? examinamus.

ARTICULUS I.

An scientia DEI sit causa rerum effectiva?

SUMMARIA.

1. *Certum est scientiam DEI causam esse rerum saltem directivam.*
2. *Vis effectiva scientiæ probatur ex script.*
3. *Et paritate Dictionis notionalis.*
4. *Ex causali D. Augustini.*
5. *Authoritate & rationibus Doct. Ang.*
6. *Causalitas competit scientiæ per conjunctionem cum voluntate.*
7. *Rejicitur potentia executiva distincta à scientia practica.*
8. *Exponuntur 2. textus S: Doct.*
9. *Quomodo efficere possit esse actus proprius potentia intellectivæ.*

§. I.

Asseritur Divinæ scientiæ causalitas.

1. CErtum est de fide, scientiam DEI aliquâ ratione esse causam rerum: ita enim ps. 103. *Omnia in sapientia fecisti &c.* Sap. 7. Eadem divina sapientia vocatur rerum *omnium mater, & artifex.* Itaque indubium est, Divinam scientiam tum ratione idearum, in quibus à creaturis est imitabilis, tum ratione artificiosæ directionis, quâ rebus omnibus modum finémque præscribit, & omnia *in numero, pondere, & mensura* disponit, ingenere causæ exemplaris & directivæ rerum omnium causam esse, neque agenti primo & perfectissimo alius operandi modus convenire potest, quàm cum consilio & artificiosa directione, ut proinde ad omne opus DEI aliqua Divinæ scientiæ causalitas concurrat. Controversia igitur est, an effectivâ quoque & physicâ causalitate practicâ DEI scientia in res scitas influat, quod tum demum fit, quando per actum imperii, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, immediatè operatur effectum. Ubi Recentiores communiter negativam, Thomistæ affirmativam tenent.

2. CONCLUSIO. est *affirmativa* & Probatur primò è S. Script. cujus verba, si cum proprietate accipiantur, (uti secundùm communem Theologorum regulam debent accipi, quamdiù nullum sequitur inconveniens) physicam causalitatem divinæ scientiæ tribuunt. ut Prov. 3. *Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cælos prudentiâ.* Et Sapient. 8. loquitur ipsa sapientia: *quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens,* Ps. 135. dicitur: *qui fecit cælos in intellectu. facere* autem, *componere, stabilire,* non solùm directionem, sed efficientiam sonant. Præcipuè verò ostenditur ex Gen. 1. ubi dixit DEUS: *fiat lux, & facta est lux, &c.* & sic de cæteris creaturis. Rursus Ps. 148. dicitur: *ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*: quorum utroque loco indicatur, *verbo, imperio, mandato* Domini omnia facta & producta esse. Subsumo: sed imperium, & mandatum est actus scientiæ practicæ DEI: est enim quædam intimatio, ordinatio, & locutio, quæ ad intellectum pertinet: ergo per actum practicæ scientiæ DEI facta sunt omnia.

Confirmatur. Quia Verbum in divinis *dicendo* producitur, ejus productio spectat ad intellectum: ergo etiam, quia creaturæ *dicendo* producuntur, earum productio pertinet ad intellectum: non enim minùs *dicere absolutum* est actus intellectûs, quàm *dicere notionale.* 3.

Secundò probatur ex illa celebri causali S. Augustini 5. de Trinit. hîc a. 8. relatâ à S. Doct. *universas creaturas spirituales & corporeas non quia sunt, ideo novit DEUS, sed ideo sunt, quia novit.* cui similia habet 11. de civ. c. 10. sed hæc causalis non esset vera, nisi scientia DEI esset causa rerum: de quo sequenti articulo plura. 4.

Tertiò probatur authoritate simul & rationibus S. D. inprimis hîc a. 8. *Scientia DEI est causa rerum, sicut scientia artifex est causa artefactorum;* sed ista non tantùm est directiva, sed etiam effectiva, *ars* enim dicitur *proprie loquendo, habitus operativus* (1. 2. q. 57. a. 3.) *& iste datur processus in productione artificiati* (inquit in 1. dist. 38. q. 1. a. 1. in c.) *Primò. Scientia artificis ostendit finem. Secundò voluntas ejus intendit finem illum. Tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus: circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam:* ponere autem formam, sive illam ultimatò inducere spectat ad causam efficientem. 5.

Secundò. Quæ habent convenientiam ad invicem (sicut in scientia reperitur convenientia cum scito) ita ad invicem comparantur, ut vel unum sit causa alterius, vel ambo ab una causa causentur, (ut habet S. Doct. q. 2. de Ver. a. 13.) atqui scientia DEI non est causata à rebus: cùm illa sit æterna, hæc in tempore cæperit; neque utrumque potest esse causatum ab aliquo tertio, cùm implicet aliquid divinum habere sui causam: relinquitur ergo, quòd ipsa DEI scientia sit causa rerum.

Tertiò. Si scientia divina non esset causa rerum, tunc in sua veritate formali mensuram acciperet, & dependeret à rebus. Consequens admitti nequit. ergo. Sequela probatur. Scientia, quæ suam certitudinem & veritatem formalem sortitur per commensurationem & adæquationem ad objectum, quia videlicet non ipsa sibi adæquat, & commensurat objectum, sed vice versâ adæquatur & commensuratur ipsi objecto; illa pro mensura

suæ

suæ veritatis & certitudinis habet objectum, & in ratione mensurati ab ipso dependet: at verò, si divina scientia non est causa rerum, non ipsa sibi commensurat & adæquat objectum; sed certitudinem & veritatem suam sortitur per sui commensurationem ad objectum, utpote cujus veritatem supponit; neque ideo res ita sunt, quia DEUS ita cognoscit; sed DEUS ita novit, quia ita sunt: ergo etiam in sua veritate ab objecto mensuratur, ab eóque dependet.

Certè ideo nostra scientia mensuram accipit à scibili, quia scibilium veritas objectiva prior est, quàm nostra scientia, eique præsupposita: neque ideo vera est scientia, quia res ipsi, sed quia ipsa *rebus consonat*, ut enim S. D. in 1. 2. q 93. a. 1. ad 3. *intellectus humanus est mensuratus à rebus, ut scilicet conceptus hominis non sit verus propter se ipsum, sed dicitur verus ex eo, quòd consonat rebus.* Erg. si divina quoque scientia scibilium veritatem præsupponeret, nec ipsam causaret, jam quoque veritas scientiæ mensuraretur à rebus: ideo namque res cognosceret quia sunt: ideo hoc non alio modo nôsset, quia ita, non aliter sunt; adeóque suæ veritatis perfectionem non à se, sed ab objecto haberet, quod dici non potest: ut enim Boët. 5. de consol. DEUS *præscientiam suam non à rebus creatis, sed à propria simplicitate fortitus est.*

6. Hæc ipsa tamen causalitas hucusque asserta divinæ scientiæ convenit ex conjunctione cum voluntate divina, ut S. Script. significat ad Eph. 1. dicens: DEUM *omnia operari secundùm consilium voluntatis suæ.* Ubi consilio, quod est actus intellectûs, jungitur voluntas. Et ratio est: quòd scientia divina ex se est indifferens, ut sit speculativa, vel practica, ut ponat, vel non ponat effectum, neque ex se habet formalem libertatem. Ut ergo potiùs sit practica, quàm speculativa, sitque libera rerum causa, indiget aliquo libero principio determinante & inclinante ad certum effectum, quod non est nisi divina voluntas, ceu primum movens & applicans, ac formalis ratio liberæ operationis quà talis.

Ideo si quando S. Script. productionem rerum divinæ voluntati adscribit, ut Apoc. 4. *per tuam voluntatem facta sunt omnia*, non ideo eandem productionem scientiæ subtrahit, quam aliis locis tribui supra vidimus, sed illud solùm significat, utrique potentiæ tribuendam esse effectivam rerum productionem; voluntati quidem ut primò determinanti; intellectui verò ut imperanti & exequenti.

7. Ex quo etiam capite superfluam censemus potentiam executivam ab intellectu & scientia practica DEI virtualiter distinctam: Tum quia in scripturis citatis immediata rerum productio divino imperio, quod est actus scientiæ practicæ, tribuitur, ut adeo post illum actum imperii nihil exequendum supersit: tum quia executiva, ut distincta à potentiis rationalibus, pertinet ad gradum sensitivum illius naturæ, quæ ex parte corporis difficultatem sentit ad obediendum rationis imperio, ut proinde virtute quâdam ministeriali indigeat, quâ illa difficultas superetur. Quod totum ob imperfectionem adjunctã à DEO exulat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OPponitur primò duplex authoritas D. Th. primò ex q. 2. de verit. a. 14. in c. ubi dicit: quòd *res non sint a DEO per scientiam, sed per libertatem voluntatis.* & q. 10. de verit. a. 3. in c. *præscientiam DEI non importare universaliter habitudinem causæ respectu eorum, quorum est, sicut prædestinatio.*

Respondeo. In priori loco mentem & sensum S. Doctoris esse, quòd res non causentur per scientiam DEI, ut præcisè scientia est, seclusâ nempe voluntate; sed ut est practica habens adjunctam voluntatem, & vocatur *scientia approbationis*, prout patet ex contextu & claro textu hoc a. 8. ad 3. quem seq. art. commodiùs referemus.

In secundo verò loco S. D. significat, præscientiam latiùs extendi, quàm prædestinationem: ista enim cùm tantummodò sit bonorum, semper dicit habitudinem causæ, ad omnia obiecta, quæ attingit; præscientia verò cùm sit etiam malorum, non dicit habitudinem causæ ad omnia objecta, ad quæ se extendit, sed tantùm ad bona, respectu quorum habet adjunctum positivum decretum DEI, ideóque est practica & scientia approbationis; respectu malorum verò tantùm est scientia speculativa, habens adjunctum tantummodò decretum permissivum.

Oppones secundò. Sicut actus proprius potentiæ effectivæ est efficere; sic proprius actus potentiæ intellectivæ est intelligere suum objectum; ergo sicut potentia effectiva non intelligit; sic intellectiva non efficit suum objectum.

Resp. disting. 1. membrum consequentis: potentia effectiva non intelligit, præcisè sub quâratione est effectiva, concedo, sub alia, nego: sic neque intellectus efficit præcisè sub qua ratione est speculativus & intellectivus, transeat; sub qua ratione est practicus, imperativus, & efficax, nego consequentiam.

ARTICULUS II.

Quænam DEI scientia sit causa rerum?

SUMMARIA.

1. *Explicatur divisio scientiæ in simplicis intelligentiæ, & visionis.*
2. *Est adæquata.*
3. *Una est abstractiva; altera intuitiva.*
4. *Scientia simplicis intelligentiæ est directiva & causativa rerum quasi in actu primo.*
5. *Sola scientia visionis est causa in actu secundo.*
6. *Responsio Adversariorum evertitur.*
7. *Quomodo rerum existentia pertineat ad objectum simplicis intelligentiæ?*
8. *Scientia quæ est causa rerum, est scientia approbationis.*
9. *Scientia debet cognoscere objectum, quod causat.*
10. *Actus imperii, quo creaturæ producuntur, pertinet ad scientiam visionis.*

11. *An-*

11. *Authoritates pro causali propositione*, ideo erunt creaturæ, quia DEUS scit.
12. *Eadem causalis est Doctoris Angelici.*
13. *Authoritas Origenis in oppositum soluta à S. Doctore.*
14. *Aliæ authoritates ex SS. PP. exponuntur.*
15. *Explicantur textus S. Doct.*
16. 17. *Est paritas, sed non adæquata inter scientiam DEI, & artificis creati.*
18. *Scientia visionis non supponit objectum.*
19. *Quomodo decretum efficax habeat existentiam pro objecto?*
20. *Non sequitur, DEUM esse causam malorum.*
21. *Neque sequitur tolli libertatem arbitrii.*

§. I.

Divisio in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis.

1. CElebris est divisio divinæ scientiæ, quâ absque aliqua intrinseca virtuali distinctione ex parte formalis objecti (ideóque servans rationem attributi) tantùm extrinsecè & connotativè ex parte materialium objectorum dividitur in scientiam *simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis*: quarum illa est scientia divina ut terminata ad quidditates possibiles, constitutas extra statum actualis existentiæ. Visionis dicitur eadem divina scientia, prout terminatur ad res ut habentes conjunctum exercitium existendi sive in propria, sive in aliena mensura æternitatis.

2. Hanc divisionem assero esse adæquatam, utpote desumptam ex membris contradictoriè oppositis, quæ medium non admittunt. Aut enim objecta sunt habitura existentiam, & sic terminant scientiam visionis, aut non sunt habitura existentiam, & sic terminant scientiam simplicis intelligentiæ.

3. Cæterùm proprietas scientiæ visionis est, quòd sit intuitiva, uti econtra simplicis intelligentiæ, quòd sit abstractiva. Ratio est, quia per hoc notitia intuitiva distinguitur ab abstractiva, quòd illa terminetur ad objectum ut extra causas existens, & præsens in aliqua duratione, ut enim S. D. q. 3. d. verit. a. 3. ad 8. *visio addit supra simplicem cognitionem aliquid extra genus notitiæ, quod est existentiare*: Atqui sola scientia visionis terminatur ad objecta existentia, sibique in mensura æternitatis præsentia; non autem scientia simplicis intelligentiæ: ergo illa est scientia intuitiva: (ex quo capite etiam vocatur scientia visionis) non autem ista.

His positis controvertitur: cuinam ex modò expositis scientiis competat efficacia causandi, an illi, quæ dicitur scientia simplicis intelligentiæ, vel potiùs alteri, quam vocamus scientiam visionis. quæ quidem controversia magni ponderis est in ordine ad sequentes quæstiones elucidandas. & pro scientia simplicis intelligentiæ pugnant Alensis, Richardus, & plerique Recentiores; pro scientia visionis schola Thomistica.

§. II.

Causalitas effectiva scientiæ visionis adstruitur.

4. CONCLUSIO. Etsi *scientia simplicis intelligentiæ* (1.) remotè & mediatè quasi in actu primo (2.) & directiva rerum causa dici possit; (3.) scientia tamen, quâ DEUS in actu secundo res omnes efficit, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis. Tam prima, quàm secunda pars ostenditur ratione S. Doct. scientia divina ita se habet in mente divina, sicut ars in mente artificis: sed ars in mente artificis prout antecedit determinationem propriæ voluntatis ad opus, ita tantùm est causa artefactorum virtute & in actu primo, concurrit quoque directivè ad opus artificiatum, ostendendo finem, & exhibendo ideam operis; ergo scientia divina ut antecedit Decretum voluntatis divinæ, sic est causa rerum directiva, & in actu primo.

5. Tertiæ partis ratio est primò. Illa scientia est causa rerum, quæ sequitur decretum divinæ voluntatis: atqui sola scientia visionis, non verò simplicis intelligentiæ, sequitur & præsupponit decretum divinæ voluntatis: ergo sola scientia visionis, non autem simplicis intelligentiæ scientia est causa rerum. Major est S. Doct. in 1. dist. 39. a. 1. ad 5. dicentis: *esse suum* (DEI) *non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ.* Et a. 3. ad 1. *scire Divinum respectu futurorum est subjectum libertati voluntatis.*

Constat etiam ex duplici capite: primò, quia scientia quæ est causa rerum, est scientia libera, cùm DEUS nihil necessariò ad extra operetur: sed scientia libera supponit decretum voluntatis divinæ, ceu primum liberum, & rationem omnis libertatis tam divinæ, quàm creatæ; ergo scientia, quæ est causa rerum, supponit Decretum divinæ voluntatis. Secundò: quia scientia practica, quæ est causa rerum, est scientia rerum existentium: sed ista supponit decretum divinæ voluntatis, quia ut in decursu pluribus patebit, existentia creata in esse sive præsenti, sive futuro dependet à determinatione divini decreti liberi, & ideo D. Th. de Verit. q. 2. a. 13. dicit: *Scientia DEI secundùm quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantum est existentium in præsenti, præterito, vel futuro.* ergo.

Minor principalis itidem probatur. Diversitas & divisio scientiæ in scientiam visionis & simplicis intelligentiæ accipitur ex objectis materialibus, quòd ista sit circa quidditates præscindentes ab exercitio existendi: illa verò circa res ut habentes exercitam existentiam; sed quidditates possibiles non supponunt decretum voluntatis, utpote necessariò connexæ cum omnipotenta divina & objectum scientiæ necessariæ. Econtra objectum visionis supponit decretum: eò quòd implicet actualis existentia aut futuritio rerum præsupposita decreto divino ceu causæ primæ & primo libero, ut infra latiùs ostendetur: ergo sola scientia visionis, non autem scientia simplicis intelligentiæ præsupponit decretum voluntatis divinæ.

Quòd porro scientia visionis in hoc distinguatur à scientia simplicis intelligentiæ, quòd sit circa creaturas actuales, & non tantùm possibiles, vel nunquam habituras actualem existentiam, cùm econtrà simplicis intelligentiæ scientia quidditatis possibilis, vel ad actualem

existentiam nunquam perventuræ limites non excedat, in terminis habet S. Doct. hîc. a. 9. dicens : *quædam licèt non sint actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista DEUS dicitur scire scientiâ visionis. Quædam verò sunt, quæ sunt in potentiâ DEI, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt nec erunt, neque fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ.*

6. Ex hoc ruit Adversariorum responsio, quâ dicunt : scientiam quidem simplicis intelligentiæ, prout se sola circa possibilia occupatur, non esse rerum causam, esse tamen rerum causam adjunctâ efficaci voluntate DEI, cui ratum habetur, ut fiat, quod illa dictat. Ponit enim hæc responsio repugnantiam in adjecto, & hoc ipso tollit scientiam simplicis intelligentiæ, quòd illam cum efficaci voluntate conjungit : quia ex hac conjunctione objectum simplicis intelligentiæ mutatur in objectum visionis, dum de possibili transit in existens, ut ex dicendis patebit, adeóque scientia Divina desinit esse simplicis intelligentiæ, & accipit denominationem visionis.

7. Neque dicas : ipsam quoque existentiam rerum objici scientiæ possibilium, cùm utique & existentia intra quidditatum possibilium cumulum contineatur ; præsertim si à rerum essentiis non distinguatur ? ergo scientia visionis non ideo distinguetur à scientia possibilium, quòd ista rerum quidditates, illa existentiam attingat.

Nam Resp. Existentiam in numero quidditatum, quæ scientiæ simplicis intelligentiæ objiciuntur, non comparere ut in actu exercito cum essentiâ conjunctam, sive sub ratione actu terminantis, sed solùm ut in actu signato, & sub ratione possibiliter terminantis, quia non nisi ex libero divinæ voluntatis decreto actualem conjunctionem cum essentia accipit, sive illa conjunctio sit per realem compositionem, ut Thomistæ volunt, sive per compositionem rationis fundatam nihilominùs in reali productione, ut & Adversarii concedunt.

8. Probatur assertio nostra secundò. Scientia DEI, quæ est causa rerum, est scientia approbationis, ut habet S. D. hîc a. 8. atqui ista non pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, sed ad scientiam visionis. ergo. Minor probatur : scientia determinata ad producendum effectum, & supponens voluntatem beneplaciti non pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ ; cùm scientia simplicis intelligentiæ ut sic sit indifferens & præsupposita actui voluntatis ; sed scientia approbationis est determinata ad producendum effectum, & supponit voluntatem beneplaciti : ergo scientia approbationis non pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, sed visionis, unde D. Th. cit. a. 8. *Cùm forma intelligibilis*, inquit, *ad oppositа se habeat, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum*

9. Probatur tertiò. Implicat causari ab aliqua scientia, cujus illa non habet notitiam : ut enim habet vulgatum illud Medicorum : *quod ignorat medicina, non curat ;* & constat inductione omnium habituum intellectualium practicorum, & artium, nihil ab ipsis effici, cujus notitiâ careant : atqui circa creaturas existentes & futuras non versatur scientia simplicis intelligentiæ, cùm sit scientia possibilium, & ut dicit S. Doct. cit. a. 9. *eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt unquam* : at contrà scientia visionis est eorum, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel erunt : ergo non scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis est causa rerum.

10. Probatur quartò. DEUS producit creaturas per actum imperii, sed actus imperii pertinet ad scientiam visionis : ergo productio creaturarum pertinet ad scientiam visionis. Major supponitur ex dicendis. Minor probatur : actus practicus & liber intellectûs pertinet ad scientiam visionis, non simplicis intelligentiæ, quia præsupponit voluntatis electionem ; sed imperium est actus practicus intellectûs proximè procedens & ordinatus ad executionem, seu potiùs ipsa executio. ergo.

§. III.

Creaturæ sunt futuræ, quia DEVS videt.

11. FAcit in confirmationem præsentis doctrinæ celebris illa causalis, cujus in §. 1. mentionem fecimus, in qua præcipuè notandum, quòd SS. PP. voce visionis (ne pro libitu à scientia visionis verba detorquere cuique liceat) utantur ; nam præter textum sup. allegatum S. Augustinus l. 13. Confess. c. 38. ita loquitur : *Nos itaque, quæ tu fecisti, videmus, quia sunt, tu autem* QUIA VIDES, *ea sunt.* Et nos foris videmus quia *sunt, & intus, quia bona sunt ; Tu autem* UBI VIDISTI *facta, ibi vidisti faciendo.* S. quoque Gregor. 20. Moral. c. 23. *quæ sunt, non ab æternitate ejus* IDEO VIDENTUR, QUIA SUNT; *sed* IDEO SUNT, QUIA VIDENTUR. & rursus l. 32. c. 6. Non *existentia* VIDENDO *creat, existentia* VIDENDO *continet.*

Hanc ipsam causalem tradidit Magister sent. in 1. dist. 38. eamque ratione firmavit, cùm dixit : *Neque res futuræ causæ sunt præscientia DEI, licèt enim non essent futuræ, nisi præscirentur à DEO ; non tamen ideo præsciuntur à DEO, quia futura sunt : si enim hoc esset, tunc ejus, quod æternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diversum ; & ex creaturis penderet scientia creatoris & creatum esset increati causa, &c.*

12. Cæterùm de mente Doctoris Angelici non est locus dubitandi : nam præter expositionem Origenis mox allegandam, crebrò inculcat, in hoc differre Divinam humanámque cognitionem, quòd ista pendeat & mensuretur à rebus ; Divina verò res ipsas mensuret, sibique adæquet ; nec proinde illas præsupponat, sed sit prior ipsis rebus. Ita loquitur hîc a. 8. ad 3. & infrà q. 16. a. 1. Clarissimè verò in 1. 2. q. 93. a. 1. ad 3. dicens : *Ratio intellectûs Divini aliter se habet ad res, quam ratio humani intellectûs : intellectus enim humanus est mensuratus à rebus, ut scilicet conceptus hominis non sit verus propter se ipsum, sed dicitur verus, ex eo quòd consonat rebus : intellectus verò Divinus est mensura rerum : quia unaquæque res in tantum habet*

habet de veritate, in quantum imitatur intellectum Divinum, ut dictum est in 1. p.

Ex quibus sic arguo: si veritas objectiva rerum pendet, causatur, mensuratur à scientia Divina, tunc illa est causa rerum, estque vera ista causalis: res sunt & erunt, quia DEUS scit esse, vel fore: atqui antecedens est verum ex S. D. ergo & consequens.

13. Objiciunt nobis Adversarii plures PP. authoritates, & audent dicere fere omnes PP. contra nostram sententiam conspirare. In primis Orig. [ad c. 8. epist. ad Rom. dicentem: *non propterea aliquid, quia id scit DEUS futurum, sed quia futurum est, scitur à DEO.* Sed mirum est ab Adversariis in suum favorem trahi Originem, quem sibi objecit, & explicuit pridem S. D. hîc. a. 8. ad 1. *Dicendum. quòd Origenes locutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjunctâ voluntate, sed quod dicit, ideo præscire DEUM aliqua, quia sunt futura, intelligendum esse secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quòd DEUS ea præscierit; non tamen res futuræ sunt causa, quòd DEUS sciat.* Rursus eundem Originem q. 2. de verit. a. 14. ad 1. sic exponit: *Dicendum est, quòd intentio Origenis est dicere, quòd scientia DEI non est causa, quæ inducit necessitatem in scito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia DEUS illud scit.* Nec alia mens fuit D. Anselmo, cùm in lib. de concordia scripsit: *Si præscientia DEI traheret voluntatem nostram ad id, quod præscivit, DEUS futura libera non præsciret, sed fingeret.*

14. Nihilominùs objiciunt ulteriùs Justinum qq. ad Orthodox. respons. 58. dicentem: *non est prænotio causa ejus, quod futurum erat, sed quod futurum erat, causa est prænotionis.* Hieron. in c. 26. Hierem. *non ex eo, quòd DEUS scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, DEUS novit.* Damas. dial. adv. Manichæos, *Vt DEUS ea, quæ facturi sumus, præsciat, à nobis proficiscitur. Nam si facturi non essemus, nec ipse quidem, quod futurum erat, prænosceret, &c.*

Respondeo primò retorquendo argumentum: SS. PP. ab Adversariis allegati absolutè negant, quòd scientia sit causa ejus, quod futurum est: ergo non est major ratio, cur debeant accipi de scientia visionis, quàm de scientia simplicis intelligentiæ: at consequens pugnat contra Adversarios asserentes, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam rerum. Certè si nostras authoritates, quas Adversariis opponimus, ipsis licet interpretari de scientia absolutè sumpta, quantumvis SS. PP. utantur verbo visionis, cur in hisce allegationibus SS. PP. solùm de scientia visionis & non de scientia simplicis intelligentiæ sint intelligendi, cùm utantur absoluto vocabulo scientiæ?

Respondeo secundò. juxta expositionem S. Doct. suprà datam: SS. PP. cùm negant res ideo esse futuras, quia sciuntur à DEO, loqui de scientia præcisè secundùm rationem scientiæ, secundùm quam non habet causalitatem, cùm alioquin scientia foret causa malorum; sed quatenus habet adjunctam voluntatem, estque scientia approbationis. Rursus: cùm dicunt res futuras prænosci, quia sunt futuræ loqui in sensu illativo, non causali, & *secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi*

Adde, quòd plerique SS. PP. uti citatus Damascenus, loquantur de scientia peccatorum, quorum respectu scientia DEI nullam exercet causalitatem, estque non practica, sed speculativa.

§. IV.

Solvuntur objectiones Adversariorum.

OBjicies primò ipsum Angelicum Doctorem, 15. q. 2. de Verit. a. 14. in c. dicentem, *quòd res non sint à DEO per scientiam, sed per libertatem voluntatis.* Et q. 10. de Verit. a. 3. in c. *præscientiam DEI non importare universaliter habitudinem causæ respectu eorum, quorum est, sicut prædestinatio.* Et hîc a. 8. dicit: quòd illa scientia est causa rerum, *quæ cùm ex se sit indifferens ad opposita, ex determinatione voluntatis producit determinatum effectum.* Atqui (subsumis) hæc non est scientia visionis: ergo ista non est causa rerum.

Verùm hæc & similia nobis nihil officiunt: Non primum, quia plus illo loco non vult S. D. quàm quòd res non sint à DEO per scientiam, ut præcisè habet rationem scientiæ absque adjuncta voluntate, non autem per scientiam ut practicam, & cum decreto voluntatis conjunctam, per quam res causari aliis locis quàm plurimis docet.

Non obest secundum, quia tantùm significatur, præscientiam latiùs extendi, quàm prædestinationem: ista enim cùm solummodò sit bonorum, dicit habitudinem causæ ad omnia objecta, quæ attingit: illa verò, quia est etiam malorum, non dicit habitudinem causæ ad omnia objecta, sed ad bona solùm, quia tantùm respectu istorum est practica, & conjuncta cum positivo decreto DEI. Non tertium, quia pro nobis contra Adversarios facit: sensus enim est, quòd scientia, quæ secundùm se absolutè spectata (ideo dicit *ex se*) præsuppositivè est indifferens, ut operetur, vel non operetur objectum, adjunctâ determinatione voluntatis (quâ jam constituitur practica & scientia visionis) producat determinatum effectum, si autem maneret scientia simplicis intelligentiæ, etiam maneret indifferens, & ut indifferens nihil determinatum produceret. ut enim ipse S. D. hîc a. 8. *cùm forma intelligibilis ad opposita se habeat, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum.* Unde & 1. ad Annibald. dist. 38. a. 2. *Ex scientia DEI*, inquit, *non procedit opus, nisi mediante voluntate operante.*

Objic. secundò. Juxta S. D. ita se habet scien- 16. tia visionis ad res creatas, sicut scientia artificis ad res artefactas: sed artifex causat artefacta non per scientiam intuitivam operis artefacti; causat verò per scientiam directivam voluntatis, & ostensivam finis. ergo similiter DEUS res creatas non causat per scientiam intuitivam suorum operum, sed per scientiam directivam, quæ est scientia simplicis intelligentiæ.

Respondeo, majorem esse veram, demptis im- 17. perfectionibus, licet enim scientia DEI & artificis in hoc conveniant, quòd utraque dirigat, imperet, & intueatur suum opus, est tamen duplex

notabilis differentia. Primò, quòd in artifice creato potentia executiva plerumque sit ab intellectu & voluntate realiter distincta, nec proinde per solum imperium efficaciter operetur & exequatur effectum, econtra potentia executiva DEI solo intellectu & voluntate operantis ab ejus efficaci imperio formaliter immanente & virtualiter transeunte non sit distincta. Secundò, quòd finitâ operatione & executione artificis res artefacta non ampliùs in conservari ab ipso dependeat: unde cognitio (operis jam positi) intuitiva in artifice creato non est ampliùs practica, sed speculativa. Econtrà omnes creaturæ etiam in conservari dependent ab executiva potentia, & scientia practica DEI, ut enim dicebat D Gregorius sup. cit. *non existentia videndo creat, & existentia videndo continet*, hoc est, conservat: Itaque in hoc est paritas, quòd sicuti non sola scientia artificis quatenus directiva, sed etiam quatenus per actum imperii applicantis potentiam executivam ad inducendam formam artefacti, ad illud effectivè concurrit; sic etiam divina scientia non solùm per directionem & ostensionem finis (quod pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ) sed etiam per efficax imperium pertinens ad scientiam visionis influat in suum opus, in hoc tamen est disparitas, quòd scientia artificis peractâ operatione non ampliùs practicè, sed speculativè versetur circa suum opus; nec proinde ampliùs sit practica & causativa ipsius: dum tamen divina scientia visionis circa res creatas manet practica & causativa.

18. Objic. tertiò. Scientia supponens suum objectum, non est causa ipsius: sed scientia visionis supponit suum objectum: ergo illud non causat. Minor probatur: primò ex illo Gen. 1. vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, ubi productio creaturarum distinguitur ab eorum visione, illique præsupponitur. Secundò quia scientia requirens existentiam ex parte sui objecti, debet illud productum supponere, prout etiam fit in visione oculi corporei: sed scientia visionis hoc ipso quòd sit intuitiva, requirit existentiam exercitam ex parte objecti: ergo debet illud productum supponere.

Confirm. Efficax DEI Decretum præsupponitur ad scientiam visionis, sed illud habet pro termino rerum existentiam, ergo etiam rerum existentia præsupponit ad scientiam visionis.

Resp. neg. min. ad cujus primam probationem Resp. cum Gonet, in illo loco visionem rerum productarum significare scientiam visionis practicè conservativam ipsarum, quæ semetipsam tanquam primò productivam præsupponit, & de qua loquitur D. Greg. existentia videndo continet.

Ad alteram probationem vel nego vel distingo maj. scientia requirens existentiam ex parte objecti, si sit limitata & mensurata ab objecto: item si non sit simul eminenter formaliter speculativa & practica, præsupponit objectum, conc. scientia illimitata mensurans objectum, simul eminenter speculativa & practica, nego maj. sed scientia visionis requirit existentiam objecti, ut tamen respectu ipsius sit mensurans, eminenter formaliter speculativa, & practica, conc. secus, nego minorem, & consequentiam.

Ad Confirmationem Resp. Efficax decretum 19. DEI habet pro termino rerum existentiam inchoatam & incompletam, conc. completam nego. ergo rerum existentia inchoata & incompleta præsupponitur scientiæ, transeat: completa, nego: hæc quippe requirit executionem: executio autem pertinet ad imperium, quod est actus scientiæ practicæ.

Objicies quartò. Si scientia visionis esset causa 20. rerum, sequeretur primò, quòd DEUS esset causa malorum, & peccatorum: quia etiam ista cadunt sub DEI providentiam, & scientiam visionis. Secundò, quòd tolleretur libertas arbitrii: nam suppositio antecedens imponit rebus necessitatem: sed suppositio causalitatis, quâ divina scientia causat actus nostræ voluntatis esset antecedens: ergo causaret necessitatem ipsorum.

Resp. negando utramque sequelam. Et primam probationem distinguo, mala & peccata cadunt sub scientiam visionis, quatenus est scientia permissionis, & conjuncta cum decreto permissivo, concedo, (& sic est scientia purè speculativa, non practica) quatenus est scientia approbationis, conjuncta videlicet cum voluntate & decreto efficaci positivo, nego. atqui tunc solùm est practica & causa rerum, quando cum positivo & efficaci decreto approbante conjungitur.

Ad secundæ probationis sequelam Respondeo: 21. suppositio antecedens, quæ non descendit à primo libero, neque ex se profundit libertatem, eandem tollit, conc. quæ descendit à primo libero, & ex se profundit non tantùm ipsam rationem entis, sed & modos entis, libertatem, necessitatem, &c. nego. sed de hoc inferiùs plura.

Colliges ex dictis, scientiam DEI, quatenus est simplicis intelligentiæ, & terminata ad essentias possibiles, esse abstractivam: eandem verò, quatenus est scientia visionis terminata ad res aliquando existentes, sic esse intuitivam: quia intuitiva est & dicitur, quæ considerat rem quatenus substantem exercitio realis existentiæ; abstractiva verò quæ præscindit à prædicto exercitio.

DISPUTATIO XIII.

DE

Scientia futurorum contingentium.

GRavissima, nec non ad fundandam certitudinem Divinæ prædestinationis necessariò præmittenda, magnóque partium studio semper agitata difficultas est, unde

de petenda sit Divinæ scientiæ certitudo respectu futurorum contingentium absque liberi arbitrii præiudicio, ne in Calvini cassas incidas, bicorni ipsius dilemmate convictus: *aut DEVS scit me salvandum, aut non salvandum, &c.* Ubi meritò observat Illustris. Reding hîc q. 5. a. 4. controv. 1. concluſum fuisse apud Antiquos, DEUM futura ratione suæ voluntatis & decreti cognoscere, ita ut unum esset in præsenti puncto antiquis Doctoribus Theologiæ labium, ipsæ quoque D. Thomæ & Scoti Scholæ concordarent in unum. At verò dum RR. novam struunt sententiam scientiæ mediæ, ipsis contingit, quod turris Babilonicæ ædificatoribus, ut nempe illorum linguæ confunderentur, & non audiret unusquisque linguam sui proximi, dum in tot dividuntur sententias, quot fere sunt capita, quarum diversas refert allegatus Reding. Huius porro controversiæ resolutio cùm dependeat ab illa quæstione, in quo consistat rerum futuritio, & quomodo possit esse cognoscibilis, ideo sit.

ARTICULUS I.

Quid sit futurum?

SUMMARIA.

1. *Divisio futuri in necessarium & contingens.*
2. *Futuri contingentis, in absolutè & conditionatè futurum.*
3. *Omnia futura pertinent ad objectum Divinæ scientiæ.*
4. *Certitudinem Divinæ scientiæ non salvat præsentialis coëxistentia futurorum in æternitate.*
5. *Futuri explicatio apud Recentiores.*
6. *Definitio futuri Thomistica.*
7. *Authoritas S. P. Augustini.*
8. *Authoritas Doctoris Angelici.*
9. *Impugnatio contrariæ definitionis.*
10. *Ratio prima, quòd denominatio futuritionis non possit esse intrinseca.*
11. *Ratio secunda, quòd per determinationem causæ res futuræ extrahantur è statu possibilitatis.*
12. *Elidituir Adversariorum responsio.*
13. *Quænam sint simpliciter futura, quæ non?*
14. *Quenam de futuris contingentibus detur scientia?*
15. *Denominatio futuri convenit de præsenti.*
16. *Veritas futurorum contingentium non est intrinsecè determinata, sicut præteritorum.*
17. *Necessitas propositionis disjunctivæ, & regulæ contradictoriarum non evincunt determinatam veritatem & falsitatem propositionum de futuris contingentibus.*
18. *Propositio de futuro quomodo differat à propositione de inesse?*
19. *Implicat futuritio præsuppositæ omni decreto DEI in doctrina D. Thomæ.*
20. *Et S. Augustini.*
21. *Rationes implicantiæ.*
22. *Occurritur Adversariorum responsioni.*
23. *Falsitas propositionum de futuris contingentibus ante decretum DEI.*
24. *Quis sit sensus disjunctivæ propositionis:* Antichristus vel erit, vel non erit?
25. *Propositio:* Antichristus erit, *ante decretum non datur.*
26. *Ex duabus propositionibus de futuris contingentibus neutra est determinatè vera, vel falsa.*
27. *Quales proprietates propositionum sint veritas & falsitas?*
28. *Exponitur mens D. Augustini in contrarium adducti.*
29. *An & quomodo sit absurdum, aliquid futurum non fieri?*
30. *An sit absurdum futurum constitui per aliquid præsens?*
31. *Diluitur instantia ex S. Augustino.*
32. *Disparitas inter præterita & futura.*
33. *An Antichristus sit per hoc formaliter futurus, per quod erit formaliter?*
34. *Non sequitur causari decretum DEI, tametsi per illud formaliter constituatur futurum causatum à DEO.*
35. *An sola negatio cum existentia consequente sint sufficiens determinativum futuri.*
36. *Quomodo formalis malitia peccati constituatur futura?*

§. I.

Præsupposita.

SUppono primò. Futurum aliud esse necessariò futurum, aliud contingenter: necessariò futurum est, quod habet causam sui necessariam; contingens, quod habet causam fallibilem. Futura necessaria à Divina scientia certissimè cognosci manifestum est, siquidem scientia comprehensiva causæ etiam comprehendit omnes effectus necessariò contentos in illa: cùm ergo Divina scientia perfectissimè comprehendat omnes causas creatas, consequenter etiam comprehendit omnes effectus necessariò contentos in iisdem. 1.

Suppono secundò. Futurum contingens dividi in absolutè & conditionatè futurum. Illud est, quod est aliquando ponendum extra causas in certa temporis differentia, nec refert, quantumvis eorum existentia ab aliqua conditione pendeat, dummodo & ipsa conditio sit implenda. Conditionatè futurum dicimus, quod non est, sed esset ponendum extra suas causas, si qua conditio impleretur, quæ tamen nunquam impletur: veluti quòd *Sidonii essent convertendi, si Christus apud ipsos hæc signa faceret, quæ fecit apud Judæos, & nunquam facturus fuit apud Sidonios.* 2.

3. Suppono tertiò tanquam de fide certum, futura non tantùm certa, quæ necessariam habent connexionem cum suis causis, sed etiam contingentia, quæ contingenter & fallibiliter connectuntur, sub Divinæ scientiæ objecto contineri, contrà quam olim cum Ethnicis compluribus existimabat Cicero l. 2. d. nat. deorum, asserens, eos solùm effectus & eventus à DEO cognosci, qui à causis naturalibus pendent. Hoc quippe evincunt plurima S. Script. testimonia, quibus futurorum contingentium scientia DEO asseritur, ut ps. 138. Dan. 15. Is. 14. unde Tertull. 2. contr. Marc. *Præscientia*, inquit, *DEI tot habet testes, quot fecit prophetas.* Et S. August. 5. d. Civ. c. 9. *Confiteri esse DEUM, & negare præscientiam futurorum, apertissima insania est.* Ratio quoque est, quòd nec DEUS haberet infinitam scientiam, nisi omne cognoscibile comprehenderet, nec infinitam de rebus providentiam, nisi ipsius cognitioni etiam futura contingentia subjicerentur. Quod non modò de futuris contingentibus, à nulla conditione pendentibus, sed etiam conditionatis, & à conditione quamvis nunquam ponenda & purificanda pendentibus dicendum esse, constabit ex iis, quæ seq. disp. trademus.

4. Suppono quartò. Quamvis non tantùm ratio claræ intuitionis, sed etiam aliqua certitudo & infallibilitas divinæ scientiæ ex parte objecti in præsentiam & coëxistentiam rerum in æternitate refundi possit, eò quòd nihil dum existit, non existere, atque adeò divinam scientiam fallere possit; tamen hanc rerum præsentiam nec esse adæquatam, nec ultimatam rationem certitudinis in scientia futurorum: Non adæquatam, quia contingentia futura purè conditionata certò sciuntur à DEO, quamvis nullam habeant præsentiam in æternitate; quippe nunquam extra causas ponenda: Non etiam ultimatam, quia nisi præsupponatur res in sua duratione futura, non habet, unde æternitati divinæ coëxistat. Ideo quippe res futuræ DEO sunt in æternitate præsentes, quia æternitas suâ simultaneâ mensuratione continet omnem inferioris durationis & temporis differentiam: ergo nisi res in aliqua parte & differentia temporis futuræ supponantur, non est, unde ab æternitate DEI contineantur, atque ita resolvit Eminentiss. noster Aguirre in Monolog. tract. 3. disp. 46. sc. 2.

§. II.

Definitio Thomistica futuri.

5. COmmunior Recentiorum, ut viam sternat pro scientia media, repudiatâ antiquorum definitione, futurum definit, esse illud, quod modò non habet, sed habebit existentiam in tempore subsequenti: ita ut essentia futuritionis nihil aliud dicat, quàm negationem existentiæ pro ipso tempore futuritionis, & ipsam existentiam postea ponendam. Unde docent primò. In futuritione rerum duo instantia comprehendi, quorum unum se habet veluti terminus à quo, alterum veluti terminus ad quem. In priori instanti, quo res enuntiatur futura, non magis est, quàm res possibilis, ut enim D. August. l. 11. Confes. c. 14. & seq. *Quod autem nunc liquet & claret, neque futura sunt, neque præterita.* In secundo instanti res futura etiam non est, sed erit, quando illud ipsum instans erit, in quo fore supponitur.

Unde docent secundò. Denominationem futuri non esse desumendam ab aliqua præsenti formalitate, sed per habitudinem ad illud instans, in quo erit, cùm de præsenti res futura nihil sit; ideòque rectiùs dici de futuris, quòd *existent* vel *erunt*, quàm quòd *sint futura*.

Docent tertiò. Dupliciter rem dici determinatam, vel indeterminatam. Intrinsecè & formaliter, ac rursus extrinsecè & causaliter. Intrinsecè & formaliter quodlibet est determinatum per suammet entitatem: & in hoc nulla est, ajunt, differentia inter actum liberum, & necessarium: quia non minùs amor DEI v. g. liberè elicitus, est per suammet entitatem formaliter limitatus & determinatus ad certam speciem & individuum actûs, quàm calor, quem ignis efficit necessariò, per suammet entitatem sit determinatus formaliter ad speciem & individuum caloris. Extrinsecè & causaliter aliquid est determinatum per extrinsecam denominationem à sua causa, & in hoc est differentia inter actum actum liberum ac necessarium: actus enim liber, quia procedit à causa determinata, est etiam extrinsecè & causaliter determinatus: econtrà actus liber est extrinsecè indeterminatus, quia procedit à causa indifferente.

Ex hoc deducunt & Docent quartò: veritatem de futuro contingenti, non minùs esse formaliter determinatam, quàm de futuro necessario. Si enim primum instans & terminum à quo futuri contingentis consideres, sic neutrum est in se formaliter; si posterius instans, & terminum ad quem, tunc pari determinatione intrinsecâ utetque effectus correspondebit huic instanti, pro quo enuntiatur futurus, & sola manet differentia quoad determinationem extrinsecam.

Docent quintò, ex duabus propositionibus contradictoriis de futuris contingentibus v. g. *Antichristus erit*, *Antichristus non erit*, non minùs alteram esse determinatè veram, vel falsam, quàm de præsentibus & præteritis. v. g. *Antichristus fuit*, quia sicut veritas hujus propositionis habetur ex suppositione instantis præteriti, in quo de præsenti fuit verum dicere; *Antichristus est*, habuitque objectum intrinsecam determinationem suæ veritatis, ita hæc propositio *Antichristus erit*, habet suam veritatem ex suppositione instantis futuri, in quo hæc propositio de inesse (*Antichristus est*) erit vera, & habebit intrinsecam determinationem. Quando Aristot. in l. 1. de interpret. contrarium sensit, ajunt, illum vel fuisse locutum de veritate & falsitate propositionum in ordine ad nos, non ad cognitionem divinam, vel esse *errorem ipsius Theologo non curandum.* Ita ferè sentiunt RR. cum Veckeno disp. 18. c. 4. & tandem ex horum omnium suppositione concludunt, cùm ex duabus propositionibus de futuris contingentibus altera ab intrinseco debeat esse determinatè vera, altera determinatè falsa; eandem quoque veritatem divinæ cognitioni, quippe quam nullum verum & cognoscibile latere potest, antecedenter ad omne decretum objici; sive illa videat immediatè in se ipsis, sive in suæ essentia tanquam specie, vel speculo repræsentante.

CON-

6. CONCLUSIO. *Futurum rectè definitur, id quod est determinatum in causa ad habendam existentiam in duratione sequenti. sive ut alii fusiùs: quod nondum habet existentiam in se ipso, habet tamen illam in causis præparatis & ordinatis ad hanc ipsi conferendam in tempore subsequenti* Ita S. Th. ejusque sequaces.

7. Probatur primò authoritate D. Augustini, de corrept. & grat. c. 9. & 6. de gen. ad litt. c. 17. dicentis: *DEUM futura facere, nihil aliud esse, quam eorum causas præparare*, & tract. 105. *DEUS omnia futura prædestinavit.*

8. Probatur secundò claràauthoritate Ang. Doct. hic a. 13. *alio*, inquit, *modo considerari contingit, ut est in sua causa, & ita consideratur ut futurum.* Et infrà q. 16. a. 7. ad 3. *Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret. unde sublatâ causâ non esset futurum illud fieri.* Et paulò pòst: *ea quæ sunt, non semper fuit verum esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura. quæ quidem causa solus DEUS est.* Item q. 2. d ver. a. 12. in c. & ad 7. *Cùm dicitur, hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei ad productionem ejus.* Similia habet q. 12. de ver. a. 10. ad 2. & alibi.

9. Probatur tertiò impugnatione opinionis Adversariorum. Potest aliquid esse & dici futurum, quod tamen nunquam erit, sive de quo nunquam verificabitur esse in tempore præsenti: ergo non est verum, tantùm illud esse futurum, quod aliquando erit. Antecedens probatur primò ex Philosopho 2. de gener. te. 64. dicente, *quòd futurus quis incedere, non incedet.* Et l. divinat. per somn. c. 2. *omninò non omne fit, quod futurum est.*

Secundò probatur experientiâ & authoritate script. in qua continentur propositiones de futuro, quarum tamen eventus non fuerunt secuti. Ita Is. 38. dicitur, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Jonæ 2. *Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur*, & tamen neuter eventus fuit subsecutus, quia causæ, in quarum præparatione futuri erant isti eventus, fuerunt immutatæ & impeditæ.

10. Probatur quartò hâc ratione: denominatio futuritionis, seu quòd aliqua res sit determinatè futura, non potest esse rei denominatæ intrinseca, nam res futuræ pro statu futuritionis in se ipsis nihil sunt, ac proinde secundùm omnia sibi intrinseca sunt indifferentes ad esse & non esse: imò incapaces ad recipiendam realem intrinsecam denominationem, ergo tantùm potest esse denominatio extrinseca; sed non aliunde quàm à causa, cùm alia forma denominans non sit assignabilis. Si à causa, tunc non ab illâ ut indeterminata & indifferente, quia determinatus effectus requirit causam determinatam: neque ab ipsa ut habente solam virtutem & potentiam producendi, quia sic effectui tantùm tribuit denominationem possibilis, ergo ab illa ut ordinata & determinata ad producendum effectum.

11. Probatur quintò. Per illud res futuræ in esse & statu futuri formaliter constituuntur, per quod formaliter extrahuntur à statu puræ possibilitatis ad statum existentiæ posteà habendæ (in hoc enim possibilia & futura pariter distinguuntur à præsentibus & præteritis, quòd nec habeant, nec habuerint actualem existentiam, differunt autem, quòd possibilia ut sic sint indifferentia ad accipiendam existentiam, futura verò non sint indifferentia, sed determinata ad illam accipiendam) atqui res futuræ formaliter extrahuntur è statu possibilitatis per præparationem & determinationem causæ. ergo. Minor probatur: quia hoc formale distinctivum à statu possibilitatis vel esset negatio præsentis existentiæ, vel tempus præcedens rei existentiam, vel utrumque unà cum habitudine ad existentiam postea obtinendam, vel tandem determinatio causæ. Non rei negatio & tempus præcedens, quia utrumque est indifferens ad esse & non esse rei pro tempore sequenti, & sic reperitur in re merè possibili: non etiam habitudo, quia cùm tempus & negatio sint ex se indifferentia, illa determinata habitudo ipsis non aliunde, quàm ex causarum præparatione & determinatione convenire potest, quod ipsum in quarto membro disjunctionis infertur.

Dices fortè: formam denominativè constitu- 12. tivam rei futuræ esse existentiam postea habendam. Sed contra est primò, ut illa existentia, quæ actu nihil est, potiùs sit habenda, quàm non habenda, debet habere ab aliquo distinctivo à statu puræ possibilitatis, sed hoc non est nisi præparatio & determinatio causæ. ergo.

Contra est secundò. Res verè realiter denominatur futura etiam ab æterno ante omnem existentiam præsentem, ut affirmat S. D. præcit q. 16. a. 7. sed non potest talis denominari, nisi propter reale prædicatum, ipsam distinguens à re merè possibili, quod non est existentia, quæ nondum est posita extra causas.

§. III.

Corollaria quædam ex dictis.

INferes ex dictis primò: sicuti duplex est deter- 13. minatio causæ, una fallibilis & impedibilis, altera infallibilis & inimpedibilis; ita effectus aliqui sunt simpliciter futuri, qui nimirum habent infallibilem determinationem in causa, alii tantùm sunt futuri secundum quid, & cum addito, in determinatione causæ. Respectu causæ primæ omnia futura sunt simpliciter futura, quia hujus determinatio ab alia causa falli aut impediri nequit. At verò causæ secundæ, quia falli & impediri possunt vel à prima causa, vel aliquando ab aliis causis secundis; ut fructus arboris pruinâ, grandine, &c. ideo non tribuunt effectui denominationem futuri simpliciter, sed tantùm futuri secundùm quid. Et ex istis futuris aliqua sufficiunt ad rationem scientiæ propriè dictæ, scilicet illa, quæ habent necessariam determinationem in causis secundis, non nisi divinitùs impedibilem, sicut est eclypsis solaris; aliqua verò solummodò cognitionem conjecturalem terminant, si nempe ab aliis causis secundis impediri possint: Quomodo de futuro arboris fructu non nisi conjecturale judicium formamus, quia vento, grandine, &c. impediri potest.

Infe-

14. Inferes secundò. De futuris contingentibus diverso respectu dari & non dari scientiam. Nempe contingens illud dicitur, quod potest esse, & non esse: adeóque cùm omnis creatura possit non esse; omnis etiam creatura respectu causæ primæ contingens est. Respectu causæ secundæ effectus duplici modo dicuntur contingentes. Primò, si quidem habeant necessariam determinationem causæ, impediri tamen possunt ab alia causa secunda, ut fructus arboris, de quo primùm. Secundò si continentur in causa intrinsecè libera & indifferenti, quo modo actus liberi arbitrii sunt contingentes, de quibus etiam hoc loco controverticur. Vel igitur contingentia considerantur, prout continentur in causa prima determinata ad dandum ipsis esse in aliqua temporis differentia, & tunc quia induunt rationem futuri simpliciter, sufficiunt ad terminandam scientiam: vel considerantur, pro ut continentur in causa prorsus indifferenti & indeterminata, ut sunt actus liberi arbitrii, & de istis comparativè ad ejusmodi causas indifferentes nulla datur scientia ob oppositam rationem, quia videlicet sub hâc ratione non habent esse determinatè futurum: nam de objecto ut incerto & indeterminato, non potest haberi certa notitia: sed contingentia prout continentur in causa indeterminata & indifferenti, sic habent esse incertum & indeterminatum: ergo de ipsis ut sic certa notitia haberi non potest. Quod S. Doct. claris verbis docuit hic a. 13. *Causa contingens se habet ad oppositа, & sic contingens ut futurum non subditur per certitudinem alicui cognitioni: unde quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.*

Clarissimè verò in 1. sent. dist. 38. q. 1. a. 5. in c. ubi sic loquitur: *sciendum est igitur, quòd antequam res sit, non potest esse in suis causis; sed quædam sunt, ex quibus necessariò sequitur effectus, quem impedire non possunt, & in istis habet causatum esse certum & determinatum, adeo quòd possit ibi demonstrativè sciri, sicut est ortus solis, & eclypsis, & hujusmodi: quædam sunt causæ, ex quibus consequuntur effectus, ut in majori parte, sed tamen in minori deficiunt: unde in istis effectus non habent certitudinem absolutam, sed quandam, & ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis: sed quædam causæ sunt, quæ se habent ad utrumque, & in istis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem, & ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt.* Hæc S. Doctor.

15. Inferes tertiò. Quamvis futura dicantur per habitudinem ad esse, aliquando habendum in tempore præsenti; denominationem tamen fururi esse formalitatem, quæ ipsis actu de præsenti & ex determinatione causæ convenit: nam habitudo ipsa, quam dicunt ad illud instans, in quo existent, non convenit ipsis pro illo instanti, quando erunt extra causas. Ac rursus: cùm ex se ipsis non sint, & tam bene possint non esse, quàm esse, non est, unde dicant habitudinem ad esse in tempore sequenti habendum, nisi ex ipsa determinatione causæ.

16. Inferes quartò: Veritatem futurorum contingentium non esse ita intrinsecè determinatam, sicut est veritas præteritorum & præsentium: hæc enim, quia supponit effectum extra causas positum, habet intrinsecum determinativum suæ veritatis; at veritas futurorum, cùm non supponat aliquod esse ipsorum extra causas positum, sed intra causas contentum, hoc ipso nullum habet intrinsecum determinativum.

17. Inferes quintò. Neque ex necessitate propositionis disjunctivæ, neque ex regulis contradictoriarum rectè inferri determinatam veritatem & falsitatem propositionum de futuris contingentibus. Non ex necessitate propositionis disjunctivæ; quia modò alterum membrum disjunctivæ propositionis in suppositione confusa & indeterminatè sit verum; sufficienter salvatur veritas & necessitas ipsius: veluti cùm dicitur, *vel dexter vel sinister oculus est necessarius ad videndum*; necessaria veritas hujus propositionis ex eo subsistit, quòd vel hic vel ille, quamvis neuter determinatè, sit necessarius ad videndum. Itaque quòd hæc propositio disjunctiva, *Petrus in his circumstantiis vel consentiet, vel non consentiet*, sit vera, sufficit, quòd ex propositionibus inclusis alterutra indeterminatè sit futura: objectum quippe verificativum propositionis disjunctivæ est incompossibilitas utriusque membri, quæ salva remanet, quamdiu utrumque membrum simul verum, aut falsum esse non potest. Non etiam rectè infertur ex lege contradictoriarum: nam & ista plus non exigit, quàm ne utraque ex contradictoriis simul sit vera vel falsa, tametsi neutri ab intrinseco veritas determinata conveniat.

18. Inferes sextò. Non esse hanc differentiam (quam Adversarii prætendunt) inter propositionem de futuro & præterito, quòd illa enuncíet *nunc pro nunc*; ista verò enunciat *nunc pro tunc*, ex quo inferunt determinationem veritatis ipsius non esse accipiendam ab aliquo præsenti, sive à nunc pro nunc; sed potiùs ab aliquo sequente, sive à *nunc pro tunc*. nam propositiones de futuro, v. g. *Petrus curret*, per æquipollentiam reduci debet ad istam, *Petrus habet futuritionem sui cursus*: vel: *Petri cursus habet futuritionem suæ existentiæ*, adeóque enunciat aliquid pro nunc cum ampliatione tamen & connotatione mensuræ temporis subsequentis, quæ connotatio deest propositioni de inesse v. g. *Petrus currit*.

§. IV.

Tria præcipua Corollaria.

19. INferes septimò. Nullus rei futuritionem dari præsuppositivè ad omne decretum DEI. Ita S. Doctor cit. hic a. 7. ad 3. *Ea, quæ sunt, non semper verum fuit esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura*: atqui non fuit in causa sempiterna, ut essent futura, quatenus concipitur indifferens ad dandam ipsis existentiam in tempore suo: sic enim res in ipsa continentur non ut futuræ, sed ut possibiles: ergo quatenus concipitur determinata per decretum suæ liberæ voluntatis. Rursus: in q. 12. de verit. a. 10. ad 12. *Dicendum*, inquit, *quòd causæ superiores, quæ sunt rerum rationes in divina præscientia, nunquam deficiunt ab impletione suorum effectuum, sicut*

sicut deficiunt causæ inferiores ; & ideo in causis superioribus cognoscitur rerum eventus absolutè, sed in inferioribus non nisi sub conditione. Ubi per rationes rerum S. D. intelligit Divinas ideas, ut determinatas per decretum : sic enim dicit q. 3. de verit. a. 6. *Idea eorum, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, determinatur à proposito Divinæ voluntatis.* Sentit ergo certam futuritionem eventuum dependere à decreto Divinæ voluntatis.

20. Accedit authoritas D. Augustini. Nam iste l. 26. cont. Faustum c. 4. inquit : *Non etenim futurum est, nisi quod voluntas DEI habet, ut futurum sit.* Et l. 20. contra eundem c. 4. cùm dixisset: *tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita*, pro causali subjicit Divinæ voluntatis efficaciam: *quia non est in DEI voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo est verum ; quia alias idem & eâdem ratione esset falsum & verum.*

21. Ratio est primò. Sicut omne esse creatum est à DEO, tanquam causa prima & fonte essendi, sic & omnis positiva rerum futuritio, quod enim à se non potest esse, etiam à se non potest esse futurum ; sed futuritio non est à DEO, ut prima causa indifferenti: ergo est ab ipso ut causa determinata per liberum decretum.

Secundò. In signo priori antecedente liberum velle & decretum DEI creaturæ sunt in statu meræ possibilitatis, suntque indifferentes ad esse & non esse, quia ut sic terminant solùm scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est de possibilibus habentibus indifferentiam ad esse & non esse : ergo antecedenter ad omne decretum DEI nihil est & concipitur ut futurum.

Tertiò. Quicquid DEUS cognoscit ut futurum, cognoscit per scientiam visionis, sed ista præsupponit decretum : ergo etiam cognitio & status futurorum præsupponit decretum.

Quartò. Si futura haberent suam futuritionem in signo antecedente decretum DEI, omnia essent necessariò futura : consequens est absurdum, & destruit libertatem: ergo & antecedens. Sequela probatur: Nihil potest esse liberum, nisi dependenter à primo libero : sed primum liberum est liberum velle & decretum DEI: ergo antecedenter & præsuppositivè ad decretum DEI nihil potest esse liberum. Ideo quippe rerum possibilitas non est DEO libera, sed necessaria, & ab ipso immutabilis, quia præsupponitur omni liberæ voluntati DEI : consequenter si etiam futuritio esset in signo possibilitatis rerum antecedenter ad omne decretum DEI, jam futura non subessent liberæ dispositioni DEI, sed omnia necessariò eventirent ; quod est absurdissimum.

22. Neque dicas: futuritionem non fore necessariam nisi ex suppositione, quòd res erit, quæ suppositio est libera, siquidem pendet ex determinatione libera voluntatis, sicut ex suppositione, quòd res fuit, non potest non fuisse. Contrà enim est, quòd vel ista suppositio liberæ determinationis aliquando ponendæ præcedit voluntatis divinæ decretum, & sic rursus erit necessaria, vel subsequetur, & tunc habetur intentum.

23. Inferes octavò: Falsas esse omnes propositiones de futuris contingentibus præsuppositis ad omne decretum DEI : quia affirmant aliquid esse futurum, quod non est futurum. Similiter falsæ sunt omnes propositiones pro illo signo affirmantes non futuritionem : Siquidem in illo signo res creatæ sunt in statu puræ possibilitatis & indifferentiæ ad esse & non esse. Unde in rigore pro illo signo neque verum est, quòd Antichristus erit, neque verum, quòd non erit : neque enim in illo statu est determinatus ad habendum esse, neque ad habendum non esse.

Sed inquis : Antecedenter ad omne decretum 24. vera est hæc propositio: *Antichristus vel erit, vel non erit.* ergo etiam hæc propositio *Antichristus erit*, quæ est una ex membris inclusis, debet esse determinatè vera.

Resp. neg. conseq. & suppositum consequentis. consequentiam nego, quia objectum hujus propositionis disjunctivæ est incompossibilitas duorum contradictoriorum, quæ etiam in statu possibilitatis habet necessariam veritatem : hujus verò propositionis *Antichristus erit*, objectum est actualis & exercita futuritio Antichristi, qui in illo signo non datur : suppositum quoque consequentis nego, quia particula disjunctiva, *vel*, in illa propositione non includit, sed disjungit membra ; unde non tam sunt membra inclusa, quàm à se mutuò exclusa. Sensus quippe illius propositionis per hanc æquipollentiam exponi debet: *Est impossibile Antichristum simul esse & non esse futurum.*

Adhuc dicis: Jam ante decretum hæc propo- 25. sitio: *Antichristus erit*, est conformis suo objecto : ergo in signo priori est determinatè vera. Antec. probatur. Ideo post decretum est vera, & conformis objecto, quia ipsi respondebit in tempore sequenti existentia Antichristi : ergo ob eandem causam est vera & conformis objecto ante decretum.

Resp. ex dictis negando antecedens & suppositum, quòd in isto signo dari possit illa propositio, ejúsque objectum : *Antichristus erit* : deberet enim esse sensus : Antichristus est determinatus ad habendam existentiam, quod est simpliciter falsum. Et ad prob. vel nego vel distinguo antec. quia respondebit existentia, quatenus pro nunc determinata in sua causa, conc. secus nego.

Inferes nonò : Non posse ex duabus propositio- 26. nibus contradictoriis de futuris contingentibus alteram esse determinatè veram, alteram falsam independenter à denominatione causæ : quia, ut vidimus, veritas determinata supponit esse determinatum ; sed implicat esse futurum determinatum prævièad omnem determinationem causæ : ergo similiter implicat esse determinatè verum prævièad omnem determinationem causæ.

Sed inquis : Veritas & falsitas sunt proprietates 27. propositionum ; sed proprietates conveniunt essentiæ antecedenter ad omnem determinationem : ergo etiam pro signo antecedente omnis causæ etiam primæ determinationem propositio debet esse vera, vel falsa.

Resp. primò negando suppositum juxta suprà dicta, quòd pro signo antecedente omnis causæ etiam primæ determinationem detur talis propositio actualis Resp. secundò. distinguendo maj. proprietates absolutæ conveniunt rebus pro omni signo, conc. proprietates respectivæ, nego. Disparitas est, quòd respectivæ proprietates pendeant ab objecto, quo subtracto nec ipsæ dantur:

unde sicut in signo antecedente decretum, hæc propositio *Antichristus erit*, in scientia simplicis intelligentiæ non nisi signatè & ut possibilis relucet, ex suppositione, quod determinetur futuritio Antichristi; ita pariter in illo signo propter defectum objecti ipsius veritas non nisi ut possibilis sub tali conditione relucet.

§. V.

Solvuntur objectiones.

28. OBjicies primò authorit. S. Augustini to. 6. l. 26. contr. Faust. c. 4. dicentis: *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.* Infers: ergo sicut in signo antecedente decretum præterita habent determinatam veritatem, ita in eodem signo futura habent determinatam veritatem. Secundò S. Anselmus de conc. præsc. & prædest. c. 1. ubi dixit. *Rem verò futuram necesse est esse futuram*, subjungit hanc causalem: *quoniam futurum esse nequit, & non futurum.* ergo sicuti hæc propositio antecedenter ad omne decretum DEI est vera: quòd aliquid simul futurum, & non futurum esse non possit, ita etiam antecedenter ad omne decretum DEI, futura habent determinatam veritatem suæ futuritionis.

Resp. utrumque S. Patrem loqui de futuro simpliciter & omnibus modis, adeóque dependente à decreto Divino, de quo verissimum est, ex suppositione suæ futuritionis non posse non fieri, cùm causæ primæ determinatio falli non possit.

Mens S. Augustini claret ex ejusdem verbis pro nostra assertione adductis. Neque de D. Anselmi mente dubitare fas est, cùm de illo futuro loquatur, quòd à DEO futurum præscitur, præscientia verò futurorum in ipsius sententia voluntatem & decretum supponat. Audi loquentem, & paulò inf. loco cit. exponentem, quomodo aliqua sint liberè futura, non obstante decreto DEI. *quoniam*, inquit, *quod DEVS vult, non potest non fieri, cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est esse liberam, & esse, quod vult.*

29. Objicies secundò. Si rei futuritio formaliter consisteret in determinatione causæ, posset aliquid fieri in tempore, quod antecedenter non fuisset futurum, & aliquid esse futurum, quod nunquam esset præsens: sed hoc est absurdum, ergo. Prima sequela probatur: quia effectus & actus procedentes à causa libera supponunt præviam & omnimodam ipsius indifferentiam & indeterminationem, ac consequenter priusquam fierent, non erant in determinatione causæ, adeóque nec futuri. Secunda sequela probatur: potest aliqua causa esse præparata ad ponendum effectum, veluti morbus ad necandum Ezechiam, ignis Babylonius ad comburendos pueros; ita tamen, ut non sequatur effectus, ergo posset aliquid esse futurum, quod tamen nunquam poneretur extra causas: adeóque esset & non esset futurum.

Resp. ad primam sequelam: Est absurdum aliquid fieri in tempore, quod antea non fuit futurum simpliciter per ordinem ad causam primam, ita nempe, ut nullum de ipsius existentia fuerit decretum in causa prima, concedo: est absurdum per ordinem ad omnes etiam inferiores causas, nego. Ad secundam sequelam Resp. est absurdum, aliquid esse simpliciter & absolutè futurum per ordinem ad omnes causas, quod nunquam sit præsens, conc. aliquid esse futurum secundùm quid & per ordinem ad causas secundas, quod nunquam sit præsens, nego. hoc enim ex S. Scr. D. Th. & Aristotele suprà ostensum est.

Objicit tertiò Suarez. Si denominatio futurionis formaliter proveniret à determinatione causæ, tunc futura essent, & non essent futura, quod implicat. Essent futura ex hypothesi; non essent, quia quòd effectus habeat esse præparatum in causa, non est aliquid futurum, sed præsens; sed in hoc esse præparato & determinato consisteret ratio futuri; ergo futurum esset aliquod præsens, & non esset futurum. 30.

Resp. primò. Etiam Adversariis hoc esse solvendum, qui futuritionem constituunt in præsenti negatione existentiæ cum habitudine ad existentiam habendam in tempore subsequenti. Resp. secundò, futura essent futura, & non futura seu præsentia, diverso respectu, conc. eodem nego. Ipsa igitur futura essent præsentia secundùm formalem denominationem futuritionis, & habitudinis causæ ad existentiam effectui postea tribuendam, quam habitudinem futurum dicit in recto; essent verò futura & non præsentia secundùm exercitam existentiam per modum termini importatam in obliquo. Unde paucissimis distingues, sunt præsentia secundùm quod dicunt in recto conc. quod dicunt in obliquo, nego.

Instabis primò ex D. Augustino l. 11. Confess. c. 20. dicente: *Dicuntur tempora tria, præsens, præteritum & futurum, sicut abutitur consuetudo, dum tamen intelligatur, quod dicitur, neque id, quod futurum est esse jam, neque id, quod præteritum est.* 31.

Resp. sensum S. Patris esse, quòd res futura, vel potiùs tempus futurum (de quo loquitur) nihil sit entitativè in se ipso, non autem quod nihil sit determinativè, seu in præparatione & determinatione causæ. Respondeti potest secundò cum Godoyo, S. Patrem loqui contra opinionem vulgi, sibi imaginantis, temporum differentias, præteritum & futurum existere in se ipsis: cui opinioni se opponens affirmat; illas solùm in mente existere: non ideo negat futuritionem rerum in causarum propensione consistere, ut ex aliis ipsius textibus fit manifestum.

Instabis secundò. S. Pater comparationem facit inter præterita & futura: ergo sicut ad denominationem & determinationem præteriti sufficit existentia priùs habita cum negatione existentiæ pro nunc; ita etiam ad denominationem futuri sufficit existentia pòst habenda cum negatione existentiæ pro nunc, & sicut cùm dico, *Adam est præteritus*, nihil enunciatur de præsenti; ita cùm dico: *Antichristus est futurus*, nihil enuncio de præsenti. 32.

Resp. neg. consequentiam, & paritatem inclusas in consequente: nam D. Augustinus in hoc solùm facit comparationem inter præteritum & futurum, quod neutrum existat in se ipso. In cæteris verò disparitas in §. 3. indicata est, quòd existentia præterita, cùm fuerit in se extra causas posita, adeóque intrinsecè determinata, possit esse sufficiens determinativum ad formalem denominationem præ-

præteriti: econtrà existentia, quæ futura dicitur, cùm adhuc sit intra causas contenta, & in se ipsa nondum determinata, hoc ipso non possit esse determinativum sufficiens ad tribuendam anticipatè denominationem futuri. Rursus: actualitas & suppositio existentiæ est prior denominatione præteriti, adeóque tametsi non ampliùs sit, tamen potest præstare denominationem & determinationem præteriti: atqui actualitas existentiæ habenda pro tempore futuro est quid posterius tempore præsenti, pro quo enunciatur aliquid futurum: unde necesse est assignare aliud determinativum pro tempore præsenti, cùm aliàs sequeretur, quòd determinatio rei à statu possibilitatis ad statum actualitatis præcederet suum determinativum, & effectus causam, quod implicat.

33. Instabis tertiò. Hæ propositiones æquipollent, *Antichristus erit*, & *Antichristus est futurus*; sicut æquipollent istæ: *Adam fuit* & *Adam est præteritus*: nam sicut istæ posteriores resolvuntur in hanc propositionem, *Adam habuit existentiam*, ita priores in hanc resolvuntur: *Antichristus habebit existentiam*. atqui Antichristus erit formaliter persuammet existentiam: ergo per eandem formaliter est futurus.

Resp. Dissimulatâ veritate majoris, quam meritò negat Godoyus, siquidem Doctor Angelicus unà cum Philosopho diserte fatetur, quòd *futurus aliquis incedere non incedet*: distinguo majorem. æquipollent hæ propositiones, si propositio, *Antichristus erit*, faciat hunc sensum: *in tempore præsenti verum est dicere, quòd Antichristus erit*, conc. majorem; si faciat hunc sensum: *in posteriori tempore aliquando dabitur instans, in quo verum sit dicere: Antichristus est*: nego majo. sed *Antichristus erit* formaliter per suam existentiam, in posteriori acceptione conc. quia tunc supponitur effectus per suâ existentiam formaliter extra causas positus, conc. in priori, nego minor, & consequentiam.

Si dicas: Hæc propositio: *Antichristus erit*, vel *habebit existentiam*, nihil dicit de præsenti: ergo nec illa: *Antichristus est futurus*. Distinguo antecedens: nihil dicit de præsenti in ipso Antichristo, conc. nihil in causa, nego, vel subdistinguo: nihil dicit signatè & explicitè, sicut hæc propositio: *Antichristus est futurus*, conc. nihil implicitè & exercitè, nego. non enim esset aliquando verum dicere *Antichristus est*, nisi antecedenter & de præsenti verificaretur actualitas futuritionis, ut optimè advertit Henric. à S. Ignat. dist. 8. de scientia DEI a. 4.

34. Objic. tertiò. Sequeretur, quòd formale constitutivum futuritionis esset decretum DEI; sed hoc dici nequit; ergo præparatio causarum non potest esse formalis ratio constitutiva futuritionis. Sequela est manifesta: quia omnium aliarum causarum præparatio est inefficacior, quàm causæ primæ, & in causando ab ipsa dependet: si ergo inferiorum causarum præparatio & determinatio esset formale constitutivum futuri in esse futuri, id multò potiori jure conveniet causæ primæ, seu decreto Divino. Minor probatur. Objectum & effectus decreti Divini non potest formaliter constitui per decretum divinum; sed futurum est objectum & effectus decreti Divini; nam DEUS non tantùm vult aliqua esse, sed etiam esse futura; ipsaque rerum futuritio non est actualitas à se existens, sed à DEO: ergo futurum non potest formaliter constitui per decretum Divinum. Major probatur: si DEUS causat effectum, vel objectum, causat etiam id, quo constituitur ille effectus vel objectum; sed DEUS non potest causare saltem formaliter suum decretum: ergo nec potest illud decretum constituere objectum & effectum decreti Divini.

Respondeò hoc sophisma peccare in confusione sensus specificativi & materialis cum sensu reduplicativo & formali. Itaque nego minorem argumenti, & majorem probationis. Secundæ probationis majorem (quæ absolutè negari potest) distinguo. Si DEUS causat objectum, vel effectum, causat etiam id, quo constituitur ille effectus, vel objectum; si causat objectum, vel effectum sub omni ratione reduplicatâ conc. maj. si causat specificativè, sub aliqua ratione nego, vel subdistinguo maj. causat id, quo constituitur effectus per denominationem intrinsecam, transeat, per denominationem extrinsecam, nego maj. & concesâ minore quoad formalem causalitatem, distinguo consequens; ergo illud decretum Divinum non potest constituere effectum, vel objectum decreti, per denominationem intrinsecam, & effectum, sub qua ratione est effectus, vel objectum directum, conc. per denominationem extrinsecam, & sub qua ratione effectus reduplicativè est futurus, nego consequentiam. Datur manifesta instantia in objecto cognito, & volito, ubi omnes creaturæ tam volitæ quàm cognitæ dependent & causantur tam ab intellectu (in sententia Thomistarum) quàm à voluntate Divina, suntque objectum utriusque potentiæ, simulque in esse voliti formaliter constituuntur per voluntatem, in esse cogniti per scientiam Divinam: Ergone DEUS causat ipsam suam scientiam & voluntatem tanquam constitutiva objectorum in esse cogniti & voliti? Nequaquam, quia nimirum causat illa objecta in sensu specificativo, quæ sunt cognita & volita; non quatenus talia, neque illa constituit intrinsecè, sed extrinsecè in esse cogniti & voliti. Sic patiter DEUS causat futura efficienter, quæ sunt futura, non quatenus sunt simpliciter futura per denominationem suæ voluntatis & decreti, quamvis si futura secundùm quid intelligas, ut sunt in præparatione causarum secundarum, sic etiam causet futura formaliter & reduplicativè.

35. Objicitur quartò. Quo posito, aliisque omnibus seclusis habetur formaliter futuritio rei, illud est formale denominativum & determinativum futuritionis: atqui positâ negatione existentiæ pro nunc, & existentiæ actualitate pro tempore sequenti, habetur formaliter denominatio futuritionis, secluso omni alio. ergo.

Respondeo negando minorem: imò est repugnantia in adjecto, ut concipiatur negatio connexa certò cum actualitate existentiæ habendæ pro tempore subsequenti, quin concipiatur causa determinata & præparata ad auferendam negationem existentiæ: cùm enim negatio Antichristi v. g. ex se sit prorsus indifferens ut præcedat vel non præcedat existentiam Antichristi, non aliunde

de habere potest, quòd certo præcedat ejus existentiam, eamque ut ponendam connotet, nisi propter determinationem causæ ad suo tempore ponendam existentiam Antichristi.

Dices. Ad denominationem præteriti sufficit negatio existentiæ connotatæ pro tempore antecedente, nec est necesse, ut ejus constitutionem ingrediatur causa, vel decretum quantumvis absque illo non potuerit poni existentia; ergo neque ad constitutionem futuri necesse erit, ut intrinsecè ingrediatur determinatio causæ & decreti Divini.

Respondeo ex jam dictis, esse disparitatem, quòd existentia semel extra causas posita, hoc ipso, quòd desinit, determinet negationem consequentem ad connotationem sui, ita ut repugnet, quòd illa negatio non connotet existentiam præcedentem, ceu terminum à quo; atqui negatio antecedens existentiam est ex se indifferens, ut connotet, vel non connotet existentiam consequentem, nec potest illa indifferentia auferri, nisi per determinationem causæ & decreti divini, ut dictum est.

36. Objic. quintò. Formalis malitia peccati est futura ab æterno; sed non est futura ab æterno in determinatione alicujus causæ: quia hæc ab æterno alia esse non posset, quàm causa prima, quæ formalis malitiæ causa esse non potest: ergo futurum non formaliter accipitur à præsenti determinatione causæ. Respondeo usque ad ulteriorem hujus difficultatis explanationem; dist. minor.

Non est futura in determinatione causæ physicè causantis, concedo, permittentis & ex sua permissione logicè inferentis, nego. ergo futurum non rectè sumitur ex determinatione causæ, tantùm physice causantis, conc. vel physicè causantis, vel permittentis, & logicè, infallibiliter tamen inferentis, nego consequentiam. Sensus est, quòd cùm formale peccati non sit effectus physicus habens causam efficientem, sed deficientem (præsertim si mecum constituas in privativo) sit non est futurum physicè, sed logicè tantùm: ideòque non requirit physicam & positivam causæ determinationem, seu decretum positivum, sed tantummodò determinationem permissivam. Cùm enim DEUS non præparat efficacia subsidia causis secundis, quibus in aliarum causarum congressu non deficiant, defectus infallibiliter sequitur: non quidem per certitudinem causalitatis, sed logicæ consequentiæ & illationis: ideóque DEUS justo suo judicio denegando aliquibus causis efficacia ad bene agendum subsidia (quod est permissivum, non positivum decretum) videt in hac permissiva determinatione suæ providentiæ futuros causarum defectus & formalem actionum malitiam, de quo in seq.

ARTICULUS II.

Quomodo DEVS cognoscat futura contingentia?

SUMMARIA.

1. *Sententia Ægidii Romani exponitur.*
2. *Impugnatur.*
3. *Modus, quo ideæ futura repræsentant ex S. D.*
4. *Solvitur fundamentum Ægidii.*
5. *Sententia de decretis ut futuris exponitur.*
6. *Impugnatur authoritate & ratione.*
7. *Argumentum ab hypothesi impossibili eliditur.*
8. *An DEVS cognoscat suum decretum ut possibile?*
9. *Mala illatio à prioritate à quo, ad prioritatem in quo.*
10. *DEVS* decernet creare mundum, *est propositio simpliciter falsa.*
11. *Explicatur sententia de supercomprehensione causarum.*
12. *Impugnatur authoritate & ratione.*
13. *Vox supercomprehensionis nihil evincit.*
14. *An cognitio Divina nostrorum actuum sit conjecturalis?*
15. *Respondetur ad fundamentum sententiæ oppositæ.*
16. *Qualem indifferentiam habeat voluntas ut præmota?*
17. *Sententia de cognitione futurorum in illorum objectiva veritate impugnatur authoritate.*
18. *Et ratione petitâ ex cognoscibilitate rerum.*
19. *Secundo ex destructione contingentiæ.*
20. *Prima replica de necessitate ex suppositione liberæ determinationis oppugnatur.*
21. *Altera replica de suppositione, quòd eventus contingenter erit, refutatur.*
22. *Tertia ratio ex præjudicio Divini dominii.*
23. *Quarta ratio à paritate possibilitatis ad futuritionem.*
24. *Videt DEVS futura contingentia in sua essentia determinata per liberum decretum.*
25. *Authoritas D. Augustini præter Angel. Doct.*
26. *Rationes pro sententia Thomistica.*
27. *Occurritur evasioni Adversariorum.*
28. *Nullum inde nascitur præjudicium libertati.*

§. I.

DEVS futura contingentia antecedenter ad suum decretum non videt in ideis.

ÆGigius Romanus ad salvandam certitudinem Divinæ scientiæ de futuris contingentibus confugit ad ideas, hâc usus ratione: Ideæ Divinæ, cùm sint infinitæ in repræsentando, & sint in signo antecedente Decretum DEI, debent præsuppositivè ad omne decretum DEI repræsentare omnem creaturam repræsentabilem: atqui in cumulo omnium creaturarum repræsentabilium continentur etiam futura contingentia: ergo antecedenter ad Divinum decretum futura contingentia in ideis repræsentantur, & cognoscuntur.

Sed contra est primò: futurum repræsentari nequit, antequam sit futurum; sed contingentia ante-

antecedenter ad decretum DEI non sunt futura, ut §. præcedenti dictum: ergo nequeunt ut futura repræsentari.

Secundò: quidquid antecedenter ad Divinum decretum in ideis continetur, necessariò continetur, libera enim decreta sunt fons omnis creatæ, & increatæ libertatis: sed futura contingentia non possunt necessariò contineri in Divina essentia, ergo in signo antecedente Divinum decretum non continentur, neque repræsentantur in ideis.

3. Repræsentant quidem ideæ, quidquid est repræsentabile, sed diversâ ratione: quidditates possibiles necessariò repræsentant in signo antecedente decretum, ideóque spectant ad scientiam possibilium: res futuras repræsentant liberè ex suppositâ determinatione decreti Divini, & sic pertinere possunt ad scientiam visionis. Ita docet S. D. q. 3. d. ver. a. 6. in c. dicens: *quòd ideæ possit esse ejus, quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo, sicut est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinantur ex proposito Divinæ voluntatis; non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* Hæc S. D.

4. Ex quibus jam patet responsio ad argumentum Ægidij: Ideæ nimirùm Divinæ in signo antecedente decretum repræsentant omnem creaturam repræsentabilem, distinguo; repræsentabilem quocunque modo, nego; repræsentabilem ante decretum, concedo: sed futura contingentia continentur in cumulo repræsentabilium quocunque modo, conc. repræsentabilium ante decretum, nego min. (sic enim ne quidem adhuc sunt futura) & nego consequentiam. Neque existimes, aliquam imperfectionem aut mutationem aspergi Divinis ideis, cùm dicimus, ab ipsis futura non repræsentari in signo antecedente, bene autem in signo consequente decretum: sunt enim hæc signa rationis tantùm, per quæ non aliud intendimus, & significamus, quàm essentiam Divinam in ratione ideæ repræsentare futura contingentia, ex vi conjunctionis cum decreto Divino; ita ut si nullum esset decretum, nihil quoque repræsentaretur futurum. Ideóque in signo rationis, quo præscindimus à Divinis decretis, noster intellectus nullum habet fundamentum scientiam futurorum in DEO concipiendi.

§. II.

Nec videt in suis decretis ut futuris.

5. ALiam viam ingressus est Suarez. Is enim, quia vidit Divini decreti necessitatem pro futurorum cognitione, prolegom. 2. de grat. fatus est, independenter à Divino decreto nihil esse absolutè futurum. Sed tamen lib. d. scient. condit. c. 8. docuit, DEUM futura contingentia & libera certò præscire in suo decreto non ut exercitè præsenti, sed ut futuro; ita ut cognitio futurorum contingentium sit in signo antecedente exercitam decreti existentiam.

6. Verùm enim verò nec iste modus explicandi potest subsistere. Contrà enim est expressa authoritas S. D. q. 6. d. verit. a. 3. ad 10. divinis actibus omnem rationem tam præteriti, quàm futuri denegantis, sic enim loquitur: *actus prædestinationis, cùm mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurus.*

Ex quibus verbis illa decretorum futuritio impugnatur primò. Actus, qui per essentiam mensuratur æternitate, non potest habere rationem futuri, sed decreta per essentiam habent, ut mensurentur æternitate. ergo. Major prob. simultas & præsentialitas durandi est de essentia æternitatis; sed hæc repugnat cum futuritione: ergo etiam æternitas repugnat cum futuritione.

Secundò. Implicat, ut decretum habeat rationem præteriti; ergo pariter implicat, ut habeat rationem futuri. Conseq. prob. tum quia omne futurum potest transire in præteritum: ergo si quid non potest transire in præteritum, etiam non potest esse futurum; tùm quia non minùs futurum est aliquando sub non esse, quàm præteritum: sed præteritum esse ideo repugnat cum æternitate, quia est aliquando sub non esse: ergo etiam futurum esse cum æternitate repugnat, sicut enim de decreto præterito verum esset dicere: *jam non est, sed immediate antea fuit*: ita verum esset dicere de futuro: *jam non est, sed immediatè post erit*: Adeóque secundum illud signum, quo diceretur, *non est*, non comprehenderet omne tempus; neque proinde esset æternum.

Tertiò. In illo signo non potest decretum cognosci futurum, in quo præscinditur ab ejus futuritione; sed in signo antecedente decretum præscinditur ab ejus futuritione: ergo. Minor prob. quia in illo signo nec affirmatur futuritio, neque negatur, cùm objectum illius signi sit sola rei essentia, ergo in illo signo ab utroque præscinditur.

Adde quòd, ut monent Salmantic. Illa præcisio tantùm est in nostro intellectu, propter suam imperfectionem non adæquante Divinam cognoscibilitatem, non autem in intellectu Divino: ergo ex hoc non rectè probatur, quòd DEUS cognoscat suum decretum tanquam virtualiter futurum. Antecedens probatur. Cognitio intuitiva non præscindit, sed attingit exercitam rei existentiam & præsentialitatem; sed DEUS sua decreta cognoscit intuitivè: ergo non præscindit, sed attingit præsentem ab æterno exercitamque existentiam illorum.

Quartò. DEUS non potest suum decretum ut futurum cognoscere in sua essentia & voluntate, nisi ut determinata ad tale decretum, quia causa ut indeterminata non tribuit determinatum esse, sed in signo antecedente decretum non potest voluntas & essentia esse determinata ad ponendum decretum, nulla quippe determinatio potest præsupponi libero decreto, nisi quæ sit necessaria; atqui essentia & voluntas DEI non est necessariò determinata ad sua decreta: ergo.

Quintò. Si DEUS cognosceret suum decretum, ut in signo subsequente futurum, cognosceret étiam suam voluntatem in signo antecedenti ut potentiam ab actu voluntatis virtualiter distinctam, sed hoc dici non potest, juxta ea, quæ cap. 2. disseruimus.

7. Dices tamen primò. Si per impossibile decretum DEI non mensuraretur æternitate, DEUS in comprehensione suæ essentiæ & voluntatis illud

ut formaliter futurum cognosceret, ergo etiam nunc habet scientiam de ipso tanquam de virtualiter futuro. Resp. Inprimis neg. ant. nihil enim in illa hypothesi impossibili foret, ratione cujus decretum potiùs esset futurum, quàm non futurum. Comprehensionis quoque perfectio non exigit, ut videantur effectus futuri, aliter quàm sunt futuri, imò hoc esset magna imperfectio cognitionis: cùm igitur ante determinationem causæ, nullus effectus habeat, quòd sit futurus, comprehensivæ cognitionis perfectio ante determinationem causæ non exigit cognitionem effectûs futuri.

Secundò. Dato, non concesso antec. nego conseq. Cujus falsitatem cognosces ex hoc & simili modo inferendi: si per impossibile Verbum Divinum non esset æternum, scientia Divina tanquam comprehensiva illud cognosceret formaliter futurum in certa temporis differentia; ergo in signo priori, quo Pater producit Verbum, cognoscit illud ut virtualiter futurum, quàm consequentiam cùm Adversarii non concedant, etiam prioris consequentiæ infirmitatem agnoscunt.

8. Secundò. Potest DEUS cognoscere suum decretum ut possibile, ergo potest illud cognoscere etiam ut futurum, siquidem possibile plus distat à duratione præsenti, quàm futurum.

Respondeo. DEUS cognoscit suum decretum ut possibile possibilitate negativâ non repugnantiæ, quam habet etiam quodlibet ens existens, & necessarium, conc. possibilitate positivâ extrinsecæ denominationis à potentia producente, nego; sed possibilitas magis distat à præsenti duratione, quàm futuritio; si sit positiva, conc. si negativa nego.

9. Tertiò. Admittitur in Divinis virtualis prioritas inter perfectiones necessarias & liberas, absolutas & relativas; inter ipsa quoque decreta DEI, è quibus intentio prior est electione: ergo etiam admitti debet virtualis futuritio Decretorum.

Respond. negando consequentiam, quia omnis illa prioritas tantùm est præcisionis, & *à quo*; non verò durationis, & *in quo*, qualis ad futuritionem requiritur.

10. Quartò. In signo antecedente decretum una ex his contradictoriis necessariò debet esse vera: *DEVS in sequenti signo decernet creationem mundi*: *DEVS in sequenti signo non decernet creationem mundi.* Cùm igitur posterior propositio sit falsa, prima debet esse vera: ergo verum quoque erit objectum ipsius, quod est futuritio virtualis Divini decreti de producendo mundo. Resp. primò negando suppositum antecedentis, in quo supponitur prioritas *in quo*, cùm solummodò sit prioritas *à quo*. Resp. secundò. In signo & pro signo antecedente decretum hanc propositionem semper fore falsam, *DEVS in signo sequenti decernet creare mundum*, quia in hac propositione enunciatur futuritio decreti, quæ tamen nulla est.

§. III.

Nec videt in supercomprehensione causarum.

11. MOlina cum Becano sentit, futura contingentia antecedenter ad decretum absolutum cognosci in intima penetratione causarum secundarum, quam supercomprehensionem appellat. Et nititur hæc sententia unico pene fundamento: quòd divina cognitio perfectiùs intimam virtutem cujuscunque causæ creatæ exploret, quàm ulla creata cognitio; ergo cùm aliqua creata cognitio Angelica & humana futura contingentia in libero arbitrio conjecturaliter attingat, divina cognitio illa in supercomprehensione ejusdem arbitrii certò attinget.

Confirm. Major debetur perfectio supercomprehensioni, quàm comprehensioni: sed vi comprehensionis liberi arbitrii DEUS certò videt omnes effectus cum illo necessario connexos: ergo vi supercomprehensionis certò videt effectus etiam contingenter connexos.

Hanc sententiam expresè rejecit S. D. a. 13. 12 textu suprà cit. & rursus q. 16. de malo a. 7. in c. ubi hæc habet: *quia unumquodque cognoscitur, secundùm quod est in actu, non autem secundùm quod est in potentia, ut dicitur in 9. Metaphys. in. de est, quòd ea, quæ sunt ad utrumlibet, non possunt prægnosci in suis causis determinatè, &c.* Nimirum, eo modo effectus in causa cognoscitur, quo modo continetur, & habet esse in causa: sed futura contingentia antecedenter ad prædeterminans decretum DEI non habent esse determinatum in causa. Implicat etiam futura cognosci, antequàm habeant esse futuri, sed ante determinationem causæ liberæ, factam divino decreto prædeterminante, effectus contingentes non habent rationem futuri; ergo ut sic etiam non possunt cognosci.

Neque vim argumenti enervat magna vox supercomprehensionis: etenim illa vel adjicit aliquid perfectionis ad comprehensionem ex parte rei cognitæ, vel ex parte cognitionis: si primum, contra est: quòd cognitio non mutat naturas rerum, nec facit aliquid in se cognoscibile, quod non est cognoscibile, nisi fingat chimæras & entia rationis: atqui effectus contingentes ante determinationem causæ liberæ non habent esse determinatè futurum, aut determinatam cognoscibilitatem, ergo. Si secundum: contrà est, quia major perfectio cognitionis consistit in majori conformitate cum objecto, illa quippe cognitio rem meliùs cognoscit in causa, quæ meliùs penetrat & enuntiat modum, quo effectus continetur in causa. Sed effectus contingentes ante determinationem causæ liberæ non sunt determinatè futuri, sed incerti, & fallibiles: ergo tam parum sequitur ipsos à perfectiori cognitione certò cognosci, ut potiùs quantò perfectior est causæ comprehensio, tantò minùs determinata ipsorum futuritio cognoscatur & judicetur.

Ergo, inquis, cognitio, quâ DEUS actus nostros ut in libero arbitrio contentos cognoscit, est conjecturalis? Resp. Est conjecturalis ex parte subjecti nego, ex parte objecti, conc. hoc est, videt DEUS actuum nostrorum intrinsecam contingentiam & fallibilitatem, quantum est ex vi liberi arbitrii ut causæ proximæ; non tamen ipse videt fallibiliter, quia ex vi altioris causæ, sui nempe decreti videt liberum arbitrium ad hos vel illos actus inclinatum.

Ad

Ad fundamentum Molinæ Resp. Cognitioni
17. divinæ & supercomprehensioni major debetur perfectio, quàm cuicunque cognitioni creatæ & comprehensivæ tantùm: perfectio tenens se ex parte actûs, conc. ex parte rei cognitæ, tanquam aliquid immutans ex parte ipsius, nego.

Adhuc dices: In Thomistica doctrina DEUS
16. certò videt actus liberos in voluntate ut præmota, & tamen voluntas ut præmota habet indifferentem connexionem cum suis actibus. Resp. disting. alterum membrum antec. voluntas ut præmota habet indifferentem connexionem cum suis actibus: indifferentiâ actuali & positivâ, concedo, indifferentiâ privativâ seu suspensionis, quæ dicit potentiam conjunctam cum carentia actûs, nego antec. & consequentiam: voluntas enim non præmota habet connexionem indifferentem indifferentiâ etiam privativâ, à qua actus nullam habet essendi determinationem, nec proinde futuritionem.

§. IV.

Futura contingentia non videntur in ipsorum veritate objectiva.

COmmunior sententia Recentiorum amplectitur pro medio videndi futura contingentia, eorundem objectivam veritatem, quæ sit objicibilis Divino intellectui præsuppositivè ad omne decretum, quam docuit Suarez de scient. fut. conting. l. 2. c. 2. Ejus fundamentum consistit in futuritionis expositione priori articulo à nobis relata & refutata.

Contra eandem est in primis authoritas S. Doct.
17. qui exponens Aristot. l. 1. perih. c. 8. lect. 13. tantùm abest, ut Philosophi doctrinam censurâ *erroris Theologo non curandi* perstrinxerit, ut insuper suo suffragio & doctrina firmaverit, dicens: *in singularibus, quæ sunt de futuro, hoc non esse necesse, quod una sit determinatè vera & altera falsa.* Idque repetit in 1. dist. 38. q. 1. a. 5. & alibi. Neque valet illa elusio, quòd S. D. cum Arist. tantùm loquatur de veritate determinatâ quoad nos, nullam enim aliam reddunt rationem, cur neutra ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti sit determinatè vera, vel falsa, nisi quia futurum contingens non habet esse determinatum in suis causis, ita enim S. D. loquitur cit. dist. 38. q. 1. a. 5. ad 2. Præterea si futura contingentia in eorum objectivâ veritate viderentur; nec viderentur in Divina essentia, tanquam causa: nec scientia visionis foret causa rerum. neque ideo res essent futuræ, quia DEUS novit: certitudo quoque Divinæ scientiæ haberetur à rebus, non à se: futurum non esset id, quod determinatum in causa, &c. quæ omnia pugnare contra doctrinam S. Doct. constat ex præcedenti disp.

18. Ratio quoque contra eandem doctrinam est primò. Eo modo aliquid est verum & cognoscibile, quo modo est ens, ita nimirùm, ut modus entis semper se teneat ex parte objecti (loquitur ipse Derkennis c. 7. §. 3.) hæc quippe pari semper passu procedunt: ens, verum, scibile, & secundùm omnes Philosophos, cognoscibilitas est passio entis. Atqui futura contingentia non habent esse nisi in causa, in se enim actu nihil sunt, fa-
tentibus Adverss. ergo etiam non in se ipsis, sed in causis (non utique indeterminatis, sed determinatis) cognoscibilitatem & veritatem objectivam, habere possunt.

Ratio est secundò. Veritas objectiva determi-19.
nata futurorum contingentium præcedens omne Decretum DEI destruit omnem contingentiam, & inducit necessitatem: ergo implicat. Consequentia est Adverss. Antec. prob. Ubi prædicatum ex intrinsecis principiis inest subjecto, connexio utriusque (adeóque veritas objectiva, cùm per ipsam nihil aliud intelligi possit, quàm connexio prædicatorum) est necessaria, v. g. in hac propositione *Petrus consentiet*, connexio futuritionis cum consensu Petri esset ex intrinsecis principiis: ergo esset connexio necessaria. Major ex eo liquet, quia quòd rei non ab extrinseco, sed intrinseco convenit, ex natura rei, adeóque necessariò convenit. min. etiam patet, quia hæc veritas & connexio per Adverss. oritur ex intrinsecâ determinatione futurorum secundùm dicta n. 1.

Accedit primò. Quòd veritas præcedens omne signum libertatis est necessaria; sed veritas objectiva futurorum contingentium præcederet omne signum libertatis, quia præcederet signum libertatis Divinæ, quæ per essentiam est primum liberum omnis alterius liberi fons & causa.

Accedit secundò. Quòd veritas objectiva esset fundata in principiis intrinsecè necessariis, quæ cognoscuntur à DEO per scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, nempe quòd *ex duabus propositionibus contradictoriis altera debet esse vera, altera falsa: quòd quodlibet est, aut non est.* quæ sunt propositiones æternæ veritatis: ergo & ipsa veritas objectiva esset simpliciter necessaria.

Respondebis primò. Illam necessitatem non20.
esse absolutam, sed ex suppositione liberæ determinationis faciendæ à causa contingenti & libera. E. g. hujus propositionis (*Petrus consentiet*) veritas objectiva non est necessaria, nisi ex suppositione liberæ determinationis, quâ se Petrus ipse determinabit ad consensum; adeóque non est necessitas antecedens, sed consequens.

Sed contra datam responsionem est primò: quòd hinc sequeretur, veritatem objectivam hujus propositionis non haberi propter intrinsecam determinationem objecti, sed extrinsecam à causa, quod est contra hypothesin Adverss. Contra est secundò. Quòd hæc ipsa determinatio libera est quid futurum contingens, & de ea similiter possunt fieri contradictoriæ propositiones, *vel Petrus liberè se determinabit ad consensum, vel non se liberè determinabit.* Vel ergo, quòd se liberè determinabit, est determinatè verum intrinsecâ determinatione, vel non est determinatè verum intrinsecâ determinatione. Si non; habemus intentum: si est; redit eadem difficultas, quomodo non sit necessaria connexio inter futuritionem & determinationem Petri.

Respondebis secundò. Hujus objectivæ veri-21.
tatis determinationem ac necessitatem ideo non præjudicare libertati, quia tantùm est necessitas ex suppositione, quòd eventus contingens aliquando erit; vel absolutè, si est absolutè futurus; vel conditionatè, si est conditionatè futurus. Ex

eo enim, quòd ista propositio de ineſſe, *Petrus conſentit*, habebit aliquando ſuam determinatam veritatem, etiam iſta propoſitio, *Petrus conſentiet*, quæ per alteram regulatur, habet ſuam determinatam veritatem.

Sed contra eſt primò. Illa ipſa propoſitio contingens de ineſſe, ideo habet veritatem intrinſecè determinatam, quia ejus objectum in ſe ipſo eſt poſitum extra cauſas: ergo ex oppoſito propoſitio de futuro contingenti non habet determinatam veritatem, quia ejus objectum non eſt in ſe ipſo poſitum extra cauſas.

Contra eſt ſecundò. Ipſamet exiſtentia objecti contingentis, ut de præſenti poſita extra cauſas, dependet à libero & abſoluto decreto DEI tanquam cauſa prima: ergo etiam futuritio objecti contingentis, quæ per illam exiſtentiam regulatur, dependet à decreto DEI: ergo impoſſibile eſt, ut ſit determinatè futurum in priori pro decreto DEI.

Contra eſt tertiò. Futurum dicitur per habitudinem ad eſſe, quod aliquando habebit de præſenti; atqui antecedenter ad omnem determinationem cauſæ eſſentia rei contingentis non dicit habitudinem ad illud eſſe, quia habitudo, quam eſſentia dicit independenter ab omni extrinſeco, eſt ipſi intrinſeca & eſſentialis, (ut n. 3. obſervavimus) ergo ſi qua eſſentia contingens, antecedenter ad omnem extrinſecam determinationem diceret habitudinem ad eſſe aliquando habendum, ea ipſa habitudo foret ipſi eſſentialis & neceſſaria.

Contra eſt quartò. Sequeretur rem priùs eſſe futuram, quàm ſit poſſibilis, quod eſt abſurdum. Sequelam probo. Pro omni illo ſigno propoſitio de futuro habet determinatam veritatem, pro quo eſt conformis cum propoſitione de ineſſe, ſed pro ſigno etiam poſſibilitatis rerum, imò pro ſigno antecedente poſſibilitatem propoſitio eſt conformis objecto, ſemper enim verum erit, ut in tempore ſubſequente aliquando ponatur ipſius objectum: ergo etiam ante ſignum poſſibilitatis haberetur determinata rerum futuritio.

Unde contra eſt quintò. Quòd hæc ſuppoſitio eventûs futuri ſit mera petitio principii, cùm eadem ſit difficultas, quo modo in ſigno antecedente decretum aliquid ut futurum ſupponi poſſit, quàm cur ſit futurum?

22 Ratio ulterior contra objectivam veritatem contingentium eſt tertiò. Quòd ſi in ſigno antecedente decretum daretur illa determinata veritas contingentium, non ſubeſſent liberæ diſpoſitioni Divinæ; conſequens eſt abſurdum & repugnans independentiſſimo dominio DEI, & rationi cauſæ primæ: ergo. Sequela prob. De illo non datur libera diſpoſitio DEI, quod non eſt intrinſecè indifferens ad non eſſe; ſed futura contingentia in ſigno antecedente decretum non eſſent intrinſecè indifferentia ad non eſſe, utpote habentia intrinſecam determinationem veritatis, adeóque & entitatis pro determinato tempore conſequendæ: ergo nihil relinqueretur Divino dominio, quod de illis futuris contingentibus liberè poſſet diſponere.

23. Quartò. Poſſibilia nullam habent veritatem objectivam ſeu cognoſcibilitatem, quæ non ſunditur in ipsa eſſentia & potentia Divina: ergo etiam futura nullam habent veritatem objectivam, aut cognoſcibilitatem non fundatam in decretis Divinis. Antec. admittitur etiam à multis Adverſariis, & inde conſtat, quòd non minùs omnipotentia, quàm perfectio Divinæ ſcientiæ, ejúsque certitudo penderet à rebus creatis, ſi creaturæ poſſibiles independenter ab eſſentia Divina eſſent poſſibiles, atque in ſe ipſis & objectiva ſua veritate cognoſcerentur; præterquam quòd modus illa in ſe ipſis cognoſcendi ſit impoſſibilis ſecundùm ſuperiùs dicta. Conſeq. prob. uti ſe habet omnipotentia Divina in actu primo, & tanquam virtus cauſandi ad creaturas poſſibiles, ita ſe habet eadem Omnipotentia & eſſentia, ut in actu ſecundo applicata per decretum ad creaturas futuras: quia ſicut poſſibiles nihil ſunt niſi in virtute cauſæ, à qua extrinſecam denominationem poſſibilium recipiunt; ita futuræ nihil in ſe ſunt, ſed in determinatione cauſæ, à qua extrinſecè futuræ denominantur, & per quam tranſeunt è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis.

Confirm. Non minùs futura ſunt eſſentialiter ens ab alio, quàm poſſibilia: ergo ſicut poſſibilia in eſſe poſſibili pendent ab eſſentia Divina; ſic etiam futura in eſſe futuri & actualis dependent ab eſſentia Divina; ſed non dependent ab illa ut antecedente decretum; ſic enim non eſt niſi mera virtus cauſandi, ergo ab illa ut determinata per decretum.

§. V.

Reſolutio quæſtionis.

EX hactenus præmiſſis & diſputatis ſequitur, Thomiſtica reſolutio quæſtionis, &

Concluſio. DEUS in ſua eſſentia ut determinata per liberum decretum videt futura contingentia.

Veritas hujus aſſertionis deducitur ex aliarum ſententiarum refutatione, & fundamentis hucusque per præcedentes §§. poſitis, è quibus etiam certò conſtare poteſt, hanc ipſiſſimam eſſe mentem & doctrinam S. Thomæ. Vidimus enim diſp. 11. a. 4. n. 20 ex eodem S. D. DEUM non aliter videre creaturas, quàm in ſua eſſentia: ſed & ipſa eſſentia creaturas actuales, inter quas ſunt futura contingentia, haud aliter repræſentat, niſi prout eſt determinata per decretum liberum; cùm liberam habeat duntaxat connexionem cum ipſis, ergo. Vidimus quoque ex S. D. ſuper: diſp. 12. a. 1. ſcientiam viſionis, quæ etiam ad aliqua futura contingentia extenditur, eſſe cauſam rerum, & ideo res eſſe, quia novit DEUS (n. 4.) non ideo DEUM nôſſe; quia ſunt. Vidimus hâc diſp. a. 1. §. 2. futurum S. Doctori eſſe id, quod eſt determinatum in cauſa, ſed hæc omnia ſupponunt infallibile decretum DEI pro ſigno, quo certa datur ſcientia futurorum contingentium. Rurſus: 3. cont. gentes. c. 56. ait: *DEVS ſcit omnes naſtras voluntates* (h. e. volitiones) *per hoc, quòd eſt nobis cauſa volendi.* Ubi vides, quàm apertè S. D. cognitioni futurorum contingentium Divinæ voluntatis influxum & cauſalitatem præ requirat.

Eandem doctrinam præter alios textus ſparſim inſertos & in ſequentibus inſerendos confirmat D. Auguſtinus ſuprà cit. l. de prædeſtin. SS. c. 10. dicens:

dicens: *Prædestinatione* (h. e. decreto & ordinatione suæ voluntatis) *DEUS ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* & de bono perseu. c. 17. *Si DEUS ea se daturum præscivit, profectò prædestinavit.* S. quoque Hilarius in hunc sensum 9. d. Trinit. *Quæ DEUS*, inquit, *facere decrevit, in sua voluntate cognovit.*

26. Rationes jam ante fusiùs expensas in unam alteramque strictim colligo. Eâ solùm ratione à DEO futura contingentia certò cognosci possunt, quâ ratione Divinæ scientiæ sub ratione futuri certòobjici possunt. Atqui non nisi dependenter à Divino decreto scientiæ DEI certò objici possunt. ergo. Minor prob. futurum nihil est ante causæ determinationem; neque certum est, quamdiu latet in potentia causæ liberæ indifferente, & in neutram partem contradictionis præponderante: sed antecedenter ad decretum DEI res contingentes nullam habent determinationem in causa; continentur quoque in virtute indeterminata & incerta causæ liberæ: ergo antecedenter ad decretum DEI nec futuritionem, nec certitudinem habere possunt.

Præterea: Potest DEUS in sua divina essentia tanquam causa & medio cognito videre futura contingentia: Omnis quippe effectus cognoscibilis est in sua causa, neque modus ille cognoscendi involuit imperfectionem: atqui futura contingentia sunt effectus DEI; ergo potest illa videre in sua essentia tanquam causa & medio cognito. Si potest: ergo actu ita cognoscit: nam in perfectionibus DEO intrinsecis idem est posse & esse. Imò cùm omnis alius modus creaturas cognoscendi sit imperfectus, & indignus DEO, juxta superiùs dicta, hoc solo modo potest illas cognoscere, & cognoscit. Certè comprehensiva & perfectissima cognitio effectûs, videt effectum omni modo, quo est, unà cum omnibus causis: sed effectus est futurus dependenter à decreto DEI tanquam causa, ergo per comprehensivam DEI cognitionem nullus effectus attingitur, quin attingatur decretum ceu causa ipsius.

Si ad hæc respondes: cognoscere DEUM qui-27. dem futura contingentia in decreto, sed tamen ut virtualiter futuro, manet responsio refutata ex §. 2. Si dicis, cognoscere in decreto non ut efficaciter prædefiniente, & causante physicam prædeterminationem, sed ut præbente simultaneum aut indifferentè concursum; remitto te ad scientiæ mediæ in sequenti, & decreti indifferentis in disputatione 16. rejectionem.

Si metuis, ex efficacis decreti prædefinitione 28. humanæ libertatis præjudicium, cape usque ad ulteriorem hujus negotii expeditionem, contra trepidationem cordis efficax à S. Doctore antidotum, & ad tritissimam illam objectionem responsum, hîc q. 19. a. 8. in c. *Ex hoc, quòd nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quòd non solùm fiant ea, quæ DEUS vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel necessario, quia sic vult fieri DEUS.* Si ulteriorem desideres rationem, audi eundem S. Doct. q. 6. de verit. a. 3. ad 3. ita loquentem: *DEUS agit in voluntate non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed movet eam non auferendo modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit; & ideo, quamvis divinæ voluntati nihil resistat, tamen voluntas & quælibet alia res exequitur divinam voluntatem secundùm modum suum, quia & ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic ejus voluntas impleretur.*

Habes itaque ex S. Doct. quòd DEUS *agat in voluntatem*, eamque moveat, adeóque etiam *præsiniat*, siquidem motio illa executio est temporanea æternæ præfinitionis. Habes etiam quòd sit *efficax*, quia nihil ejus voluntati resistit. Habes insuper, quòd non auferat libertatem, quia movet voluntatem *secundùm modum suum. Attingit* nimirum omnia *fortiter*, quia nihil fallit ipsius efficaciam: *disponit omnia suaviter*, quia non tantùm ut primum agens dat agere, sed ut primum liberum & fons omnis contingentiæ & libertatis, dat actibus nostris ipsum modum indifferentiæ, contingentiæ, & libertatis.

ARTICULUS III.

Quomodo DEUS videat futura peccata.

SUMMARIA.

1. *Distinctio peccati in materiale & formale, quorum illud est à DEO, non istud.*
2. *Distinctio decreti in positivum & permissivum.*
3. *Infallibilitas consecutionis alia physica, alia logica.*
4. *Nequit videri malitia formalis in decreto positivo.*
5. *Materiale peccati videtur in decreto positivo.*
6. *Videt DEUS formale peccati in suo decreto permissivo*
7. *An causa antecedentis semper sit causa consequentis.*
8. *An ut affirmatio est causa affirmationis, sic negatio sit causa negationis?*

Quæ priùs in solutione objectionum strictim attigi, nunc enucleatiùs exponenda, & amovendus lapis offensionis, qui vexat Adversariorum mentes, dum existimant, è nostra doctrina sequi, vel DEUM certò non cognoscere futura peccata, vel esse causam illorum. Sit igitur.

§. I.

Præsupposita.

NOtandum primò. In actu peccati duo distingui, materiale & formale, formale est formalis 1. malitia & deformitas peccati, quæ sicuti essentialiter est recessus ab ultimo fine, ita neque in DEUM ut ultimum finem referri, nec ipsius divinæ voluntati subesse potest, ut adeo nec prævio, nec simultaneo concursu DEUS in illam influere, vel creatam voluntatem physico aut morali influxu ad illam movere possit, *quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es.* ps. 5. & suppono ex tr. d. pecc. Materiale peccati est entitas ipsius actûs substrata malitiæ, quæ cùm sit aliquod ens & bonum, divinam causalitatem non potest effugere, prout agnovit D. Anselmus l. de præsci. & lib. arb. c. 10. *Audacia est dicere aliquid esse ens, quod non sit ab ente primo.*

2. Notandum secundò. Duplex decretum in DEO distingui positivum, & permissivum; cujus distinctionis mentionem facit D. Aug. enchir. c. 59. *Non fit aliquid*, inquit, *nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipsa faciendo.* Et S. D. hîc q. 14. a. 9. ad 3. *Illa solùm sunt futura, quæ DEVS permittit esse, vel vult esse.* Itaque positivum decretum est, quo DEUS ab æterno positivè decernit, ut aliquid fiat, & in virtute illius decreti in tempore positivè concurrit & influit in effectum prædefinitum. Permissivum est, quo statuit denegando auxilium efficax nulli debitum (quo impedita fuisset malitia peccati, quæ ex vi arbitrii defectuosè operantis in defectu talis auxilii infallibiliter sequetur) eandem malitiam permittere.

3. Notandum tertiò. Duplici modo unum ex altero infallibiliter sequi & inferri posse. Primò consecutione physicâ seu causalitatis, qualiter effectus sequitur ex sua causa, secundò consecutione logicâ, seu logicæ illationis & consequentiæ, quâ unum infertur ex positione alterius, quamvis non sit effectus ipsius. Ita ex ambulatione claudi certò infertur claudicatio ipsius, quamvis claudicatio, hoc est irrectitudo ambulationis non ex vi ambulationis & virtutis motricis, sed ex tibiæ defectu & pedis tortuositate per se sequatur: ideóque est infallibilitas logicæ illationis, non physicæ causalitatis.

§. II.

Veritas Thomistica.

4. CErtum sit primò. Formalem malitiam peccati in aliquo decreto positivo aut præfinitivo nullâ ratione videri posse. Cujus ratio est manifesta: quia quod DEUS videt in decreto positivo, illius est causa; sed non est causa formalis malitiæ peccati; ergo non videt illud in decreto positivo.

5. Certum sit secundò. Actum ipsum substantem malitiæ, qui etiam est materiale peccati, in positivo suo decreto à DEO cognosci; in hoc quippe cognoscit DEUS omnem effectum, quicunque subest primæ causalitati ipsius; sed actus peccati materialiter spectatus, cùm habeat rationem entis & boni, subest divinæ causalitati: ergo ipsum DEUS in suo decreto cognoscit. quibus ita suppositis sit.

6. CONCLUSIO: *DEVS certò cognoscit futura peccata: in quantum videndo actum & materiale peccati in suo decreto positivo, simul videt in decreto permissivo formalem malitiam ipsius, ita ut certitudo prævisionis malitiæ causaliter refundatur non in positivum decretum, sed permissivum.* Ita Thomistæ.

Probatur. Ratione illius decreti DEUS potest certò futura peccata cognoscere, quod habet infallibilem, quamvis logicam tantùm connexionem cum illo: sed solum decretum permissivum habet infallibilem connexionē cum futuro peccato; non causalitatis, sed logicæ illationis, quia malitia peccati non sequitur ex vi denegationis divinorum auxiliorum (ut dicetur ulterius in tract. de grat.) sed ex vi liberi arbitrii defectuosè operantis: decretum verò prædefinitivum ad materiale peccati non habet ejusmodi connexionem, siquidem ipsius causalitas præcisè attingit lineam entis: formale autem peccati pertinet ad lineam moris, & habet sui causam non efficientem, sed deficientem. ergo ratione decreti permissivi DEUS certò videt formale peccati. Minor, quòd decretum permissivum habeat infallibilem connexionem logicæ consequentiæ & illationis cum formali peccati probatur: quia illud decretum ineludit denegationem auxilii efficacis ad evitandum peccatum, sub qua infallibiliter voluntas creata deficit, ut constabit ex eod. tract. ergo.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicitur primò. Qui est causa antecedentis, est etiam causa consequentis habentis infallibilem connexionem cum illo; sed si DEUS prædeterminat ad materiale peccati, tunc saltem in actibus intrinsecè malis est causa actûs liberè positi, quem necessariò consequitur malitia peccati: ergo etiam erit causa hujus malitiæ.

Resp. distinguendo maj. Qui est causa antecedentis, est etiam causa consequentis, si hoc sequatur ex vi illius, conc. si ex vi alterius causæ, nego. Atqui in proposito defectus & malitia moralis etiam in actibus intrinsecè malis non sequitur ex entitate actûs ut ens, & actus est à DEO præfinitus & prædestinatus, sed ut est defectuosè à voluntate deviante positus, sicuti patet ex priori exemplo claudicationis in tibia.

Objicitur secundò. Si affirmatio est causa affirmationis, tunc negatio est causa negationis, ut aiunt Philosophi cum Aristotele 1. post c. 3. ergo si decretum positivum gratiæ efficacis est causa bonitatis in actu: etiam decretum denegativum hujus gratiæ erit causa defectûs & malitiæ moralis in actu: adeóque ista habebit connexionem cum decreto permissivo non tantùm logicæ illationis, sed etiam causalitatis.

Resp. Tunc negatio est causa negationis, ut est pura negatio & simplex absentia, transeat, ut est privatio, seu absentia privativa & defectuosa, sic nego. ut sic enim essentialiter respicit voluntatem deficientem. Sed de hoc plura ex instituto in Tractatu de peccatis.

DISPUTATIO XIV.

DE

Scientia futurorum contingentium conditionatorum.

AGimus modò de illis futuris conditionatis, quæ dependent ab aliqua conditione nunquam implenda, v. g. si David maneret apud viros Ceilan, essent ipsum hostibus tradituri: qui tamen ibidem non remansit; quæ quidem quæstio una est ex celeberrimis

rimis ratione scientiæ mediæ contra Antiquorum præsertim Thomistarum doctrinam recens inventæ, & à suis defensoribus acerrimè propugnatæ, quâ quidem ipsi existimant abstrusissimum prædestinationis Divinæ arcanum, ejusque cum humani arbitrii libertate concordiam unicè salvari. Sit proinde

ARTICULUS I.

An pro scientia conditionatorum sit admittenda scientia media?

SUMMARIA.

1. *Divisio futuri conditionati.*
2. *Quo sensu aliqui Thomistæ negent scientiam futurorum conditionatorum?*
3. *Admittendam esse evincit sacer textus.*
4. *Exponitur doctrina scientiæ mediæ.*
5. *Et opposita Thomistarum.*
6. *Plures antitheses ex hac oppositione consectaneæ.*
7. *Scientia media rejicitur propter implicantiam objecti.*
8. *Paritas inter futura absoluta & conditionata.*
9. *Amplius explicatur & confirmatur.*
10. *Objectum scientiæ mediæ foret casuale.*
11. *Hac scientia infert præjudicium divinæ omnipotentiæ & supremo dominio.*
12. *Sicut & providentiæ.*
13. *Subvertit efficaciam gratiæ.*
14. *Nulla necessitas scientiæ mediæ pro artifice & gubernatore increato.*

§. I.

Præsupposita.

1. NOtandum primò. Inter futura conditionata aliqua esse, quæ habent necessariam, vel infallibilem connexionem cum conditione, vel antecedente, veluti, *si Pe. ad pœnitendum prædeterminetur, pœnitebit. si fuerit prædestinatus, salvabitur.* Ubi cùm infallibilis connexio consequentis cum antecedente tam determinatam veritatem tribuat objecto, quàm si esset absolutè necessarium, pertinet eorundem cognitio ad scientiam simplicis intelligentiæ. Alia verò sunt contingentia futura conditionata, quæ vel tantùm probabilem & conjecturalem connexionem habent cum antecedente, ut, *si hostiles exercitus venerint in conspectum, confligent*: vel planè disparatam, ut *si pede terram pulsaveris, vinces.* Et de istis procedit quæstio.

2. Notandum secundò. Quamvis plures ex RR. ut Vasquez, 1. p. disp. 67. Amicus d. 12. sect. 11. Martinon disp. 9. sect. 7. Alarcon. de scient. DEI. disp. 4. c. 4. n. 4. Ariaga to. 1. p. 1. disp. 21. se. 1. in fi. & se. 2. a. 3. imponant Thomistis, quasi negent in DEO scientiam futurorum conditionalium, vel solùm conjecturalem admittant, tamen certum esse etiam apud Thomistas (prout in defensionem Thomistarum optimè ostendit Illustrissimus Reding q. 5. a. 5. n. 7. & sequentibus ex plurimis Thomistis, præsertim Mathæo de Rispolis Dominicano, qui ad initium excitatæ de scientia media controversiæ scripsit) in DEO dari perfectissimam, certissimámque scientiam quorumcunque futurorum conditionalium, quantumcunque futurorum, quantumcúnque disparatorum, ita, ut si quando antiquiores Thomistæ, hanc scientiam vel negârunt, vel vocârunt conjecturalem, id non nisi per ordinem ad causas secundas proximas, & quantum ex vi conditionis intellexerint, teste Jo. à S. Th. & sic exponente Godoyo tr. 4. disp. 34.

Et patet ex plurib. S. Script. authoritatibus: 3. sic enim Ezech. 3. dicitur: *si ad illos mittereris, ipsi audirent* te. 1. Reg. 23. Davidi Dominum consulenti, *an viri Ceilan ipsum essent tradituri in manus Saulis, si ibidem remaneret?* respondit DEUS. *tradent.* 4. Reg. 13. Elisæus ad Joam Regem Israël: *Si percussisses terram quinquies, &c. percussisses Syriam usque ad consummationem, &c.* Matt. 11. *Vætibi Corozaim, ut tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent signa, quæ facta sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* quæ omnia conditionata nisi certò à DEO fuissent cognita, ipsius cognitioni & dictioni falsum subesse potuisset, quod implicat ex Tract. de fide.

Accedit ratio, quòd pertineat ad perfectionem, infinitæ scientiæ & providentiæ DEI, ut penetret quascunque etiam conditionatas veritates, quippe quibus sua quoque inest cognoscibilitas, utque respondere & satisfacere possit ad quamlibet quæstionem, quæ etiam de conditionatis crebrò instituuntur à prudentibus, iis præcipuè, quibus publicæ gubernationis cura incumbit. Non igitur de objecto, sed de medio hujus scientiæ conditionatorum est difficultas ac dissensio inter Molinistas & Thomistas. de quo

Notandum tertiò. Scientiæ mediæ nomine 4. intelligi ab ejus defensoribus, ut videre est apud Henao in scient. med. historicè propugnata eventil. 43. illam DEI scientiam, quâ antecedenter ad omne decretum absolutum ex parte DEI & actûs, in ipsa objectiva veritate futurorum contingentium certò cognoscit, quid quælibet causa contingens & libera, si in istis & istis circumstantiis, cum istis & istis auxiliis poneretur, ex propriæ voluntatis determinatione esset factura. v. g an Petrus, si audiret hanc concionem, videret hoc miraculum, inde esset convertendus ad pœnitentiam, quam scientiam dicunt esse necessariam, ut postquam per eandem DEUS exploraverit, quid liberum arbitrium esset facturum, possit deinde decernere talia & talia media, quibus certò perducatur in finem salutis: ideóque prædestinationis certitudinem & gratiæ efficaciam fundant in hac scientia media, quam ideo potissimum vocant mediam, quòd scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est possibilium, sequatur, & antecedat scientiam visionis, quæ est de futuris absolutis.

5. Econtra Thomistæ docent, hæc omnia conditionata cognosci certò virtute decreti divini, quo DEUS decernit dare intrinsecè causæ contingenti, vel non dare efficacem motionem ad talem operationem, si talis & talis conditio poneretur, quod decretum appellant absolutum ex parte actûs, quia non est decretum, quod esset & daretur tantùm, sed quod revera est, & actu datur; vocant autem conditionatum ex parte objecti, quia in objecto involuitur conditio, si nimirum tali modo objectum se habeat.

6. Quæ sententiarum diversitas in plures antitheses è diametro oppositas dividit scientiæ mediæ defensores, & scholæ Thomisticæ sectatores. Nam illi futuris conditionatis objectivam determinatam veritatem & cognoscibilitatem à Divino decreto prædefiniente independentem tribuunt: isti impossibilem esse contendunt. Illi per scientiam mediam gratiæ sufficient jam & efficaciam unicè salvari volunt: isti ut impossibilem sic & inutilem, imò efficacis gratiæ destructivam arguunt. Illi certitudinem Divinæ providentiæ & prædestinationis supra scientiam mediam inniti: isti per scientiam mediam everti asserunt. Illi hâc velut sacrâ anchorâ humani arbitrii libertatem salvari: isti in suo primo principio, nempe voluntate Divina præfocari clamitant. Illi à decreto efficaci scientiam antecedente fatale jugum humanæ voluntati imponi timent: isti hoc ipsum decretum tanquam omnis nostræ libertatis & contingentiæ fontalem originem adorant. Illi ex decreti prædefinientis; isti ex mediæ scientiæ admissione Divinæ sanctitatis periculum & denigrationem deducunt, &c.

§. II.

Rejicitur scientia media rationibus Theologicis.

7. CONCLUSIO. *Scientia media tanquam implicatoria non est admittenda.* Ita non tantùm Discipuli D. Thomæ, sed etiam Scoti relati à à Mastrio, Smising aliisque.

Ratio est primò à priore. Illa scientia implicat, cujus objectum implicat; sed implicat objectum scientiæ mediæ: ergo implicat scientia media. Minor prob. Objectum scientiæ mediæ foret futurum conditionatum præsuppositum omni libero decreto DEI: sed hoc implicat: quia implicat aliquid esse futurum, antequam sit formale constitutivum & determinativum ad esse futuri: sed tale futurum poneretur, priusquam ponitur formale constitutivum in esse futuri, eò quod præsupponeretur libero decreto DEI, quo solo res constitui in esse futuri, priori disputatione latè probavimus.

8. Nec est in hoc ulla disparitas inter futura absoluta & conditionata: quia ita se habet decretum conditionatum (objectivè seu virtualiter & ex parte objecti, non ex parte actûs tale) ad futuritionem conditionatam, uti se habet decretum absolutum ad futuritionem absolutam: partim quia quæcunque argumenta probant implicantiam futuritionis absolutæ ante actuale decretum DEI: eadem probant implicantiam futuritionis conditionatæ: partim quia omnis veritas propositionis conditionatæ est reducibilis ad veritatem propositionis absolutæ E. g. ista conditionalis si *Petrus fuerit positus in his circumstantiis, consentiet*, reducitur in istam: *Petrus in his circumstantiis positus consentiet*. Unde sicut implicat determinata veritas & cognoscibilitas propositionis absolutæ de futuro contingenti independenter à determinatione divinæ voluntatis; ita similiter implicat determinata cognoscibilitas & veritas propositionis conditionatæ de futuro contingenti.

Explicatur magis & confirmatur nostra ratio. Non minùs futura conditionata ante decretum divinum latent in sinu puræ possibilitatis, quàm futura absoluta, & quidquid pro illo signo concipitur, tam est indifferens ad esse conditionatum, quam absolutum: ergo tam est impossibile à DEO pro illo signo aliquid cognosci conditionatè futurum, quàm est impossibile cognosci absolutè futurum.

Confirmatur secundò. Non est assignabilis determinatio actualis, quæ ab æterno extrahat res parè possibiles à statu indifferentiæ & possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ, easque reddat cognoscibiles, quàm actualis determinatio divinæ voluntatis: ergo ante illam nihil est & cognoscitur conditionatè futurum. Antecedens constat ex infrà cit. S. D. 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. & inde patet, quia possibilia indifferentia ad esse & non esse se ipsa ad esse actuale determinate non possunt; nec aliud est determinativum ab æterno, quàm voluntas DEI.

Confirmatur tertiò. Si futura conditionata haberent veritatem objectivam antecedentem actuale decretum DEI, jam non essent liberè & contingenter, sed necessariò futura: consequens est absurdissimum. ergo. Sequela liquet ex dictis: quia, quod est futurum ante radicem omnis contingentiæ & libertatis, est necessariò futurum, sed illa futura conditionata essent futura ante radicem omnis contingentiæ & libertatis, nempe ante voluntatis divinæ decretum; ex ipsa enim *voluntate divina*, inquit S. D. *tanquam causa profundente totum ens, & omnes ejus differentiæ, originantur necessitas & contingentia in rebus.* l. 1. perih. le. 14. ergo. Adde, quòd illud omne rebus necessariò convenit, quod ipsis ex se, & ex natura convenit: sed prædictis futuris futuritio ex se & ex natura conveniret: conveniret quippe non ab extrinseco, sed ab intrinseco: cùm ante primam causam nulla alia esse & supponi possit: ergo iis necessariò conveniret futuritio.

Ratio est secundò. Impossibile est aliquod esse casualiter futurum respectu DEI: sed ejusmodi futura conditionata forent casualiter futura respectu divinæ scientiæ & providentiæ. Major est certa ex Boëtio dicente: *nihil casui nihil temeritati licet in regno divinæ providentiæ*, & ex D. Aug. l. 83. qq. q. 24. & D. Th. infrà q. 22. a. 2. prout deinceps dicetur. Minor probatur: quia hoc est casuale & fortuitum respectu alicujus causæ, quod fit præter intentionem ipsius: sed ejusmodi futura forent præter intentionem DEI, eo ipso, quia forent futura pro priori ad actualem voluntatem DEI: ergo respectu DEI forent casualia.

§. III. *Ab-*

§. III.

Absurda, quæ sequuntur ex parte DEI.

11. PRimò. Hæc scientia tollit à DEO attributum omnipotentiæ & dominii absolutissimi, & rationem causæ primæ. Probatur assumptum. Ad perfectionem divinæ omnipotentiæ, dominii, & primæ causalitatis pertinet, ut omne ens creatum & ab alio ab ipso immediatè dependeat, utque (juxta D. August. statim referendum) possit liberrimè disponere de humanis voluntatibus, quicquid & quænam vult: sed hoc tollitur per scientiam mediam: siquidem per hanc futura determinatio humanæ voluntatis in his & his circumstantiis, est futura pro priori ad omnem actualem causalitatem & voluntatem DEI: nec DEUS per suam omnipotentiam posset facere, ut Petrus positus in his circumstantiis, sub quarum conditione DEUS ipsum consensurum per scientiam mediam præsuppositivè ad suæ voluntatis determinationem prævidit, actu non consentiat; quomodo ergo ipsius voluntas erit omnipotentissima? quomodo illa determinatio voluntatis sic prævisa erit ens ab alio? quomodo ipsa DEI voluntas erit primum liberum, si prævidetur libera determinatio futura independenter à voluntate DEI?

Confirmatur. De ratione divinæ omnipotentiæ est, ut possibilia in esse possibili ab ipsa dependeant, & ab ipsa denominationem possibilis accipiant: ergo etiam est de perfectione divinæ omnipotentiæ, ut futura ab ipsa in esse & denominatione futuri dependeant, sed hoc non fit ab omnipotentia ut indeterminata, ergo ut determinata per decretum voluntatis divinæ.

12. Secundò. Hæc scientia derogat perfectioni divinæ providentiæ & scientiæ, quia primò facit, ut aliqua respectu DEI sint casualiter futura, ut in secunda probatione ostendi: secundò: sicut est de ratione primæ & universalissimæ causæ, ut nullus sit effectus, qui non cadat sub efficientiam ipsius; ita est de ratione summæ & universalissimæ providentiæ, ut extra se nullus sit eventus à se providendus, qui non cadat sub providentiam ipsius: sed futura conditionata, quatenus subsunt scientiæ mediæ, non cadunt sub providentiam DEI. ergo. Minor prob. In principiis scientiæ mediæ DEUS non potest liberè providere & disponere de libero consensu Petri, nisi dependenter à prævisione ipsius conditionatæ futuritionis: ergo ille consensus prævisus sub statu conditionato non cadit sub DEI providentiam: cùm enim sit præsuppositus ipsi providentiæ, non est magis DEO liber, quàm scientia ipsius.

Tertiò. De ratione summi & universalis provisionis est summa perfectissima independentia in operando & dirigendo: sed scientia media hanc destruit; quia si DEUS aliquid efficaciter velit decernere circa actus liberos creaturarum, non potest priùs absolutè decernere, quàm præviderit futurum in statu conditionaro; v. g. si Petrum velit efficaciter inducere in consensum, non alio modo poterit hoc præstare, quàm ut decernat illum ponere in iis circumstantiis, in quibus prævidit ipsum consensurum; in quibus circumstantiis si ipsum non poneret, suâ intentionem minimè consequeretur. Et sic suma DEI providentia non esset sumè independens, sed potiùs ipsæ res providendæ forent independentes à divina dispositione, quia eidem in statu conditionato præsuppositæ: Ipsa verò DEI providentia è rebus ipsis priùs expiscari & explorare deberet, quid sibi esset disponendum.

Quartò. Summa imperfectio divinæ scientiæ foret, mensurari à rebus: (ut enim supra dictum, hoc pertinet ad imperfectionem humanæ scientiæ, quòd mensuretur à scibili) cùm ipsa debeat esse causa rerum, easque ceu scientia artificis & summi provisoris dictare & mensurare, sed ex scientia media mensuraretur. Nam tunc scientia mensuratur à rebus, quando ratio sciendi est in rebus, atqui ratio sciendi futura conditionata foret in rebus; nam v. g. ratio sciendi determinationem creatam humanæ voluntatis non est alia, quàm ipsa determinatio humanæ voluntatis, ut conditionatè futura: (neque enim quà talis contineri potest in divina essentia, priusquam ista sit per voluntatis suæ decretum determinata) adeóque scientia media certitudinem & mensuram suæ veritatis acciperet ab ipsa re creata, nempe determinatione humanæ voluntatis, quæ est ipsissima sententia Fausti Rhegiensis D. Augustino adversantis, & cum aliis semipelagianis l. 2. c. 2. dicentis: *magis de origine voluntatis humanæ genus præscientiæ derivari, & hanc DEI præscientiam de materia humanorum cordium sumere exordium, &c.*

13. Tertiò. Hæc scientia media tollit efficaciam gratiæ, qualis nobis per scripturas, Concilia, PP. commendatur, quia hæc non in firmitatem divinæ voluntatis, sed imbecillitatem humanæ voluntatis semetipsam in his & his circumstantiis determinantis refunditur: tollitur quoque infallibilitas divinarum promissionum, utpote quæ finaliter inniteretur præscitæ determinationi humanæ voluntatis, potiùs quàm divinæ, prout ex authoritate D. August. mox referenda patebit: discretio quoque unius ab altero in negotio salutis æternæ non in efficaciam gratiæ Divinæ, sed humani consensus conditionatè futuri primordialiter reduceretur, de quo alibi plura.

14. Dices: Ita se habet providentia DEI respectu rerum creatarum, sicut scientia artificis, & gubernatoris Reipubl. sed iste non prudenter aggredereturaliquod opus, nisi priùs per scientiam conditionatam exploraret, quem effectum ista, vel illa media sint habitura sub his & his conditionibus in ordine ad finem intentum: ergo etiam DEUS tanquam perfectus rerum omnium provisor priùs per scientiam mediam explorat, quemnam effectum quodlibet medium sit habiturum, priusquam ad illud efficaciter decernendum progrediatur.

Resp. neg. min. Nam ad prudentem electionem & determinationem mediorum sufficit per absolutam scientiam prænoscere rerum agendarum naturas, inclinationes, possibiles combinationes, subordinationes, distinctiones, &c. quod DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ sufficienter obtinet: scientia verò media, cùm non ex se,

sed ex eventu omnia disceret, cæco modo & ignoranti voluntatem DEI dirigeret. Alia argumenta ab authoritate vel libertate petita in sequentibus occurrent. Nunc utrum hæc scientia sit S. Scr. SS. PP. D. Th. & rationi conformis videamus.

ARTICULUS II.

An scientia media sit conformis S. scripturæ?

SUMMARIA.

1. *Negativa probatur à multiplici doctrina S. Script.*
2. *Et ex scientia futurorum contingentium sub conditione disparata.*
3. *Conditionales propositiones non patiuntur se explicari per concomitantiam.*
4. *Achilles Adversariorum de Corozaitis.*
5. *Refellitur.*
6. *Ad mentem Apostoli & D. Augustini.*
7. *Exponitur locus è libro Sapientiæ.*

§. I.

Negativa Statuitur.

1. CONCLUSIO. *Scientia media non benè cohæret cum Sacra scriptura.*

Probatur primò. S. Scriptura affirmat absolutissimum DEI in nostras liberas voluntates & actiones dominium; supremam in efficiendo & prædefiniendo, quicquid vult independentiam & libertatem; universalem ejus in omnia providentiam; prædestinationem certam non tantùm certitudine scientiæ, sed etiam causalitatis; intrinsecam gratiæ, virtutem & efficaciam: sed hæc omnia per principia scientiæ mediæ imminuuntur: ergo scientia media non est conformis doctrinæ S. script. Majorem æquè ac minorem partim ostendimus; partim in decursu & ubi de decretis efficacibus agemus, videbimus.

2. Probatur secundò. Juxta principia scientiæ mediæ non esset medium certò cognoscendi futura contingentia sub conditione disparata: sed hoc repugnat S. script. in qua habemus DEUM futura sub conditione disparata enuntiasse, adeóque certò cognovisse. veluti 4. Reg. 13. *si terram percussisses quinquies aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Sequela probatur: ut hæc futura contingentia certò cognoscerentur, deberet certò cognosci illorum connexio cum conditione disparata: atqui hæc certò cognosci nequit, nisi ex determinatione divinæ voluntatis, cui tamen scientia media secundum Adversarios præsupponitur: ergo etiam juxta principia scientiæ mediæ hæc futura certò cognosci non possunt. Minor prob. hæc conditio eo ipso, quòd sit disparata, ex se nullam habet connexionem cum futuro: ergo illam tantùm debet accipere à causa extrinseca, nempe DEO: sed DEUS non nisi per liberam suam determinationem est causa ad extra. ergo.

3. Respondebis cum Amico per particulam *si* posse denotari solam concomitantiam, non autem illativam connexionem: & hanc cognosci à DEO. Verùm hæc responsio efficaciter refutatur tum ab illustrissimo Reding l. cit. n. 8. tum à Godoyo citato n. 61. Nam primò, quòd duo simul existant, non sequitur, quòd unum existat dependenter ab alio, ut si dicam: Petrus & Paulus current, non sequitur, quòd Paulus currat sub conditione Petri currentis; atqui conditionalis propositio importat dependentiam futuri à conditione. Secundò, sensus copulativus facit sensum absolutum, unde si hæc propositio, *si Joas quinquies terram percusserit, percutiet Syriam usque ad consummationem*, tantùm significaret concomitantiam, tunc foret iste sensus copulativus & absolutus: *Joas quinquies percutiet terram, & percutiet Syriam, &c.* in quo sensu constat propositionem esse falsam, cum neutrum eventurum fuerit. ergo neque sub hoc sensu futura sub conditione disparata essent certò cognoscibilia.

§. II.

Respondetur ad objectiones.

OBjiciunt illud Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Vidit ergo DEUS futuram conversionem Tyriorum sub conditione, si hæc signa apud illos faceret, quæ fecit apud Corozaitas: atqui non vidit hanc futuram pœnitentiam conditionatam in decreto prædestinativo: aliàs inanis fuisset exprobratio & reprehensio Judæorum, siquidem prona fuisset ipsorum responsio: si nos Tyriis pares fecisses in præordinando & prædestinando ad pœnitentiam, etiam nos fuissemus acturi pœnitentiam: cur igitur nos non similiter præordinasti, ac prædestinasti? ergo videt DEUS futura conditionata in ipsa objectiva veritate futurorum per scientiam mediam. 4.

Ad hunc Achillem defensorum scientiæ mediæ paucis respondeo negando subsumptum, ejúsque probationem. Justa enim fuit reprehensio Judæorum, eò quòd in auxiliis sufficientibus, viquorum potuissent converti & agere pœnitentiam, pares fuerint cum Sydoniis, & cum potuissent pœnitere, propriæ voluntatis malitiâ pœnitere noluerunt. 5.

Nec refert, quòd Judæi & Sidonii fuerint impares in decreto præordinante & prædefiniente: hanc ipsam quippe inæqualitatem, quam modò objiciunt Adversarii, jam Apostolus sibi objecerat Rom. 9. cùm enim dixisset: *Cujus vult, DEUS miseretur, & quem vult, indurat*, statim subjungens sibi objicit: *dices itaque mihi, quid adhuc quæritur?* (hoc est interprete Corn. à Lap. cur DEUS adhuc conqueritur, & succenset impiis, cùm ipse non dederit illam efficacem misericordiam, cujus voluntati nemo resistit) & nequaquam recurrit ad refugium scientiæ mediæ, sed ad 6.

in-

independentissimam DEI voluntatem, ejusque judiciorum inscrutabilitatem, sic enim inquit: *O homo, tu quis es, qui respondeas DEO, Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?*

Similiter D. August ad hanc ipsam objectionem à Pelagianis factam nequaquam recurrit ad prævisionem scientiæ mediæ; sed partim ad divinæ voluntatis dominium, partim ad propriæ voluntatis defectum, prout mox pluribus referemus. Unde meritò istius scientiæ defensoribus occinitur illud D. Bernardi ep. 190. *quid ergo tu, quid melius affers, quid subtilius invenis, quid secretius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes?* Ipsis quoque Adversariis solvendum restat argumentum, cùm in ipsorum sententia Tyrii non fuissent acturi pœnitentiam, nisi majorem gratiam, quàm Judæi accepissent, majorem saltem in esse gratiæ & beneficii, positio quoque in istis & istis circumstantiis, in quibus Tyrii fuissent consensuri, Judæi non consensuri, non fuerit in potestate Judæorum.

7. Objiciunt secundò illud sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c. placita enim erat DEO anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Ubi Sapiens causam exponens, cur DEUS celeriori fato justum ex hac vita abripuerit; non recurrit ad decretum conditionatum prædefinitivum; sic enim non potuisset dicere; *placita erat DEO anima illius*, quo pacto enim placita, quæ prædefinita ad lapsum sub talis tentationis & occasionis conditione? sed recurrit ad scientiam conditionatam, in qua DEUS prævidit & præscivit justum lapsurum, si diutiùs viveret.

Resp. Sapientem recurrere in hoc dicto ad ordinem prædestinationis Divinæ: illa enim anima est maximè DEO placita, quæ est prædestinata & electa ad gloriam: quâ electione præsuppositâ DEUS ordinat beneficia, per quæ electus ad finem gloriæ efficaciter perducatur: inter quæ potissimum est donum perseverantiæ, seu mors in statu gratiæ, priusquam anima tentationi succumbens labatur in peccatum mortale; quem lapsum DEUS prævidere potuit conditionatè futurum non in vi decreti positivi (ut malè supponit objectio) sed permissivi juxta superiùs dicta.

ARTICULUS III.

An scientia media sit conformis SS. PP. præsertim Augustino.

SUMMARIA.

1. *Quanta sit in præsenti authoritas S. Augustini?*
2. *Scientia media est aliena a doctrina S. Augustini ex confessione Adversariorum.*
3. *Quia fuit D. Augustino proposita,*
4. *Et ab ipso rejecta.*
5. *Contra primam responsionem Adversariorum ostenditur scientiam mediam à S. P. rejectam non tantum quoad abusum, sed etiam quoad substantiam.*
6. *Contra secundam responsionem Adversariorum ostenditur D. Augustinum etiam intellexisse futura conditionata.*
7. *Scientia media pugnat cum Augustiniana efficacia gratiæ.*
8. *Dissentit in prima ratione discretionis.*
9. *Item in certitudine prædestinationis.*
10. *In supremo DEI dominio supra nostras voluntates.*
11. *In impedibilitate Divinæ voluntatis.*
12. *In explicatione futuritionis.*
13. *In concordia liberi arbitrii cum prædestinatione.*
14. *In intrinseca efficacia decretorum.*
15. *In modo solvendi argumenta semiPelagianorum.*
16. *Exponitur, qualem congruitatem intelligat S. Augustinus in l. de bono persever.*
17. *Et in l. 1. ad Simplicianum.*
18. *Exponitur, quomodo per S. Augustinum possit esse præscientia sine prædestinatione.*
19. *Exponitur locus de Civit. ubi S. P. in æqualiter tentatis differentiam consensûs adscribit voluntati creatæ.*

§. I.

Negativa statuitur.

NOtandum. Cùm scientiæ mediæ doctrina ad liberum arbitrium cum efficaci gratia conciliandum potissimùm sit instituta, maximam in hac materia & summè venerandam esse D. Augustini authoritatem, utpote de quo apud Bellarminum l. 2. de grat. & lib. arb. c. 11. adductis encomiis summi Pontifices testantur, illum sequi fidem Ecclesiæ Catholicæ, qui sequitur doctrinam istius Magistri gratiæ: Idcirco, cùm scientia media primò in scholis doceri cæpta & authore Molina in li. de concord. grat. typis edita fuisset, multæque coram Clemente VIII. desuper disputationes habitæ, ille ipse summus Pont. tandem decrevit, ut deinceps tota de hac re disputatio ad normam doctrinæ S. Augustini de gratia esset adstricta, & tum ex ipso, tum ex angelico Doctore deduceretur: cujus decreti etiam sequentes causas expressit. Prima, est quia duce Augustino Ecclesia post 20. annorum pugnam Pelagianos vicit. Secunda, quòd idem S. D. nihil videatur prætermisisse eorum, quæ ad præsentes controversias discutiendas pertinent. Tertia, quia Pontifices prædecessores doctrinæ S. Augustini de gratia semper acres fuerunt assertores, ac vindices. 1.

CONCLUSIO. *Scientia media repugnat doctrinæ S. Augustini & consequenter ejus Discipulorum Prosperi, Hilarii, Fulgentii, insuper & SS. Cypriani & Ambrosii, ex quibus D. Augustinus suam doctrinam confirmat.* 2.

Pro-

Probatur primò ex ipsorum Adversariorum confessione. Nam hujus sententiæ institutor, vel potiùs restitutor Molina in concord. ad q. 23. a. 4. & 6. in Domino gloriatur, quòd hæc ratio conciliandi libertatem cum divina prædestinatione *a nemine, quem viderit, hujusque tradita fuerit.* Et Herice 1. p. disp. 7. c. 10. dicit, hanc scientiam mediam *latuisse Scholasticos.* Vasq. 1. p. q. 14. disp. 67. c. 4 fatetur, quòd antiqui Scholastici, qui hactenus scripserunt, tantùm meminerint simplicis intelligentiæ & visionis. Imò audet præcitatus Molina loco cit. a. 5. dicere: *quæ si data* (hoc est illa, quæ ipse docet, de concordia prædestinationis & gratiæ beneficio scientiæ mediæ obtinenda) *explanataque semper fuissent, forte nec Pelagiana hæresis fuisset exorta, nec ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent*: ergo ex confessione Adversariorum doctrina scientiæ mediæ omnibus retrò Scholasticis & PP. est ignorata, imò contraria D. Augustino, quippe longè aliâ & meliori viâ humanæ consulens libertati, quam proinde inter hesterna Ludovici Molinæ commenta deputat Mariana l. 4. de Regim. loc. c. 4.

3. Probatur secundò. Scientia media ex mente semiPelagianorum fuit D. Augustino à SS. Prospero & Hilario proposita, & ab ipso rejecta: ergo scientia media est contraria doctrinæ S. P. Augustini. Antec. quoad primam partem ostenditur ex epistolis SS. Prosperi & Hilarii, quæ habentur in to. 7. op. D. Aug. ante l. de prædest SS. ubi D. Prosper mentem Massilienſium semiPelagianorum sic exponit: *pene omnium par inveniebatur, unáque sententia, quâ propositum & prædestinationem DEI* (hoc est decretum divinæ voluntatis) *secundùm præscientiam reciperent, & ut ob hoc DEUS alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideret, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præsciverit.*

Igitur admittebant semiPelagiani primò præscientiam præsupponi divino decreto, nempe proposito & prædestinationi, & propositum esse subnixum præscientiæ. Sic apud D. Aug. d. prædest. SS. c. 18. loquitur ipse Pelagius: *Præsciebat ergo, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quâ tales esse futuros præscivit, elegit.* Et Faustus Rhegiensis semiPelagianorum antesignanus l. 2. de grat. & lib. arb. c. 3. *nisi*, inquit, *præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.*

Secundò prædestinationis certitudinem & efficaciam non in ipsum prædestinationis decretum, sed in præscientiam conditionatorum refundebant. Dicebant enim apud eundem D. Prosp. loco cit. *Omnem industriam removeri, tollique virtutes, si DEI constitutio* (hoc est decretum) *humanas præveniat voluntates, imò sub hoc prædestinationis nomine fatalem induci necessitatem.*

Cúmque interrogarentur, cur DEUS aliquas nationes ante prædestinationem Evangelii in tenebris infidelitatis perire permiserit? respondebant, *quòd sint ad unamquámque gentem ita ordinata tempora, ac ministeria magistrorum, ut extorta erat bonarum credulitas voluntatum.*

Tertiò in hac præscientia conditionatorum fundabant concordiam cum decreto divinæ prædestinationis, ut patet ex primùm adducto textu, quo ex decreto antecedente prævisionem futurorum operum fatalem necessitatem induci existimarunt. Unde motiva ipsorum erant primò, ut consulerent humanæ libertati, secundò ut locus esset malorum correctioni: *si enim*, inquiebant, in epistola D. Hilarii ad Aug. *sic prædestinati sunt ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecùs correctionis instantia?* Et ipse D. August. de bono, persev. c. 15. Semipelagianorum verba referens; *aiunt*, inquit, *neminem posse correctionis stimulis excitari, si ita se habet de prædestinatione definita sententia DEI, ut alii ex vobis de infidelitate acceptâ obedientia voluntate veneritis ad fidem.* Ac tertiò ut refert Prosper ad capitula object. Vincentianarum ob. 5. quòd admisso hujusmodi decreto peccatorum nostrorum author sit DEUS, eò quòd malam voluntatem faciat hominum.

Atqui hæc est ipsissima scientia media, ejúsque motiva & argumenta, quibus eandem RR. propugnant; patet ergo, quòd eadem à Pelagianis & semiPelagianis tradita, ac D. Augustino ad retolvendum fuerit proposita, prout etiam constat ex terminis, quibus D. Prosper hanc quæstionem D. Augustino proponit? *an in his, qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum; an verò uniformiter præscientia sit subnixa proposito?*

Secunda pars antecedentis asserens, hanc sen- 4
tentiam fuisse rejectam, & ut S. D. loquitur in 3. p. q. 1. a. 5. ad 2. reprobatam à D. Aug. in l. d. prædest. SS. & de bono persev. quibus ex instituto respondit ad has propositiones, probatur: Nam primò in l. d. prædest. SS. c. 10. ad prædictam D. Prosperi interrogationem respondet, *prædestinatione quippe DEUS ea præscivit, qui fuerat ipse facturus*, hoc est, prædestinationem esse rationem præsciendi, quæ DEUS non tantùm fecit, sed etiam fuerat facturus, quo modo comprehenduntur futura non tantùm absoluta, sed etiam conditionata. Et ibidem loquens de promissione Abrahæ facta: *quando*, inquit, *prædixit DEUS Abrahæ fidem gentium, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam DEO, quoniam qui promisit potens est & facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua.* Econtra assertores scientiæ mediæ dicunt, DEUM ideo posse prædicere & promittere, quinam sint convertendi, quia præscit, quinam sint obtemperaturi gratiæ indifferenter pluribus oblatæ, D. verò Aug. dicit ideo posse promittere, quia potens est illos facere, non de nostra voluntate præscita, sed de sua prædestinatione.

Secundò. ibid. c. 17. exponens illa verba Jo. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. quod ait Apostolus*, inquit, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, si propterea dicendum est, quia præscivit eos credituros, non quia facturus fuerat ipse cre-*

rudentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens: non vos me elegistis, sed ego legi vos: electi sunt itaque ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua (NB. non ante illam) *sua futura facta præscivit.* Et subjungit c. 18. *Ideo quippe talis eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.*

Tertiò, in l. de bono persev. habet hanc propositionem & consequentiam è diametro contrariam scientiæ mediæ: *si DEVS bona opera præscivit, profectò prædestinavit; quæ verò non prædestinavit bona, non præscivit.*

§. II.

Duabus responsionibus Adversariorum occurritur.

1. Respondent Adversarii primò. quòd D. Augustinus tantùm reprobaverit præscientiam conditionatam quoad abusum Semipelagianorum, in quantum dicebant, liberæ voluntatis consensum conditionatè præscitum esse quoddam initium, & quasi meritorium motivum dandi gratiam & prædestinationem.

Contrà enim est, quòd S. Pater etiam substantiam scientiæ mediæ impugnat, dum primò in ptæallegatis locis absolutè negat, posse bona opera præsciri, nisi sint prædestinata, eaque in ipsa prædestinatione præsciri.

Secundò, dum de prædest. SS. c. 18. negat ideo aliquid præsciri, quia sit futurum, sed esse futurum, quia DEUS prædestinavit. *DEVS*, inquit, *præscit aliquid, non quia illud futurum est; sed ideo bona opera futuri sunt, quia DEVS elegit prædestinans, ut tales sint per opera, & per ejus gratiam.* Item in 15. de Trin. *Universas creaturas non, quia sunt, ideo novit DEVS, sed ideo sunt, quia novit*, ubi expresè affirmat scientiam DEI esse causam rei futuræ, quod non potest esse scientia media, per quam DEUS cognosceret futura conditionata, quia sunt futura ex se & vi suæ objectivæ & determinatæ veritatis.

Tertiò, quia disputans contra Pelagianos affirmantes, aliquos parvulos ideo non pervenire ad gratiam baptismi, quòd DEUS illos puniat propter prævisa ipsorum peccata futura sub conditione longioris vitæ ante omne decretum, impugnat ipsammet futuritionem, & negat illam dari. nam l. 2. contra ep. Pelagian. c. 7. *quomodo enim*, inquit, *præscivit ea futura, quæ ipsis in infantia morituris (quia præscientia ejus falli non potest) præscivit potius non futura?* Similiter c. 14. explicans illa verba: *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c. hoc*, inquit, *dictum secundùm pericula hujus vitæ, non secundùm præscientiam DEI* (quæ scilicet sit in DEO ante decretum, prout volebant Semipelagiani) quâ hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. Imò S. Pater omnis futuritionis causam ponit voluntatem DEI, & sine hac nihil futurum agnoscit. *Non enim futurum est aliquid, nisi quod voluntas DEI habet, ut futurum sit*, inquit l. c. contra Faustum. Et tr. 68. in Jo. explicans illud: *fecit, quæ futura sunt.* ita loquitur: *non enim ait, facturus est, quæ futura sunt, sed fecit, quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando.*

Quartò, querelas Semipelagianorum, quas nunc etiam RR. objiciunt, *quòd si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si DEI constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* S. P. debuisset solvere per scientiam mediam, si illam probâsset. At ille non sic, sed perstans in efficaci decreti propugnatione, *si DEVS*, inquit, *bona non prædestinavit, non præscivit*: seque munit duplici authoritate Cypriani & Ambrosii. de bono persev. c. 18. & 19. quorũ ille dicit: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Iste verò, *non esse in parte nostra* (hoc est independenter & præsuppositivè ad causam primam) *cor nostrum & cogitationes nostras.* Cúmque rursus S. Patri objiceretur, quod priores Doctores propositum ac prædestinationem DEI secundùm præscientiam receperint, respondet: *Verbi DEI tractatores nomine præscientiæ ipsam prædestinationem intellexisse.*

Respondent secundò, D. Augustinum negâsse so- 6.
lùm præscientiam futurorum absolutorum ante decretum & voluntatem DEI. Sed contrà est primò, quòd S. P. à D. Prospero in fine cit. epist. interrogatus generaliter de omni futurorum, imò & specialiter de conditionatorum præscientia (nempe an DEUS præsciverit, si Christus citiùs veniret, gentes non æquè in ipsum esse credituras? An DEUS illos, qui rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum ipsorum, ante decretum prævideri mala facturos, si diutiùs vitam producerent? an similiter prævideri illos parvulos sub conditione diuturnioris vitæ peccaturos, quos ad gratiam baptismi pervenire non concessit, &c.) an esset subnixa proposito, seu decreto? nusquam aliter respondit, quàm quòd DEUS in sua prædestinatione futura præsciat, & si non prædestinet, non præscire.

Contra est secundò, quòd universaliter neget futuritionem, quam non habet voluntas DEI, *quod autem*, inquit loco cit. contra Faust. *DEI voluntas non habet, fieri de quoquam omnino non posse.*

Contra est tertiò. quòd in l. de bono persev. c. 9. illud Matt. 11. *si in Tyro & Sydone, &c.* (qui est Achilles RR.) exponens & causam inquirens, expresè negat, causam assignari posse solam præscientiam.

Contrà est quartò, quòd omnis veritas propositionis conditionatæ reduci potest ad veritatem propositionis absolutæ, sicuti hæc conditionalis, *si Petrus audierit hanc gentem, convertetur*, reducitur ad istam: *Petrus audiens hanc gentem convertetur*: unde si repugnat dari prævisionem futuri absoluti ante omne decretum, etiam repugnat prævisio futuri conditionati. Præterea ab iisdem causis in statu conditionato pendent futura conditionata, à quibus absoluta pendent in statu absoluto, uti patet exemplo voti, promissionis, &c. siquidem non minùs futura conditionata extrahuntur è statu puræ possibilitatis, quàm futura absoluta: ergo sicuti futura absoluta essentialiter pendent à determinatione divinæ voluntatis absolutæ tam ex parte subjecti, quàm objecti; sic conditionata pendent ab eadem determinatione ut conditionata ex parte objecti, de quo infra.

§. III.

Plura dogmata Augustiniana contraria scientiæ mediæ.

7. TAndem conclusio nostra probatur diversis dogmatibus D. Augustini scientiæ mediæ oppositis. Et primò Augustiniana efficacia gratiæ est ipsi intrinseca, per quam DEUS, *ut velimus, sine nobis operatur*, (prout suo loco dicetur) *& per quam primitus duritia cordis aufertur*: sed hanc efficaciam destruit scientia media, quippe per quam gratia de se indifferens tantùm sortitur efficaciam ex consensu voluntatis prævisо in scientia media, ergo est contraria doctrinæ D. Augustini de gratia.

8. Unde secundò D. Augustinus primam rationem electionis & discretionis non tantùm respectu gloriæ, sed cujuscunque operis boni ultimatò refert in solam DEI voluntatem ex illo Apostoli Rom. 8. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI*, ideóque ep. 107. ad Vital. *illum*, inquit, *nostris orationibus contradicere, qui dicit nos efficere, ut operatio DEI nihil possit in nobis.* Atqui in principiis scientiæ mediæ ultimata ratio discretionis est actualis libertas & consensus arbitrii: nam ante omne decretum in scientia media sub conditione gratiæ in istis circumstantiis conferendæ videtur iste potiùs eidem gratiæ cooperaturus, quàm alius in iisdem circumstantiis positus, idque ex propriæ voluntatis libera determinatione: adeóque libera creatæ voluntatis determinatio est ratio unum ab altero secernendi.

9. Unde tertiò efficaciam & certitudinem divinæ prædestinationis electivæ ad gloriam Augustinus refert in omnipotentissimam eminentiam divinæ voluntatis, quia, inquit de corrept. & grat. c. 14. *DEO volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Sed in principiis scientiæ mediæ certitudo & efficacia prædestinationis radicatur in ipso libero hominis consensu conditionatè prævisо; ejúsque suppositio antecedit omnem divinæ voluntatis determinationem.

10. Quartò. Juxta eundem D. Augustinum l. primùm citato c. 14. *magis habet DEUS in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.* contrarium est in scientia media, per quam nihil potest DEI voluntas efficaciter operari circa hominem, nisi in quantum prævidit ipsum sub tali adjutorio gratiæ & circumstantiis non operaturum, adeo ut non possit facere ullo suæ voluntatis decreto, ut in iisdem circumstantiis positus operetur: sicque prædestinans DEI voluntas potiùs ab ipsa voluntate humana, quàm voluntas humana à DEI voluntate dependet: sicuti Prælatus non haberet magis in sua potestate voluntatem subditi, quàm ipse suam, si nihil efficaciter posset circa illum disponere, nisi priùs explorato ipsius nutu, sive absoluto sive conditionato.

11. Quintò. In scientia media potest creatus dissensus conditionatè prævisus impedire divinam voluntatem, ne possit efficaciter imperare consensum: sed hoc repugnat doctrinæ D. Augustini, qui Enchiridii c. 95. dicit, *voluntatem omnipotentis à voluntate hominis impediri non posse.* & c. 96. inquit: *neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia, quicquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

12. Sextò. Juxta S. P. ratio omnis futuritionis est voluntas DEI. *non enim futurum est aliquid, nisi quod voluntas DEI habet, ut futurum sit*, loquitur l. cit. contra Faustum: oppositum dicit scientia media.

13. Septimò. D. Augustinus bene concordavit liberum arbitrium cum prædestinatione sine subsidio scientiæ mediæ: ad quem tamen finem RR. hanc scientiam unicè judicant necessariam. Antec. quoad primam partem est certum, quia in hunc finem scripsit libros de prædestinatione & bono persev. ejusque sententiam secuta est Ecclesia, ut Hormisdas Papa testatur in epistola ad Possessorem, & Jo. Papa II. in epistola ad Albinum Senatorem. quo ad secundam partem est ipsius Molinæ in sua concordia præter loca infrà citata dicentis: *Neque verò dubito, quin ab Augustino & cæteris PP. unanimi consensu approbata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, modóque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, si eis proposita fuisset*, & certò nec unum locum proferre possunt Adversarii, in quo D. Augustinus meminerit scientiæ mediæ, cùm de liberi arbitrii concordia tractat.

14. Octavò. D. Augustinus approbat decreta DEI intrinsecè efficacia ex DEI omnipotentia, & non ex præscientia suam efficaciam (prout Semipelagiani volebant) habentia: hæc evertit scientia media.

15. Nonò. Argumenta, quæ nobis Adversarii objiciunt, sunt illa ipsa, quæ Semipelagiani in epistola D. Prosperi & alibi objiciebant D. Augustino, nempe de Tyriis & Sydoniis, de fatali jugo necessitatis, de frustraneis correptionibus, &c. neque habuissent Semipelagiani, quod ipsi objicerent, si hanc scientiam mediam sectatus fuisset, utpote libertati, quàm ipsi lædi querebantur, undequaque favorabilem: ergo tantùm abest, quòd doctrina scientiæ mediæ sit D. Augustini, ut meritò sit dicendum cum Rateo 1. p. disp. 8. ne vestigium quidem scientiæ mediæ in doctrina D. Augustini, sed omnia potiùs contraria reperiri.

§. IV.

Objectiones Solvuntur.

16. OBjic. primò. D. Augustinus de bono pers. ever. c. 14. investigans, cur Tyri credidissent, si apud ipsos eadem signa fuissent facta, quæ facta sunt apud Judæos, assignat conditionem ex parte eorum, qui crediturі fuissent; nempe dispositionem proprii ingenii. *Ex quo*, inquit, *apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*: ergo, infert Amicus, independenter à divino decreto, ex conditione ingenii & naturalis intelligentiæ prævisa fuit congruitas vocationis Tyriorum sub hypothesi signorum & miraculorum.

Respon-

Respondeo primò. Si quid hoc Amici argumentum probaret, nimis probaret: nempe quòd in ipso naturali lumine ingenii & intelligentiæ esset initium vocationis & fidei, qui est error Pelagii, non tantùm à D. Augustino impugnatus, sed ex ipsius doctrina & verbis ab Ecclesia damnatus.

Resp. secundò. Ex contextu patere, D. Augustinum ibidem non loqui de congruitate proxima, per quam gratia vocationis fiat efficax, qualem in sua scientia media fingunt Adversarii, sed de congruitate remota, per quam externa vocatio per signa & miracula, (de quibus ibi sermo) propter ingenii & naturalis acuminis perspicacitatem in uno facilius generat prudentiale judicium credibilitatis, quàm in alio, ipsam verò fidei dationem, seu internam vocationem, quæ est gratia efficax, nullatenus reducit vel in ingenii vel voluntatis attemperationem: *vocatio*, inquit, l. 1. ad Simplic. q. 2. *ista est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis tam vocatus sequatur. Non præcedit bona voluntas* (quæ tamen præcederet in scientia media) *vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti DEO rectè tribuitur, quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest, quòd vocamur.*

17. Objic. secundò. Ex citato loco ad Simplic. ubi dicit: *cujus DEVS miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Item: *quamvis multi uno modo vocati sunt; tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi solùm sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Ergo agnoscit D. August. ante efficacem DEI vocationem præcedere scientiam, per quam DEUS cognoscit, sub conditione talis vocationis pluribus æqualiter præstandæ, ab hoc potiùs quam ab alio vocationem non esse respuendam, quâ proinde scientiâ suppositâ, si DEUS decernat dare talem vocationem congruam & ex præscito consensu efficacem, DEUS misereti dicitur.

Resp. nihil ibidem à S. Patre dici de aliqua scientia vel futuritione consensûs omni decreto præsuppositâ, sed loqui præcipuè de vocatione externa per prædicationem, miracula, pœnas, flagella, quorum metu, vel inflictione multos DEUS excitat ad correctionem: quæ non est ipsa gratia efficax immediatè conjuncta cum operatione, fide, pœnitentia, &c. gratiam verò efficacem, quam vix ullibi appellat congruam, ipsemet eodem loco in verbis primùm citatis appellat effectricem bonæ voluntatis, nec proinde in voluntatis consensu per scientiam mediam prævisò fundatam. *Cum enim*, inquit ibidem, *nos ea deleamus, quibus proficiamus ad DEVM; inspiratur hoc, & præbetur gratiâ DEI, non nutu nostro, quia ut sit nutus, ille tribuit, ille largitur.* Unde tametsi gratiam & vocationem internam intelligeret & vocaret congruam, non tamen diceret congruam propter attemperationem ipsius ad consensum futurum conditionatè prævisum, sed potiùs congruam & aptam congruitate & aptitudine causata per ipsam gratiam, quatenus nempe *DEVS pacis* (ut loquitur Apostolus Heb. 13.) *aptat nos in omni bono.* & ipsa *gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, primam sibi receptricem & famulam donorum suorum præparet voluntatem*, inquit D. Prosp. de vocat. gent. l. 1. c. 27.

Objic. tertiò. ex c. 10. de prædest. SS. ubi dicit 18.
D. Augustinus prædestinationem sine præscientia esse non posse; bene autem præscientiam sine prædestinatione, hæc autem præscientia, inquiunt, non esset alia, quàm conditionata & media. ergo D. Augustinus scientiam mediam agnoscit. Respondeo, ibidem D. August. prædestinationem accipere pro decreto positivo: nempe præscientia peccatorum, de quibus loquitur: *præscire autem*, inquit, *potens est, etiam quæ ipse non facit; sicut quæcunque peccata.* Tantùm verò abest, S. Patrem ibidem loqui de præscientia conditionata & omni decreto præsupposita, ut in illo ipso textu manifestè eandem destruat, verbis ptidem adductis: *prædestinatione quippe DEVS ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

Objic. quartò. ex l. 12. d. Civit. c. 6. ubi cau- 19.
sam inquirens, cur è duobus æqualiter affectis, & æqualiter ex corporeæ pulchritudinis aspectu tentatis unus consentiat, alter in voluntate pudica stabilis perseveret? Respondet aliam causam non apparere, quàm quòd alter à castitate voluerit deficere, alter noluerit: ergo, inquit Annatus, secundùm D. August. gratia ex aliqua parte efficaciam accipit à voluntatis creatæ consensu.

Resp. negando consequentiam; quia ibidem propositum S. Patris est, ostendere, quòd proxima causa malitiæ & peccati sit voluntas, non ut natura est (prout contendebant hæretici) sed ut est defectuosa, & ut est ex nihilo. Unde subdit: *Inveniet voluntatem malam non ex eo incipere, quia natura est, sed ex eo, quòd de nihilo natura facta est.* In illo autem, qui perseverat, jam non voluntatem prævisam, sed efficaciam gratiæ & divinæ electionis pro ultimata ratione discretionis agnoscit: quia nimirum *aliis præparatur, aliis non præparatur voluntas à Domino, quamvis illi, quia voluerunt, crediderunt; & illi, quia noluerunt, non crediderunt.* inquit de prædest. SS. c. 5.

ARTICULUS IV.

An scientia media conveniat cum doctrina D. Thomæ?

SUMMARIA.

1. *Conglobata sententia Angelici Doct. quibus scientia media contradicit.*
2. *Quo sensu S. D. admittat usum gratiæ præscitum movere ad conferendam gratiam.*
3. *Quomodo apud S. D. prædestinatio præsupponat præscientiam futurorum?*
4. *Quomodo præscientia excedat prædestinationem etiam in bonis?*
5. *Nulla utilitas scientiæ mediæ.*
6. *An scientia conditionatorum pertineat ad scientiam visionis.*

§. I.

Negativa statuitur.

1. CONCLUSIO. *Scientia media pugnat cum Angelica doctrina D. Thomæ.*

Constat primò, quia ut testatur Clemens VIII. S. Thomas D. Augustini doctrinam fidelissimè tenuit: eóque ex capite rectè dicitur Augustinus compendiatus: ergo non magis consonat scientia media cum D. Thomæ, quàm cum D. Augustini doctrina.

Secundò. quia juxta doctrinam ejusdem S. D. hactenus traditam & deinceps tradendam nulla datur veritas objectiva futurorum contingentium ante decretum DEI, nec est aliquid futurum, nisi quatenus est determinatum in causa.

Tertiò. DEUS alia à se non aliter cognoscit, quàm in sua essentia tanquam causa & medio cognito.

Quartò. Non semper fuit verum aliquid esse futurum, *nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura.*

Quintò. Ex duobus contradictoriis de futuro contingenti neutra est determinatè vera ante determinationem causæ.

Sextò. Cognitio divina non accipit mensuram & certitudinem à rebus, neque res ideo DEUS novit, quia sunt futuræ; sed ideo sunt futuræ, quia DEUS novit.

Septimò. Ideæ divinæ non repræsentant futura, nisi ut determinatæ per divinæ voluntatis propositum, ex quo fiunt proximè practicæ. q. 3. d. Verit. a. 6.

Octavò. Prædestinatio non tantùm habet certitudinem præscientiæ, sed etiam causalitatis & ordinis mediorum. q. 6. d. verit. a. 3.

Nonò. Dantur decreta ab intrinseco efficacia, prædefinitiva & prædeterminativa: sicut & gratia intrinsecè efficax.

Decimò. Neque inimpedibilitas divinæ voluntatis nostras voluntates antecedentis causat necessitatem antecedentem, aut nostræ officit libertati. inf. q. 19. a. 8.

Imò undecimò. Contingentia & libertas nostri arbitrii radicatur in infinita efficacia ejusdem divinæ voluntatis, quippe ex se profundentis non tantùm totum ens, sed etiam omnes modos entis. ibid.

Ideoque duodecimò. Concordia libertatis cum efficaci voluntate DEI ex eadem efficacia divinæ voluntatis peti debet.

Decimò tertiò. Scientia DEI adæquatè dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis. q. 14. a. 9. q. 2. d. verit. a. 4. quæ omnia principiis scientiæ mediæ è diametro sunt opposita.

§. II.

Solvuntur objectiones.

2. OBJIC. primò. ex q. 23. inf. a. 5. ad 1. *usus gratiæ præscitus* (inquit S. D.) *non est ratio collationis gratiæ, nisi secundùm rationem causæ finalis.* ergo admittitur à S. D. usus gratiæ conditionaliter præscitus & movens ad decernendam ipsam gratiam.

Resp. Eodem loco expressè scientiam mediam excludi, cùm S. D. in c. affirmat, totum, quod est ex gratia & libero arbitrio, esse prædestinationis effectum, & procedere ex divina voluntate, sicut ex primo principio movente. Unde dist. antec. ad mentem S. D. ratio finalis collationis gratiæ est usus gratiæ præscitus, præscientiâ fundatâ in decreto intentivo ipsius usus gratiæ, concedo, illi præsuppositâ, nego antecedens & consequentiam. Nam ut ex dicendis patebit, primò DEUS intendit gloriam, & ex hoc efficacia media, nempe merita, quæ ipsa sunt bonus usus gratiæ, & ex hoc vult dare principium merendi, quod est gratia.

3. Objic. secundò ex 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ubi dicit S. D. *dicendum, quòd prædestinatio præsupponat præscientiam futurorum*, sed hæc est scientia media. ergo. Resp. negando subsumptum: nam ibi agit S. D. de præscientia peccati Adami præsuppositi ad decretum prædestinationis Christi, quæ erat præscientia absoluta pertinens ad scientiam visionis. Sensus ergo est: quòd prædestinatio strictè accepta, prout significat decretum executivum unius effectûs, possit supponere præscientiam absolutam alterius effectûs prædestinationis, siquidem effectus prædestinationis ad se invicem ordinantur. Sicuti e. g. DEUS executive prædestinans salutem, præscit alicujus hominis orationes, per quas ipsius salus erit imploranda. inquit ibidem S. D.

4. Objicies tertiò ex q. 12. de verit. a. 10. *præscientia excedit prædestinationem non solùm in malis, sed etiam in bonis*, ergo aliqua bona præsciuntur, quæ non prædestinantur: sed hoc aliter non fit, nisi per scientiam mediam. Resp. hoc ipso, quòd S. D. ibidem addat, *si prædestinatio strictè accipiatur*, satis indicare, quòd præscientia non excedat prædestinationem latè acceptam. Nam prædestinatio largè accepta est quodcunque decretum DEI, sive positivum, sive permissivum, & sic præscientia non excedit prædestinationem: prædestinatio verò strictè accepta vel est propria electorum, vel est illorum, quæ fiunt solâ DEI virtute, ut conceptio Christi, resuscitatio Lazari, &c. & sic plura præsciuntur, quàm prædestinantur, non per scientiam mediam, sed per scientiam visionis.

§. III.

Corollarium.

5. INfero ex dictis, nullam esse necessitatem vel utilitatem scientiæ mediæ pro expediendo negotio prædestinationis & providentiæ Divinæ. Ad quid enim ea deserviret? Ideo fortè, ut per illam prævidè DEUS exploraret, quid in hoc illove rerum ordine, hâc vel illâ gubernandi ratione secuturum esset, *priusquam fixum quid, ratumque* (ait Vecken disp. 19. c. 6.) *quod mutare nequeat, decernat in alterutram partem?* Atqui vel cæca foret hæc exploratrix scientia, si in futurorum contingentium indigesta multitudine oberraret, quæ nullam suæ connexionis certitudinem habere possunt, ac proinde cæcum ducem sequeretur consequens ad vagam hanc scientiam vaga rerum gubernatio: vel certè ejusmodi futura intrinsecam haberent & necessariam connexionem cum conditione, nec ipsa certitudinem suæ futuritionis

nis à DEO, sed Divina scientia suam certitudinem ab ipsis acciperet. Quorum illud naturæ contingentium; istud perfectioni Divinæ scientiæ repugnat ex sæpe dictis. Unde per hanc scientiam non obtineret DEUS (quod sibi persuadet cit. Vecken.) ut nihil disceret ex eventu; sed vice versâ omnia disceret ex eventu, non quidem posito, sed ponendo: cùm nisi eventus isti conditionati ex se determinatam haberent veritatem suæ futuritionis, nullum de iis judicium certum formari à DEO posset.

An secundò ideo fortè scientia foret utilis, ut per ipsam constaret, quo modo DEUS absque libertatis arbitrii præjudicio (cujus libertatem positis prædeterminationibus periclitari existimant) aliis det gratias efficaces, aliis verò tantùm sufficientes? quia nempe per scientiæ mediæ explorationem novit, hanc gratiam in his circumstantiis, quibus cooperaturum vidit, dat efficacem; alteri, cui ex inscrutabili judicio non dederit in iis circumstantiis, dabit tantùm gratiam sufficientem. Sed neque ex hoc capite vel DEO, vel gratiæ, vel homini potest esse conveniens. Non DEO; quippe à quo tollit prioritatem causæ. Non gratiæ, à qua aufert efficaciam & rationem gratiæ excitantis & operantis, quæ *de nolentibus volentes facit*. Non homini; quia is absque DEI motione prævia, quæ sit executio æternæ prædefinitionis, in actum prodire non potest.

Neque per hanc scientiam mediam sufficienter occurritur impiorum hominum murmurationi, conquerentium, cur me DEUS non prædeterminavit, ut bona facerem? An non enim simili modo DEO obloqui poterunt? Cur me DEUS non posuit in iis circumstantiis, in quibus me per scientiam mediam suæ gratiæ cooperaturum vidit, ne in aliis circumstantiis positus peccarem, & perirem? Manet igitur, scientiam mediam nec utilem esse, neque possibilem.

6. Quæres: Ad quam igitur scientiam ex duabus scientiam in genere adæquatè dividentibus, pertinebit scientia conditionatorũ? An ad scientiam visionis, vel simplicis intelligentiæ? Non ad priorem: quia illa, cùm sit intuitiva, solùm terminatur ad objecta habentia exercitam existentiam in determinata temporis differentia, & coëxistentia in æternitate: atqui futura conditionata, de quibus loquimur, nullam habent, nullam habebunt existentiam. Non ad secundam, quia hæc scientia est necessaria, possibilium, & præsupposito omni decreto.

Respondeo, parum referre, ad quam ex istis reducatur: cùm enim participet aliquid de utraque, ad utramque reductivè pertinere potest. Unde primò, qui scientiam simplicis intelligentiæ adæquatè accipiunt, pro omni scientia abstractiva DEI, attingente creaturas nunquam producendas, sive antecedat, sive non antecedat omne decretum, reducunt illam ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ inadæquatè sumpta secundùm illam partem, quâ antecedit omne decretum, sic est necessaria & rerum purè possibilium; secundùm aliam verò partem, quatenus sequitur decretum conditionatum, sic est scientia libera & conditionatorum. Alii contrà, qui omnem illam scientiam appellant scientiam visionis, quæ consequitur ad quodcunque decretum DEI, estque scientia libera, sive deinde sit intuitiva, sive non, sive terminetur ad actualem, sive tantùm ad conditionatam existentiam rerum, reducunt illam ad scientiam visionis.

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi: Nam ad 1. dicitur, scientia visionis (si accipiatur pro omni scientia libera præsupponente qualecunque decretum) est rerum existentium vel absolutè vel conditionatè, conc. tantùm absolutè nego. estque intuitiva, si capiatur inadæquatè secundùm illam partem, quæ supponit decretum penitus absolutum, estque proin de rebus absolutè existentibus, vel extituris, concedo: si capiatur secundùm alteram partem inadæquatam, quæ supponit decretum objectivè conditionatum, estque de futuris conditionatis, nego. Et ad 2. scientia simplicis intelligentiæ (si accipiatur pro omni scientia abstractiva) est necessaria & rerum possibilium, secundùm partem inadæquatam, quâ præsupponitur omni decreto, concedo, secundùm alteram partem inadæquatam, quâ includit decretum conditionatum objectivè, sic nego. Ita scientia conditionatorum juxta diversam acceptionem ad utramlibet ex prædictis scientiis reductivè pertinere potest.

ARTICULUS V.

An DEVS futura conditionata videat in decreto conditionato?

SUMMARIA.

1. *Futura habentia infallibilem connexionem cum conditione pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ.*
2. *Duplex modus, quo decretum potest dici conditionatum.*
3. *Datur in DEO decretum objectivè conditionatum.*
4. *In quo videt futura conditionata.*
5. *Cur in conditionatis requiratur major existentia causæ, quàm effectûs?*
6. *Ista decreta nec sunt otiosa, nec ridicula.*
7. *Non sequitur DEVM habere infinities infinita decreta circa futura conditionata.*

§. I.

Exponitur & statuitur sententia Thomistica.

NOtandum primò. Quæstionem non procedere de futuris conditionatis habentibus ex se necessariam vel infallibilem connexionem cum conditione & antecedente, uti sunt, *si ignis applicatus fuerit stupæ, comburet. Si Petrus habuerit gratiam efficacem, pœnitebit.* hæ quippe conditionales propter necessariam vel infallibilem connexionem antecedentis cum consequente tam habent determinatam & infallibilem veritatem, 1.

quàm istæ propositiones absolutè æquivalentes, *Petrus habens gratiam efficacem pœnitendi pœnitebit, ignis applicatus stupæ comburet*: ideóque pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ.

2. Notandum secundò. Decretum voluntatis duplici modo posse dici conditionatum. Primò ex parte subjecti, sive actûs, cùm videlicet conditio magis afficit actum, quàm objectum, cujusmodi sunt velleitates & imperfectæ inclinationes in ipsum actum absolutum & efficacem, si hæc vel illa conditio poneretur, ut E. g. si quis dicat, *vellem emere has merces, si haberem pecunias*; *vellem legere hunc librum, si intelligerem*, tunc enim non significat præsentem & actualem voluntatem comparandi merces, legendi librum, &c. sed tantùm quòd esset habiturus hanc voluntatem, si poneretur talis conditio. Secundò, potest actus & decretum voluntatis dici conditionatum solùm ex parte objecti; ita ut determinatio voluntatis sit ex se absoluta, præsens & efficax, effectus tamen sit suspensus usque ad positionem alicujus certæ conditionis, ut si dicas: *volo accipere doctoratum, si habuero sufficientes pecunias, volo ambulare, si fuerit serenum*, significans absolutam & efficacem voluntatem ambulandi; effectus tamen ambulationis est alligatus ad conditionem serenitatis.

3. Notandùm tertiò. Non dari in DEO decreta conditionata ex parte actûs. Ratio primæ partis est, quòd velleitates istæ conditionatæ important suspensionem quandam & imperfectam inclinationem voluntatis, cum defectu sufficientis resolutionis & determinationis in voluntate: qui in actu puro implicat: actus verò conditionatus ex parte objecti dicit actum & determinationem præsentem voluntatis cum alligatione tamen objecti ad certam conditionem, quantumvis illa nunquam sit ponenda: & talia decreta conditionata in DEO necessariò admitti debent.

Nam primò Matt. 26. Christus dixit: *quòd si Patrem rogaret, esset exhibiturus, plùs quam 12. Legiones Angelorum*, adeóque supponebat voluntatem & decretum Patris exhibendi tot legiones sub hâc conditione, si Filius rogaret. Similiter pactum, quo DEUS Adamo promisit justitiæ originalis propagationem in posteros, sub conditione non peccandi, erat voluntas absoluta, præsens & efficax ex parte DEI promittentis, conditionata tamen ex parte objecti, & quidem sub conditione nunquam implenda vel redigenda in actum.

Secundò. Infinitas divinæ voluntatis non minùs exigit esse constituta in actu circa omne objectum volibile, quàm intellectûs infinitas circa omne scibile: sed effectus futuri sub conditione nunquam ponenda sunt objectum liberè volibile; ergo divina voluntas per propriam determinationem debet esse in actu circa ista futura conditionata.

Tertiò. De futuris absolutis DEUS habet decreta absoluta ex parte objecti: ergo de conditionatis habet decreta conditionata. consequentia probatur: ideo requiruntur decreta absoluta pro futuris absolutis, quia sine ejusmodi decretis cessaret omnis rerum futuritio: cùm esse futurum sit esse præparatum in causa; sed etiam sublato decreto conditionato ex parte objecti tollitur status futuritionis conditionatæ: cùm etiam futurum conditionatum sit aliquod esse præparatum in causa extractum è statu puræ possibilitatis: ergo de futuris conditionatis dantur in DEO decreta conditionata ex parte objecti. Ex parte objecti, inquam, quia conditionata ex parte subjecti, cùm non sint, sed essent, nullam faciunt præparationem in causa, & consequenter nullam possunt tribuere futuritionem. His positis sit.

Conclusio. DEUS non aliter certò cognoscit futura conditionata, quàm in decretis absolutis ex parte actûs, & conditionatis ex parte objecti. Ita communiter Thomistæ contra Molinistas.

Ratio ex dictis est: DEUS nihil futurum suæ liberæ voluntati subjectum certò potest cognoscere, nisi ratione sui liberi decreti: sed futura contingentia conditionata sunt aliquod futurum & ab ente purè possibile distinctum: ergo ut sic non nisi ratione liberi decreti cognoscitur: sed non cognoscitur ratione decreti absoluti; aliàs quippe jam forent absolutè futura, non etiam ratione decreti conditionati ex parte actûs, quia tale decretum, cùm actu non existat, etiam nullam causam actu præparat, vel determinat, nec proinde sufficit ad tribuendam denominationem futuritionis. Restat igitur, ut hæc futura cognoscantur in decretis absolutis quidem ex parte actûs, conditionatis autem ex parte objecti: cùm aliunde certam cognoscibilitatem & futuritionem non possint accipere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Non requiritur major existentia causæ, quàm sit existentia effectûs: sed existentia effectûs conditionatè futuri est pure conditionata: ergo etiam sufficit existentia conditionata decreti, quod tantùm esset, si poneretur effectus.

Confirm. Ad effectum actu ponendum requiritur causa actu influens, & ad absolutè futurum decretum absolutum; ergo ad effectum tantùm conditionatè futurum, qui nec est, nec erit, sed tantùm esset, si poneretur certa conditio, etiam sufficit decretum, quod existet, non quod actu existat.

Resp. dist. maj. non requiritur major existentia causæ, quæ actu influit existentiam in effectum, conc. quæ tantùm præparat existentiam, nego maj. sed existentia effectûs conditionatè futuri est tantùm conditionata, ita tamen ut habeat esse futurum in præparatione causæ, conc. in alio, nego minorem, & consequentiam. Cùm enim futuritio sit extrinseca denominatio à præparatione causæ, hæc autem à decreto actu existente proveniat, necesse est dari actualia decreta de futuris conditionatis.

Ex quo patet responsio ad confirm. negatur enim consequentia: quia decretum, quod actu non existit, nullam causam præparat, adeóque non potest tribuere formalem effectum & extrinsecam denominationem futuritionis.

Objic. secundò. Ejusmodi decreta sunt otiosa & ridicula: ergo non admittenda. Antec. prob. Illud decretum est otiosum & inutile, cujus effectus,

fectus, jam per aliud decretum absolutum nunquam ponendi conditionem est impeditus. e. g. inutile est decretum Tyriis dandi gratiam pœnitentiæ sub conditione prædicationis Christi: siquidem decreto absoluto DEUS statuit, ut Christus ipsis nunquam prædicaret. Sed ita se habent decreta de futuris conditionatis, ergo.

Confirmatur. Ridiculum foret, si quis tibi promitteret 100. nummos sub conditione, si lingua oculum tetigeris, quia nempe conditio adjecta est impossibilis: ergo etiam ridiculum erit decretum Tyriis dandi gratiam pœnitentiæ sub conditione prædicationis: siquidem prædicatio virtute decreti, ne Christus ibi prædicaret, facta est impossibilis.

Resp. negando antec. & minorem probationis; nam decretum absolutum, ut Christus nunquam apud Tyrios prædicaret, & ut Tyrii non converterentur, habet pro objecto absolutam non futuritionem prædicationis & conversionis, quæ nequaquam pugnat cum conditionata futuritione ejusdem conversionis, quæ est objectum decreti conditionati. Aliunde etiam pertinet ad perfectionem actus puri, & infiniti, ut ipsius voluntas non sit suspensa & potentialis, sed resoluta & in actu constituta circa quodlibet objectum volibile. Item ad rationem universalis provisoris & gubernatoris pertinet, non tantùm res omnes possibiles sub quacunque possibili combinatione conditionum cognoscere; sed etiam, quid in qualibet combinatione fieri velit, decernere, ad hoc autem utile & necessarium est decretum conditionatum.

Ad Confirm. Resp. Non esse paritatem, quia illa conditio, si lingua oculum tetigeris, est intrinsecè & simpliciter impossibilis; illa verò conditio, si Christus apud Tyrios signa fecerit, est intrinsecè possibilis, & fit tantùm impossibilis extrinsecè, ea suppositione alterius decreti divini.

Instabis. Hinc sequeretur, quod DEUS haberet infinities infinita decreta circa combinationes penè ridiculas rerum possibilium, ut v. g. si conderet alium mundum, tot essent muscæ producendæ, ex hoc vel illo cadavere progignendæ, &c. 7.

Resp. negando sequelam: nam sicuti DEUS ab æterno ex infinities infinitis creaturis possibilibus res absolutè futuras unico simplicissimo voluntatis actu ad statum absolutæ existentiæ extraxit; alias verò omnes creaturas non tantùm in statu puræ possibilitatis reliquit, sed etiam ad non futuritionem determinavit: ita similiter ex infinitis possibilibus combinationibus conditionum, unâ simplicissimâ voluntate aliquas determinavit, quas videbat suæ generali providentiæ consentaneas, cæteris in statu puræ possibilitatis & non futuritionis conditionatæ relictis.

DISPUTATIO XV.

DE

Obiecto, & divisione voluntatis Divinæ.

Ad q. 19. D. Th.

Postquam Doctor Angelicus expedivit controversias ad intellectum Divinum pertinentes, recto ordine ad voluntatem progreditur, eiusque naturam, divisionem, perfectiones & proprietates examinat. Cum quo proinde primò Divinæ voluntatis obiectum, deinde divisionem dabimus. Postremò libertatem & efficaciam Divinæ voluntatis, perfectiones præcipuas, & maximè disputabiles discutiemus.

ARTICULUS I.

Quodnam sit obiectum Divinæ voluntatis?

SUMMARIA.

1. *Ratio voluntatis in DEO.*
2. *Quam confirmat PP. Authoritas.*
3. *Suppositâ de voluntate DEI.*
4. *Obiectum formale.*
5. *Obiectum materiale.*
6. *Quomodo DEVS operetur propter creaturas?*
7. *DEUS creaturas rationales amat amore amicitiæ.*
8. *Quomodo Creaturæ amentur ut media?*
9. *Non solus actus charitatis reperitur in DEO*

§. 1.

Certiora præmittuntur.

1. DAri in DEO voluntatem, liquet ex ipsa oratione Dominica Matt. 6. & testantur fere omnes S. Script. paginæ, utpote Divinæ voluntatis interpretes. Probat S. D. a. 1. partim ex eo, quòd voluntas sit perfectio simpliciter simplex, partim quòd omnis substantia intellectiva consecutivè est etiam volitiva; sed DEUM esse intellectivum constat ex priori disputatione: ergo consequitur, quòd etiam DEUS sit summè volitivus. Major, cujus soliditatem cavillantur nonnulli è RR. sic probatur: omnem formam consequitur proportionatus appetitus, & inclinatio in bonum conveniens tali formæ: ut enim constat inductione totius naturæ, quòdlibet prosequitur bonum suum, & refugit malum: ergo ad formam intellectualem sequitur appetitus rationalis, sicut ad formam naturalem sequitur appetitus naturalis: sed iste est voluntas, quæ sola ten-

tendit in bonum rationis, conveniens & proportionatum naturæ rationali: ergo.

2. Quæ ipsa etiam est doctrina & mens SS. PP. nam Athanasius tr. d. defin. ait: *quidquid intelligit, constat quòd etiam voluntate ducatur.* Athanasius Synaita l. viæ Domini. c. 2. *Perspicuum est, omne illud, quod intellectu præditum est, & volendi potestate præditum esse; nam voluntas omni rationali creaturæ inest essentialiter.* D. Fulgentius. l. 1. ad Monimum c. 18. *neque enim animæ rationali inesse posset ullatenus ratio, nisi & posset Creatoris inesse dilectio.*

3. Cæterùm de hac ipsa DEI voluntate suppono primò ex dictis in 3. disputatione, quòd sit virtualiter distincta ab intellectu, & ratione nostrâ consequens ad essentiam DEI. Secundò DEUM esse ipsum suum velle, ità ut voluntas DEI sit ipsemet actus secundus volendi, & non potentia vel actus primus ab actu secundo virtualiter distinctus. Tertiò. Hanc ipsam DEI voluntatem esse immutabilem & æternam, quia est identificata cum ipsius essentia, & perfectio simpliciter simplex non obstante ipsius libertate, de qua in sequentibus. Restat, ut in præsenti quæramus objecta, & ex objectis divisionem voluntatis, postea perfectiones ipsius, nempe libertatem & efficaciam discutiamus.

§. II.

Objectum Divinæ voluntatis.

4. CONCLUSIO. *Objectum formale Divinæ voluntatis tam motivum quàm terminativum est increata DEI bonitas; creaturæ verò sunt objectum secundarium, & materiale ipsius.* S. D. a. 2. ad. 2. dicens. *Cùm DEVS alia à se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quòd aliquid aliud moveat voluntatem ipsius, nisi bonitas sua.* Ex quibus

Ratio primæ partis est. Illud est objectum formale tam per se motivum, quàm terminativum alicujus potentiæ, quod per se ab illa attingitur, & cætera ratione ipsius: sed sola Divina bonitas per se primò attingitur à voluntate Divina, bona verò creata tantùm ratione ipsius; partim, quia, ut dicitur prov. 26. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus;* partim, quia aliàs voluntas DEI speciem & mensuram acciperet à bonitate creata, quod implicat; cùm sola increata ipsius bonitas habeat adæquatam commensurationem & proportionem actualitatis cum voluntate DEI.

5. Ratio secundæ partis est: Illa sunt objecta materialia & secundaria Divinæ voluntatis, quæ quidem DEUS vult & amat non tantùm propter ipsorummet bonitatem, sed propter propriam bonitatem; atqui alia à se vult DEUS & amat propter suam, non propter ipsorummet bonitatem, siquidem voluntas & amor DEI non attrahitur à creata bonitate tanquam fine, & idcirco non dicitur affectivus sed effectivus, utpote propter semetipsum effundens & communicans rebus bonitatem: *non enim*, inquit S. Bern. l. de amore DEI c. 4. *afficeris ad nos, vel à nobis, cùm nos amas, sed es, quod es, quia semper id ipsum es, nos autem à te, ad te, & in te afficimur, cùm te amamus.* Et D. Bonav. in 3. disp. 32. q. 1. *amor Divinus non est amor inclinans ad alterum, sed potiùs alia inclinans & trahens ad se ipsum.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. DIces primò. Illud est motivum & finis voluntatis, propter quod voluntas operatur; sed voluntas DEI operatur propter creaturas: ergo creaturæ sunt motivum & finis Divinæ voluntatis. minor probatur: quia DEUS res corporales condit propter hominis utilitatem, easque ordinat ad hominem tanquam media ad finem.

Resp. Illud est motivum voluntatis, propter quod ipsa operatur tanquam propter causam & rationem volendi ex parte voluntatis, concedo. tanquam propter rationem volendi tantùm ex parte voliti, nego: sed DEI voluntas sic operatur; cùm res corporeas condit propter hominem, ut ly *propter* significet motivum finale ex parte voluntatis, nego; (omnia quippe, & res corporeas & ipsum hominem vult DEUS propter suam bonitatem tanquam rationem volendi) rationem volendi tantùm ex parte voliti, ut nimirum unum ordinatum sit in utilitatem alterius, concedo min. & nego consequentiam. quod paucis expressit S. D. hic a. 5. dicens, *vult DEVS hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* h. e. inter objecta materialia vult DEUS unum se habere instar finis, & aliud instar medii, non tamen, ut se habeant per modum finis respectu sui actûs & voluntatis.

Dices secundò. Si DEUS omnia vult propter se ipsum, tunc creaturas rationales non amat amore amicitiæ, seu benevolentiæ: consequens est contra doctrinam S. D. in 2. 2. q. 23. a. 1. ergo. Sequela probatur: quia per hoc amor amicitiæ distinguitur ab amore concupiscentiæ; quòd ille sistit in amato, iste verò est reflexivus in bonum proprium.

Respondeo negando sequelam, & probationem distinguo: amor amicitiæ sistit in amato, nisi bonum ipsius amati sit referri in ulteriorem bonitatem concedo. Si sit, nego: atqui est ipsummet creaturæ rationalis bonum referri in bonitatem Divinam.

Dices tertiò. Si DEUS creaturas amaret propter se ipsum, amaret ut media; atqui hoc dici nequit, quia bonitas mediorum est bonitas utilitatis & conducentiæ ad finem; sed nulla creatura potest DEO afferre aliquam utilitatem: ipse enim *bonorum nostrorum non eget.* psal. 15. ergo.

Resp. DEUS creaturas amat ut media, sub latiori sensu, quatenus nimirum amantur ratione bonitatis Divinæ à se participatæ, ideóque referibilis in DEUM ut fontem illius, concedo: in strictiori sensu, quasi amarentur ratione utilitatis & conducentiæ ad finem: nego.

Dices quartò. Hinc sequeretur, in DEO nullius virtutis quàm charitatis actum reperiri; quia actus habens pro motivo formali increatam DEI bonitatem, est actus charitatis: sed voluntas DEI in suo actu haberet unicum motivum suæ increatæ bonitatis: ergo tantùm foret actus charitatis.

Respond.

Resp. negando sequelam, & probationem distinguo. si non formaliter eminenter contineat motivum & actum alterius virtutis, concedo, si contineat, nego, & pariter dist. min. nego consequentiam.

ARTICULUS II.

Quomodo DEVS amet creaturas possibiles?

SUMMARIA.

1. *Liberè amat DEVS creaturas actuales.*
2. *Amor inefficax creaturarum possibilium probatur authoritate.*
3. *Multiplex ratio hujus sententia.*
4. *Est amor inefficax & simplicis complacentiæ.*
5. *S. Doctoris authoritas in oppositum accipienda est de amori efficaci.*
6. *Quandonam potentia necessariò feratur ad objecta materialia?*
7. *Spiritus S. etiam ex amore creaturarum possibilium procedit.*
8. *Quomodo voluntas infinita necessitari possit per objectum finitum.*
9. *Quomodo objectum intellectûs sit simplicius, quàm objectum voluntatis?*
10. *DEUS semper vult optimum formaliter.*
11. *Quales actus & virtutes voluntatis sint admittenda in DEO?*

§. I.

Datur in DEO amor erga creaturas possibiles.

1. SUppono, DEUM liberè amare creaturas actuales, quia liberè illas producit. Est quippe amor DEI non affectivus, qui bonitatem supponat in rebus, à qua trahatur & afficiatur, sed effectivus, qui ipsam bonitatem & amabilitatem ponat in rebus. Vult igitur DEUS bonum creaturis, quia esse, & quidquid bonitatis ipsi superstruitur, tribuit: eaque de causa creaturas amat, quid enim aliud est amare, quàm alicui bonum velle? hoc ipso autem liberè amat, quia cuilibet creaturæ liberè tribuit suum esse. De creaturis possibilibus major est disceptatio: dum rigidiores Thomistæ possibilia ab omnis boni commercio proscribunt, ideòque ab objecto Divinæ voluntatis excludunt. Alii cum Marco de Serra mitiori calculo inter objecta simplicis complacentiæ, non tamen amoris efficacis admittunt.

2. Cui posteriori sententiæ subscribo. Stat pro hac sententia S. Dionysius c. 4. d. Divinis Nomin. dicens: *bonum se extendit ad existentia & non existentia.* Si ergo non existentia (possibiles nempe creaturæ) possunt habere rationem boni, nihil obstat, quo minùs possint terminare Divinam voluntatem; cùm hoc unicum sit contrariæ partis fundamentum, quòd possibilia sint omni bonitate destituta. Accedit Authoritas S. D. qui hîc q. 37. a. 2. absque ulla exceptione dicit; *Sicut Pater dicit se & omnem creaturam Verbo, quod genuit, ita diligit se, & omnem creaturã Spiritu Sancto.* Sed Pater dicit se & omnem creaturam possibilem Verbo, quod genuit: imò per se tantùm dicit creaturam possibilem, neque enim, nisi concomitanter ex actualium creaturarum amore verbum procedit: ergo diligit se & omnem creaturam possibilem Spiritu sancto: quia nec Spiritus S. nisi concomitanter tantùm ex amore creaturarum actualium procedit. Præterea idem S. D. 1. contra gent. c. 84. dicit: *DEVS non vult nisi ea, quæ sunt, vel possunt esse bona*: ergo inter objecta Divinæ voluntatis admittit bona possibilia, præsertim cum S. D. subdat, solùm impossibilium secundùm se non esse voluntatem in DEO.

3. Ratio quoque est primò. Divina voluntas extendit se ad omne bonum, in quod voluntas potest ferri; sed voluntas ferri potest in bonum possibile: ergo. minor constat nostrâ experientiâ, qui sæpe appetimus possibilia, uti cùm Christus Marci 14. oravit. *Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me.* Ubi Christus scivit, translationem calicis tantùm esse possibilem.

Confirm. Possumus velle possibilia tantùm (ut patet in prædicto exemplo) absque peccato: sed tunc DEUS vult, ut velimus talia: ergo vult DEUS possibilia.

Ratio est secundò. DEUS necessariò vult suam bonitatem ut communicabilem creaturis: ergo necessariò vult creaturas possibiles, sine quibus non est communicabilis.

Confirm. primò. Ex eo, quòd ideæ Divinæ sint imitabiles per essentiã, non possunt cognosci, nisi cognitis possibilibus: ergo etiam ex eo, quòd bonitas Divina per essentiam est communicabilis, non potest amari, nisi ametur terminus hujus communicabilitatis, h. e. creaturæ possibiles ratione ideæ.

Confirm. secundò. Bonitas actualis rerum terminat efficacem voluntatem DEI: ergo bonitas possibilis terminat inefficacem voluntatem DEI. Consequentia probatur: Infinita voluntas extendit se ad omnem bonitatem, sicut infinita scientia ad omnem veritatem: ergo sicuti scientia speculativa DEI extenditur ad omne verum possibile: ita inefficax voluntas DEI ad omne bonum possibile.

Confirm. tertiò. Qui vult finem, vult necessariò etiam ea, sine quibus finis esse non potest, ut habet S. D. hîc. a. 3. atqui necessariò DEUS amat suas ideas, potentiam, bonitatem: ergo etiam necessariò amat creaturas, sine quibus illæ esse non possunt.

4. Dixi tamen: hunc amorem esse simplicis complacentiæ & inefficacem, ut occurrerem scrupulo Adversariorum, qui cùm in S. D. legunt, amorem DEI erga creaturas esse effectivum, ex eo inferunt: ergo creaturæ possibiles, quæ non efficiuntur à DEO, non diliguntur ab ipso. Sed nimi-

nimirum loquitur S. D. de amore efficaci, non inefficaci & simplicis complacentiæ, quem ad possibilia terminari dicimus. Imò sicut Adversarii concedunt nobiscum, scientiam simplicis intelligentiæ esse virtute & quasi in actu primo causam rerum, ita similiter nobiscum rectè dicerent, amorem possibilium esse virtute, & quasi in actu primo effectivum: sicut enim efficax DEI voluntas est in actu secundo amor effectivus, in quantum vult & approbat actualem habitudinem rerum ad esse, ita inefficax DEI voluntas, & quam vocamus simplicis complacentiæ, est amor virtute, & in actu primo effectivus, in quantum approbat, & sibi complacet in habitudine possibili, quam res habent ad esse: sicut & ipse artifex, antequam decernat artificiosam formam in opus inducere, priùs in ideato à se concepto, & per ideam artis repræsentato complacentiam habet. Non ideo tamen ista complacentia & amor possibilium erit actus liber in DEO, cùm non fundetur in contingenti & libera, sed necessaria connexione, quam habent possibilia cum Divinis ideis, omnipotentia, & bonitate.

§ II.

Solvuntur objectiones.

5. DIces tamen primò: S. D. hîc a. 3. universaliter ait, *alia à se DEVM non necessariò, sed liberè velle.* Quod repetit 1. cont. gent. à c. 81. & alibi. Resp. S. Doct. hîc loqui de amore efficaci, non de amore simplicis complacentiæ.

6. Dices secundò: quælibet potentia non nisi ad rationem formalem sui objecti fertur necessariò, necessitate quoad specificationem; sed res creatæ possibiles non pertinent ad objectum formale Divinæ voluntatis: ergo. Resp. dist. maj. nisi sint aliqua necessariò connexa cum illo specificativo, conc. si sunt connexa, nego. sed possibilia non pertinent ad objectum specificativum Divinæ voluntatis, ut neque sint necessariò connexa cum illo, nego, ut sint connexa, conc. min. & nego consequentiam.

7. Dices tertiò: sequeretur, quòd Spiritus S. procederet ex amore creaturarum, quòd tamen communiter Theologi non admittunt in Tract. de SS. Trinit. Resp. tam parùm esse inconveniens, ut Spiritus S. procedat ex amore per modum simplicis complacentiæ ad creaturas terminato; quàm quòd Verbum procedat ex cognitione possibilium: imò hoc insinuat S. D. loco suprà cit. Unde Theologi communiter de efficaci amore actualium creaturarum loquuntur, cum negant Spiritum S. ex illo per se procedere.

8. Dices quartò. Objectum finitum & inadæquatum non potest necessitare voluntatem infinitam; sed creaturæ possibiles tantùm sunt objectum inadæquatum & finitum: ergo non possunt necessitare Divinam voluntatem. Resp. objectum finitum & inadæquatum non potest voluntatem infinitam necessitare, necessitate objectivâ, & purè ex parte sui proveniente, conc. subjectivâ, & proveniente ex infinitate subjecti, nego. sicut enim ex infinita perfectione subjecti, & cognitionis Divinæ provenit, ut quamvis possibilia ratione sui non habeant infinitam scibilitatem, tamen necessariò cognoscantur, quia nimirum necessariò comprehendendo suam omnipotentiam, etiam necessariò comprehendit DEUS omnem terminum connexum cum illa; ita etiam ex infinita perfectione subjecti & voluntatis Divinæ provenit, ut necessariò amando suam bonitatem & omnipotentiam, necessariò amet terminos cum illa necessariò connexos.

Dices quintò. Objectum intellectûs juxta S. D. infrà q. 82. a. 3. est simplicius & magis absolutum, quàm objectum voluntatis. h. e. interprete Caietano, objectum intellectûs est quidditas rei sub conceptu quidditatis, voluntatis verò objectum est res prout existens: ergo possibilia, quæ præscindunt ab ordine ad existentiam, possunt quidem esse objectum Divinæ scientiæ; non autem voluntatis. Resp. objectum intellectûs sive verum esse magis absolutum, quàm sit objectum voluntatis, quia verum, quod est objectum intellectûs, potest absolutè concipi sine habitudine ad esse, ut fit in speculationibus Mathematicis; at verò objectum voluntatis aliquam requirit habitudinem ad esse. Nec tamen requiritur actualis habitudo; sed sufficit possibilis juxta dicta.

§. III.

Corollaria.

COlliges primò: Si objectum volitum formaliter spectetur, DEUM semper illud velle, quod est optimum: secus si spectetur materialiter, & entitativè. Formaliter spectatur volitum, prout subest motivo formali bonitatis Divinæ, quæ semper est infinitè perfecta. Materialiter spectatur, prout est in seipso: & sic certum est, unam creaturam esse alterâ meliorem: imò optimam & perfectissimam produci non posse constat ex dictis de perfectione DEI.

Colliges secundò. Illas virtutes & actus voluntaris in DEO formaliter admittendos, qui nullam dicunt imperfectionem. Unde primò est in DEO non tantùm amor, de quo diximus, sed est gaudium, delectatio & fruitio, quia hoc dicit quietem voluntatis in objecto volito: sed hoc maximè locum habet in DEO, qui est sibi sufficientissimus. Secundò est in DEO Zelus juxta illud Ex. 24. *Ego sum Dominus DEUS tuus fortis Zelotes.* Nam Zelus secundùm S. D. 1. 2. q. 28. a. 4. nil aliud importat, quàm intrinsecum amorem fortiter excludentem omne sibi contrarium: sed DEUS ita intrinsecè amat suam gloriam: ergo. Tertiò est in DEO formaliter misericordia, quoad effectum sublevandi alienam miseriam, quia ut sic nullam dicit imperfectionem; non autem quantùm ad motum appetitûs sensitivi, qui est tristitia de malo alieno. Quartò est in DEO formaliter justitia distributiva quoad æquissimam distributionem juxta cujusque accipientis proportionem & dignitatem: non autem secundùm obligationem ortam ex jure recipientis. Et sic aliæ quoque virtutes & actus, quatenus ab imperfectione absolvi nequeunt, non sunt formaliter in DEO, uti Justitia commutativa, quæ suppo-

nit

nit debitum legale, & suo loco tractabitur, temperantia, quæ tendit ad passiones in ordine continendas, odium, quod pro objecto terminativo habet malum quà tale: ira, quæ supponit tristitiam ex injuria illata acceptam: desiderium, quod fertur in bonum absens, excluduntur à voluntate DEI, ideóque si legimus in S. Scriptura, DEUM irasci ut psal. 59. *odisse omnes, qui operantur iniquitatem.* psal. 5. metaphoricè ista sunt accipienda, ratione nimirum alicujus effectûs, qui apud homines ex odio vel ira solet procedere.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit voluntas in DEO?

SUMMARIA.

1. *Divisio voluntatis in DEO est materialis.*
2. *Alia voluntas absoluta & efficax, alia conditionata, & inefficax.*
3. *Quid sit voluntas antecedens & consequens?*
4. *Voluntatem antecedentem esse voluntatem beneplaciti ostendit authoritas S. Script.*
5. *Probat preparatio mediorum sufficientium ad salutem.*
6. *Et universalis cura tam de singulis, quàm omnibus hominibus.*
7. *Confirmat exemplum Judicis.*
8. *Voluntas antecedens non inducit imperfectionem.*
9. *Instantia de voluntate conditionata & metu.*
10. *Exponuntur variæ authoritates S. Scripturæ.*
11. *Divisio voluntatis in antecedentem & consequentem est adæquata.*
12. *Aliquando voluntas antecedens & consequens conjunguntur.*

§. I.

Divisio voluntatis.

1. VOluntatum divisio non ex aliqua intrinseca distinctione virtuali, quam in una linea non dari pridem dictum; sed ex objectorum materialium volitorum diversitate, circa quæ Divina voluntas versatur, accipitur: & solet primò dividi voluntas DEI in voluntatem signi & beneplaciti ex S. D. a. 11. voluntas beneplaciti est propriè & formaliter voluntas, quia est actus Divinæ voluntatis formaliter in DEO existens. Voluntas verò signi non est propriè sed metaphoricè voluntas; quia non est ipse actus Divinæ voluntatis, sed extrinsecum signum illius, quo modo testamentum dicitur voluntas testatoris. Ejusmodi signa S. D. a. 1. enumerat 5. tria respectu boni scilicet operationem, præceptum & consilium. duo respectu mali, scilicet prohibitionem & permissionem, hoc versu comprehensa.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Existis signis sola operatio est infallibile signum absolutæ & veræ voluntatis in DEO, ideóque semper incidit cum voluntate beneplaciti; quia est impossibile DEUM non velle, quod operatur, *omnia enim, quæ voluit, fecit in cælo & in terra.*

3. Voluntas beneplaciti ulteriùs dividitur in antecedentem & consequentem: sicut & in absolutam & conditionatam, efficacem & inefficacem. Voluntas absoluta & efficax est, quæ absolutè & efficaciter decernit effectum; ideóque semper impletur, de qua etiam dicitur Esther 3. *non est, qui tuæ voluntati possit resistere.* Voluntas conditionata & inefficax est, quæ sub conditione vult aliquem effectum, ideóque non semper impletur, sed impleretur, si poneretur conditio, v. g. si homines facerent, quod deberent.

Voluntas antecedens non ex eo dicitur, quòd 3.
sit quædam generalis & indifferens voluntas antecedens nostræ voluntatis determinationem (quo modo exponit Vasquez) sed quod per illam DEUS vult aliquid, prout secundùm se & sua intrinseca, præscindendo à circumstantiis, est aliquid bonum & conveniens. Voluntas consequens est, non quâ DEUS vult post determinationem nostræ voluntatis, sed quâ DEUS vult aliquid in particulari, ut vestitum omnibus circumstantiis. Nam ut S. D. voluntas comparatur ad res, secundùm quod in se ipsis sunt: in se ipsis autem sunt in particulari; unde simpliciter volumus aliquid, secundùm quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Idcirco voluntas consequens semper est absoluta & efficax; voluntas verò antecedens, nisi conjungatur cum consequente, est inefficax. Nam ut ibidem S. D. *patet, quòd, quidquid DEUS simpliciter vult, fit: licèt illud, quod antecedenter vult, non fiat.* his positis sit

§. II.

Voluntas antecedens est voluntas beneplaciti.

CONCLUSIO. *Non solùm voluntas consequens, sed etiam antecedens, est vera & sincera voluntas beneplaciti.* Ita Thomistæ cum S. D. cit. a. 11. 4.

Probatur primò è variis Scripturis ut Ezech. 18. *nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus DEUS, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat?* c. 33. *vivo ego dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* 2. Petri 3. *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* potissimùm verò ex illo 1. Tim. c. 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* idque confirmat Apostolus ex eo, quòd *unus est mediator DEI & hominum Christus Jesus, qui dedit seipsum redemptorem pro omnibus.* Ex quibus

5. Probatur secundò conclusio. Illa est voluntas vera beneplaciti, quæ præparat media sufficientia ad consequendum finem: electio quippe mediorum supponit intentionem finis: sed voluntas omnes homines salvos faciendi comparat illis omnibus media sufficientia ad salutem: ergo est vera voluntas beneplaciti: jam autem non est voluntas consequens absoluta & efficax: aliàs de facto omnes homines salvi fierent: ergo est voluntas inefficax & antecedens: adeóque voluntas antecedens est vera voluntas beneplaciti. minor constat ex verbis Apostoli: nam passio Christi est medium oblatum omnibus hominibus in ordine ad consequendam salutem: *dedit enim semetipsum pro omnibus.* Et Colos. 1. *in ipso complacuit reconciliare omnia.* Rom. 8. *pro omnibus tradidit illum.* 1. Cor. 15. *pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Jo. 2. *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

6. Confirm. primò. Curam gerere de omnibus supponit seriam voluntatem salvandi omnes: atqui DEUS gerit providentiam & curam de omnibus hominibus: ergo habet seriam voluntatem salvandi omnes homines; sed hæc est voluntas antecedens: ergo. Minor est certa ex sap. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Unde D. Gregorius l. 25. moral. c. 29. *Sic DEVS intendit singulis, ac si vacet á cunctis; & sic omnibus simul intendit, ac si vacet á singulis.*

7. Confirm. secundò exemplo Judicis, qui licèt voluntate consequenti, & perpensis omnibus circumstantiis reo velit vitam tollere: non ex hoc impeditur, quin seriò cupiat quamvis inefficaci & conditionatâ voluntate ipsius vitam servare, præsertim, si is aliàs sit amicus. Ita quamvis DEUS voluntate consequente & consideratis omnibus circumstantiis, ostensione nimirum suæ Justitiæ, misericordiæ in electos, gravitate peccati, &c. velit damnare reprobos, non exinde impeditur, quin voluntate antecedente velit omnes homines salvare, quippe quibus offert & comparat beneficia, cum quibus possent salvari, si vellent.

§. III.

Solvuntur objectiones.

8. OBjic. primò. Hæc voluntas antecedens infert imperfectionem in DEUM, primò, quia est otiosa & inefficax ad consequendum effectum. Secundò, quia infert contrarias voluntates in DEUM, vult enim omnes salvare per voluntatem antecedentem, & non vult omnes homines salvare per voluntatem consequentem. Resp. neg. antecedens. & ad primam probationem dico, non esse voluntatem otiosam; quia licèt non sortiatur effectum ultimatum, sortitur tamen effectus inchoatos & intermedios, inter quos sunt (ut inquit S. D. in 1. d. 46. q. 1. a. 1.) ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia, quàm gratuita, &c. neque ista inefficacia est ex defectu agentis & voluntatis; sed ex defectu objecti, quod absolutè secundùm se, & absque adjunctione circumstantiarum potest esse tantummodo objectum voluntatis inefficacis, non autem efficacis.

Instabis. Qui habet voluntatem inefficacem ex parte objecti, haberet efficacem, si absque suo incommodo posset objectum mandare executioni: si enim mercator posset salvare sine periculo suas merces, haberet etiam efficacem voluntatem illas salvandi: ---- Ergo cùm DEUS absque ullo sub incommodo possit salvare omnem hominem, non habet veram voluntatem ne quidem inefficacem ipsos salvandi.

Resp. dist. antec. haberet voluntatem efficacem, nisi executio objecti ratione adjunctæ circumstantiæ appareat minùs bona, conc. si appareat minùs bona, nego. Et ideo mercator efficaciter appeteret retinere merces, quia illæ cessante periculo haberent eandem bonitatem, quam habent ante periculum: at salus omnium hominum, quæ absolutè secundùm se repræsentatur bona, in circumstantiis manifestandi Divinam Justitiam, aliasque DEI perfectiones, DEO apparet minùs bona.

Objicies secundò nonnullas Authoritates, quibus videtur indicari, Christum non pro omnibus esse mortuum. Ita Joa. 17. *non pro mundo rogo.* Matth. 16. *qui pro multis effundetur.* Concilium Valentinum *Christus non est mortuus pro iis, qui in impietate mortui sunt.* D. Th. 3. p. q. 21. a. 4. ad 2. *Christus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, nec etiam pro omnibus, qui erant crediturí in eum, sed solùm pro eis, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.*

Resp. in primo & ultimo loco sensum esse de efficaci & consequenti voluntate orandi, non de antecedente; quia sanguis Christi pro omnibus quidem sufficienter, non tamen efficaciter fuit oblatus & effusus, quo modo exponit & loquitur Tridentinum Sess. 6. c. 2. & 3. Ad secundum locum Matt. Resp. ly *pro multis* ibidem accipi pro *omnibus.* ut sæpius contingit in S. Scriptura. Ad 3. locum ex Concil. Resp. mentem ipsius esse, quòd Christus non obtulerit suam passionem, ut hi, qui in impietate sunt mortui, ex inferno liberentur, quod senserunt aliqui hæretici.

Colliges ex dictis primò, divisionem voluntatis in antecedentem & consequentem esse adæquatam; quia accipitur à membris contradictoriè oppositis: aut enim est voluntas & amor boni sine circumstantiis particularibus, aut cum illis considerati. Si primum, est voluntas antecedens; si secundum, est consequens. Unde rejicienda est illa RR. voluntas concurrens, utpote destruens efficaciam intrinsecam Divinorum decretorum (de qua in sequent.) & medium ponens inter contradictoria. Cæterùm ipsa voluntas consequens, si est circa mala, dicitur voluntas permissionis, circa bona verò voluntas approbationis.

Colliges secundò, voluntatem antecedentem sæpe conjungi cum consequente, sicuti gratia efficax sæpe comitatur sufficientem: nam in salute omnium hominum, quæ est volita voluntate antecedente, etiam includitur salus prædestinatorum, quam DEUS etiam vult voluntate consequente.

DISPU-

DISPUTATIO XVI.
DE
Libertate voluntatis Divinæ.

Fide certum est, in DEO dari liberum arbitrium, quo liberrimè decernit, & producit alia extra se, veluti testantur plurimi scripturæ textus, ut psal. 93. *DEVS ultionum liberè egit.* Matth. 20. *Non licet mihi, quod volo facere? &c.* Nimirum libertas arbitrii, *Divinum quid præfulgens in anima, tanquam gemma in auro*, teste S. Bernardo in Cant. perfectio est simpliciter simplex, & maxima naturæ rationalis dignitas. Sed neque Divina voluntas aliter creaturas velle potest, quàm prout habent cum sua bonitate ceu formali obiecto connexionem; atqui creaturæ actuales non habent necessariam connexionem cum bonitate Divina; hæc quippe & erat ante mundum, & adhuc esset in eodem flore suæ infinitæ perfectionis, quamvis nullis extantibus creaturis: ergo Divina voluntas creaturas actuales liberè vult. Patet etiam à posteriori; quia si DEUS ageret ex necessitate, faceret de facto, quæcunque posset: hæc autem nec facit, nec facere potest: ergo. Et hæc quidem sunt expedita: gravis tamen est, & aliquorum Judicio omnium difficillima Theologiæ quæstio, quid actus liber ad necessarias perfectiones superaddat, sive per quid à necessariis distinguatur?

ARTICULUS I.

An libertas Divinorum decretorum intrinsecè compleatur per aliquid creatum?

SUMMARIA.

1. *Aperitur status difficultatis.*
2. *Sententia de additione perfectionis modalis supra actum necessarium reprobatur.*
3. *Aureoli denominatio extrinseca rejicitur.*
4. *Capreoli respectus rationis refutatur.*
5. *Complementum intrinsecum ab actione vel effectu creato petitum.*
6. *Impugnatur ex natura perfectionis vitalis.*
7. *Ex circulo vitioso.*
8. *Ex natura liberi secundi.*
9. *Ex prioritate libertatis Divinæ.*
10. *Responsio enervatur.*
11. *Ex paritate volitionis.*

§. I.

Variæ Authorum sententiæ discussæ & rejectæ.

1. STatus propositæ difficultatis in eo consistit, quòd duæ propositiones sibi in speciem contradictoriè oppositæ sint conciliandæ; quarum una est: *aliquid Divinum DEO intrinsecum & identificatum posse non esse*: altera: *nihil Divinum DEO intrinsecum & identificatum posse non esse.* Nam actus DEI liber ex essentia actûs liberi habet, ut potuerit non esse. Actus DEI liber ex essentia actûs Divini vitalis habet, quòd sit DEO intrinsecus; ergo aliquid DEO intrinsecum potest non esse. Rursus: nihil identificatum DEO potest aut potuit non esse; quidquid est intrinsecum DEO, est identificatum cum ipso, nisi velis constituere DEUM compositum, & conflatum ex creatis perfectionibus, quod alibi rejecimus; ergo nihil DEO intrinsecum potest non esse.

Ut hanc discordantiâ in concordiâ revocarent, 2.
dixerunt aliqui primò: Liberum Divinæ voluntatis actum supra necessariam perfectionem actûs, addere quandam perfectionem realem saltem modaliter distinctam; quæ absolutè potuerit non esse, eò quòd tantùm dicat perfectionem secundùm quid. Sed hæc sententia rejecta manet ex iis, quæ de immutabilitate & simplicitate DEI diximus, quam omnis creatæ formæ intrinseca receptio dehonestat. Stat etiam in contrarium Concilium Rhemense in Symb. fid. definiens, *non esse aliquas res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, aut unitates dicantur, in DEO, quæ non sint ab æterno, & non sint DEVS.* Tandem sive illud superadditum sit absoluta, sive modalis, sive perfectio simpliciter, sive secundùm quid. Vel est quid creatum, vel Divinum? si creatum; ergo facis DEUM compositum, & intrinsecè perfectibilem per aliquid creatum. Si Divinum; ergo quod est entitativè DEUS, potuit esse nihil: & quod est nihil, potuit esse DEUS, quod est sanè, ut inquit Jo. à S. Th. *horribile inconveniens.*

Secundò Aureolus è diametro oppositus in 1. 3.
dist. 45. q. 1. docuit, actum liberum formaliter constitui per denominationem extrinsecam ab actione transeunte, & creaturas ad extra immutante. Sed neque ista sententia scopum tangit: quia primò libertas est perfectio simpliciter simplex, DEUM intrinsecè denominans, & liberè velle est actus DEI immanens, præsuppositus omni productioni ad extra. Ideo enim dixit Psaltes Reg. psal. 17. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* & psal. 113. *omnia, quæcunque voluit,*

Dominus fecit: ergo hæc denominatio à forma DEI extrinseca provenire non potest. Secundò ista sententia committit vitiosum circulum, dum per ipsam liberè DEUS vult creaturas, quia liberè sunt futuræ, & tamen ideo liberè sunt futuræ, quia DEUS illas liberè vult.

4. Alii tertiò cum Capreolo, Ferrar. Marco Serra hîc docent, quòd actus liber superaddat ad necessariam perfectionem respectum rationis, per quem terminatur ad creata objecta. Sed vel accipis respectum rationis formaliter, vel fundamentaliter. Si formaliter, contra est vulgaris illa difficultas, quâ ratione perfectio DEO intrinseca, realis, æterna, per nostri intellectûs figmentum, in quo ens rationis formaliter consistit, possit constitui & salvari. Si fundamentaliter, manet antiqua difficultas, siquidem hoc fundamentum est quid increatum & Divinum: quomodo igitur à DEO abesse potest?

§. II.

Refutatur intrinsecum complementum à connotato extrinseco.

5. COmmunior hoc tempore & quarta RR. expositio est, decretum DEI liberum intrinsecè compleri per connotatum reale DEO extrinsecum; sive illud sit effectus productus, sive potiùs ipsa productio, & dependentia effectûs. Ita Vecken, Dercken, Rosmer, Erhardt, in thesibus.

6. Sed contra hanc opinionem est primò. quòd libertas formaliter est perfectio vitalis & increata DEI; sed implicat, ut per aliquid creatum intrinsecè compleatur & constituatur perfectio formaliter increata, & per aliquid extrinsecum perfectio intrinseca & vitalis: ergo implicat, ut libertas vitalis & increata DEI intrinsecè compleatur & constituatur per productionem passivam, seu dependentiam creaturæ, quæ est aliquid creatum & contingens extra DEUM.

7. Secundò. hæc expositio non evitat vitiosum circulum Aureoli. Etenim illa productio ad extra & executio Divinæ voluntatis, unde habet, quòd sit contingens & libera, nisi à Divina voluntate? Si enim DEUS necessariò vellet munproducere, eundem quoque necessariò produceret. Et rursus: per te ideo DEUS vult liberè, quia liberè producit.

Unde tertiò: omne liberum creatum est liberum secundum, fundatum in libero primo; sed productio rerum est liberum aliquod creatum: ergo fundatur in libero primo, illúdque præsupponit, non constituit.

Quartò: In illo priori, quo liberum decretum DEI causat liberam productionem creaturæ, continet formaliter eminenter omnem libertatem productionis, aut cujuscunque effectûs creati. Ergo in & pro illo priori non potest formaliter compleri per productionem creaturæ. Ex quo ruit illud consuetum argumentum è regula partium tanquam è Foliis Sibillæ descriptum: id ad intrinseca rei pertinet, quo præcisè addito res est, & solo sublato non est. Ex quo inferunt: sed posità præcisè actione productivâ objecti, est formalis denominatio liberi, eâ sublatâ non est: ergo. Quidquid enim sit de majori, de qua Philosophi viderint, inverto argumentum, & dico. Id ad intrinseca rei non pertinet, quod in aliquo priori formalem & intrinsecam ipsius denominationem supponit, & ab illa in signo posteriori accipit: sed productio creaturæ in signo priori supponit intrinsecam & formalem denominationem libertatis in DEO, eámque in signo posteriori habet dependenter à libertate Divina: ergo.

Neque satisfacis, si dicas, libertatem Divinam inadæquatè & specificativè, non adæquatè & reduplicativè acceptam præsupponi à creata productione. Nam contrà est. quòd tota & adæquata imò & reduplicativa ratio libertatis non aliter sit in creaturis, quàm per participationem: sed liberum per participationem per prius continetur in DEO, ceu primo libero: ergo & reduplicativè & adæquatè præsupponitur libera voluntas DEI, quàm concipiatur libera productio creaturæ.

Quintò. Libertas non minùs est prædicatum absolutum, quàm actus & volitio; sed per Adversar. actus & volitio sunt perfectiones DEO adæquatè intrinsecæ absque objectivo complemento extrinsecè intrinseco, aut intrinsecè extrinseco: ergo etiam libertas. Imò videtur esse implicantia in terminis, ut aliquid formaliter intrinsecum quâ tale constituatur, vel compleatur per aliquid formaliter extrinsecum: cùm ergo libertas, ceu perfectio simpliciter simplex sit DEO formaliter intrinseca, nec adæquatè nec inadæquatè constitui vel compleri poterit per aliquid extrinsecum.

ARTICULUS II.

In quonam libertas Divina adæquatè consistat?

SUMMARIA.

1. *Definitio libertatis.*
2. *Differentia inter libertatem creatam & increatam.*
3. *Indifferentia libertatis Divinæ, non est passiva, sed activa & actualis.*
4. *In quo adæquatè consistat?*
5. *Inductiva rejectio aliarum explicationum.*
6. *Terminatio actûs liberi potuit non esse objectivè, non subjectivè.*
7. *Nihilominus contingentia activa est liberi decreti subjectiva perfectio.*
8. *DEVS non potest velle in tempore, quod ab æterno noluit.*
9. *Terminatio intrinsecè defectibilis impugnatur.*
10. *Voluntas Divina non potest esse suspensa ab omni decreto.*
11. 12. 13. *Solvuntur objectiones.*

§. I.

Explicatio Libertatis.

1. HIs aliisque modis dicendi relictis, Advertenda est Definitio libertatis, & notabiles differentiæ, quæ inter increatam, creatamque intercedunt.

dunt. Rectè igitur libertas definitur: *Dominium sui actûs ad oppositа*, ubi primò per ly *Dominium* significatur potestas cujusdam indeterminationis & independentiæ ab objecto, circa quod agens liberum versatur. In eo quippe liberi agentis operatio ab agentis necessarii operandi modo discernitur, quòd istius potentia & vis operandi ita adæquatur ab objecto proposito, ut non sit in manu ipsius, illud objectum respuere, aut in oppositum divertere, dum econtrà agentis liberi facultas non ita adæquatur ab objecto proposito, neque ab ejus attractione ita subigitur, quin vel ipsi resistere, illúdque deserere (quæ est libertas exercitii) vel ad oppositam partem (quæ est libertas quoad specificationem) se determinare possit. Secundò per ly *sui actûs* significatur velle & nolle, qui sunt actus liberi arbitrii, per quos suam indifferentiam circa objectum exercet. Tertiò dicitur *ad oppositа*. Ubi indicatur objectum & terminus libertatis, quæ sunt opposita vel contradictoriè, ut esse vel non esse objecti (eáque terminant libertatem contradictionis, seu quoad exercitium) vel oppositа contrariè, ut bonum & malum, quæ pertinent ad libertatem contrarietatis.

2. Porrò in libertate creata reperiuntur aliqua ad perfectionem, aliqua ad imperfectionem spectantia. Ad perfectionem pertinet indifferentia independentiæ ab objecto volibili, & excessus supra bonitatem ipsius. Secundò vis activa & determinativa ad objectum, quâ constituit ipsa sibi objectum volitum, vel nolitum, ut tamen potuisset pro volito nolitum, vel pro nolito volitum constituere, quæ rectè etiam vocatur indifferentia activa seu terminativa. Ad imperfectionem pertinet primò indifferentia ad actus contrarios, hoc est velle & nolle, & ad objecta contrariè opposita, nempe bonum & malum. Nam indifferentia ad actus oppositos consistit cum carentia utriusque actûs, adeóque est indifferentia privativa per modú actûs primi & puræ potentiæ ad utrumque actum, quæ omnia dicunt imperfectionem & potentialitatem. Indifferentia quoque ad bonum & malum oritur ex imperfectione naturæ, quæ cùm sit creata ex nihilo, potest in operando deficere à debito ordine finis. Secundò ad imperfectionem libertatis pertinet indifferentia subjectiva seu passiva, quâ voluntas indifferens est ad habendam intrinsecè, vel non habendam entitatem actûs liberi; ipse quoque actus secundùm suam intrinsecam entitatem posset non esse, quæ contingentia passiva oritur ex intrinseca mutabilitate & defectibilitate creaturæ.

3. Cùm ergo perfectiones creatæ non nisi separatis imperfectionibus in DEUM transferri possint, sequitur, quòd libertas in DEO sit indifferentia non privativa aut passiva, sed actualis & activa, non in ordine ad actus, sed ad objecta, eáque non contrariè, sed contradictoriè opposita. Illa enim libertas est DEO tribuenda, quæ absque imperfectione salvat formalem conceptum libertatis, sed indifferentia activa ipsius decreti liberi, in qua actus secundus Divinæ libertatis consistit, salvat essentialem conceptum libertatis: ergo indifferentia activa ad objecta contradictoriè opposita salvat libertatem DEI. Quod ipsum indicat S. D. tum hîc a. 3. ad 5. tum q. 23. de ver. a. 1. ad 8. dicens: *DEO non competit ad oppositа se habere, quantum ad ea, quæ sunt in essentia ejus, sed ad oppositа se habet, quantum ad effectus in creaturis, quos potest facere, & non facere.* Ex quo ad propositam quæstionem datur.

§. II.

Resolutio difficultatis.

CONCLUSIO. *Libertas Divina adæquatè* 4. *consistit in ipsa entitate divinæ volitionis subjectivè necessaria & immutabili; activè tamen & objectivè indifferenti propter non necessariam & independentem connotationem sui actûs ad objecta volita.* Ita celebriores Thomistæ. Nazar. Jo. à S. Th. Magnif. Stadlmair, &c. Videtur esse mens S. D. locis antè citatis & in primo cont. gent. c. 82. ubi, *voluntas*, inquit, *uno & eodem actu vult se & alia à se, sed habitudo ejus ad se est necessaria & naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundùm convenientiam quandam non quidem necessaria & naturalis, neque violenta aut innaturalis, sed voluntaria.*

Probatur. Actus liber secundùm formalem rationem libertatis est necessariò DEO adæquatè intrinsecus, quia est perfectio simpliciter simplex, Divina, intrinseca DEO & DEUS ipse: ergo vel est intrinsecus secundùm indifferentiam subjectivam, h. e. quatenus ipse actus, v. g. voluntas & decretum creandi mundum poterat non esse, vel objectivâ, activâ & terminativam. h. e. quatenus æterna DEI voluntas in se immutata perseverans æquè ab æterno potuisset se determinare ad mundum in suo nihilo relinquendum, & sic esset nolitio ipsius; quàm ad ipsum è nihilo extrahendum, & sic esset volitio ipsius. atqui actus liber non potest esse liber indifferentiâ subjectivâ, aliàs aliquid Divinum potuisset non esse, & DEUS esset mutabilis, ens contingens &c. ergo tantùm potest esse indifferens indifferentia activâ, objectivâ, & terminativâ: in quantum idem motivum Divinæ bonitatis, quod propter necessariam connexionem cum Divinis perfectionibus, & adæquationem cùm Divina voluntate, est ratio, ut Divina voluntas etiam objectivâ & terminativâ necessitate amet suas Divinas perfectiones: idem, inquam, motivum Divinæ voluntatis, quatenus cum objectis materialibus & secundariis creaturarum habet contingentem connexionem, & infinitum excessum super illas, est ratio, ut Divina voluntas circa illa sit activè, objectivè & terminativè indifferens, sibique ipsi ex infinitorum possibilium cumulo objecta determinet, vel acceptando, ut faciat volita, vel respuendo, ut faciat nolita. Ubi idem simplicissimus actus absque ulla diversitate perfectionis, & solâ diversitate volitorum & nolitorum, à volitis volitio, à nolitis nolitio denominatur. Itaque libertas nil aliud virtualiter distinctum superaddit actui quâ necessario, quàm habitudinem ad bonitatem Divinam, quatenus ista habet contingentem connexionem cum objectis secundariis, in qua connexione fundatur objectiva indifferentia modò exposita.

Probatur secundò aliarum sententiarum indu- 5.
ctivâ refutatione. Vel enim indifferentia & contingentia essentialis actûs liberi, ratione cujus per se primò distinguitur ab actu quâ necessario, dicit intrin-

intrinsecam & passivam contingentiam, quâ potuit intrinseca perfectio liberæ volitionis abesse à DEO; vel dicit contingentiam purè extrinsecam per extrinsecam videlicet denominationem; vel dicit partim extrinsecam, partim intrinsecam; idque vel per respectum, & habitudinem rationis DEO intrinsecam; vel per intrinsecum complementum ab aliquo extrinseco. Vel tandem dicit indifferentiam intrinsecam activam, quæ, secundùm quod dicit in recto, sit adæquatè DEO intrinseca; connotet tamen, & terminetur ad aliquod objectum subjectivè contingens, & à se omnimodè dependens. Sed in nullo ex primis quatuor (minoris notæ expositiones prætereo) salvari potest Divinæ libertatis contingentia juxta refutationes præmissas: Ergo constitui debet in indifferentia activa DEO adæquatè intrinseca. In qua simul prædicata ad essentiam libertatis pertinentia reperies: nempe dominium & independentiam actûs ab objecto: terminum quoque & objectum, circa quod versatur exercitium indifferentiæ; objectum videlicet volibile & nolibile. Simul etiam ex eadem indifferentia nodum illum Gordium & rationem difficultatis initio propositam dissolves, si distinguas: actus liber ex sua essentia potest non esse vel subjectivè & passivè, vel activè & terminativè, conc. tantùm subjectivè & passivè nego. Nihil Divinum potest non esse, subjectivè & passivè conc. activè & terminativè, nego. Simul ergo stabunt necessitas & contingentia; necessitas, inquam, subjectiva, & contingentia activa, quâ actus, qui ab æterno in se fuit, & non esse non potuit, potuit tamen ab æterno velle, quod noluit, & nolle, quod voluit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. OBjicies primò. Si voluntas DEI est libera propter contingentem terminationem ad creaturas, tunc ipsa terminatio voluntatis ad creaturas potuit non esse: sed neque hoc dici potest: ergo. sequela patet: quia hoc est essentiale prædicatum libertatis, min. probatur. intrinseca terminatio voluntatis est ens Divinum, nihil divinum potest non esse: ergo.

Resp. dist. sequelâ maj. tunc ipsa terminatio potuit non esse subjectivè, & quantum ad hoc, quod dicit in recto, nego, objectivè & quantum ad id, quod sibi subjicit & connotat jn obliquo, concedo, & ad probationem, nihil divinum potuit non esse entitativè & subjectivè, conc. objectivè nego: ergo terminatio voluntatis Divinæ non potuit non esse subjective, concedo, objectivè, nego consequentiam.

7. Instabis. Quâ ratione aliquid est liberum, eâ ratione est indifferens & contingens: sed Divina voluntas est subjectivè libera: ergo etiam debet esse subjectivè contingens. Resp. permissâ majore, disting. min. est subjectivè libera, h. e. quòd intrinsecè habeat libertatem, conc. quòd sit libera in ordine ad subjectum sive ad se ipsam, nego: ergo est subjectivè contingens, h. e. quòd activa & objectiva contingentia sit ipsius intrinseca & subjectiva perfectio, conc. quòd indifferentia & contingentia ipsi competat per ordinem ad se ipsam, nego consequentiam.

Objicies secundò. Sequitur ex nostra doctrina, quòd DEUS posset velle in tempore, quod ab æterno noluit, & è converso nolle, quod voluit: sed hoc est absurdum: ergo. sequela probatur. si DEUS modò nollet, quod ab æterno voluit, tantùm cesset mutatio objectiva, sive ex parte objecti, & termini voliti, non autem esset mutatio subjectiva; sed objectiva mutatio non repugnat in DEO: cùm de facto propter mutationem creaturæ DEUS de novo denominetur creans, hypostaticè unitus, &c. --- Major probatur. Potuit ab æterno DEUS nolle illa producere, quæ voluit defectibilitate tantùm objectivâ, non subjectivâ: ergo posset DEUS de facto nolle, quod ab æterno voluit defectu & mutatione solùm objectivâ, non subjectivâ.

Resp. negando sequelam, & ad probationem, nego maj. cùm enim DEUS intrinsecè & immanenter denominetur volens, ex objecto noviter volito arguitivè inferretur aliqua nova intrinseca perfectio in DEO, adeóque mutatio ipsius: quod non evenit ex productione & terminatione ipsius ad extra, quippe non aliquam novam actionem immanentem, sed transeuntem & ex parte creaturæ se tenentem significante.

Ulteriorem quoque rationem implicantiæ exponit S. D. q. 19. a. 5. *aliquis de novo dupliciter potest aliquid velle; uno modo sic, quod incipiat sibi illud esse bonum, quòd non est absque mutatione ejus, alio modo sic, quòd de novo cognoscat illud esse sibi bonum; cùm priùs hoc ignorâsset, ex utroque capite est impossibile DEUM de novo aliquid velle, siquidem tam substantia DEI, quam ejus scientia est omnino immutabilis.* Ex quo patet disparitas ad instantiam, neque enim alia consilii & determinationis intrinseca novitas vel mutatio fuisset in DEO, tametsi illud ab æterno producere noluisset, quod modò ab æterno voluit producere.

§. IV.

Corollaria.

COlliges ex dictis primò contra Gonet: libertatem DEI non rectè constitui aut salvari in terminatione intrinseca actûs Divini defectibilis sub ratione intrinsecæ terminationis, & sic actui quâ necessario virtualiter superaddita.

Nam primò: quidquid est intrinsecum DEO, est per essentiam DEUS ipse, adeóque ens per essentiam necessarium & indefectibile: illa terminatio ex hypothesi est DEO intrinseca: ergo est per essentiam indefectibilis.

Inquiunt. Est indefectibilis, ut entitas est, concedo, ut terminatio est, nego. Sed contra hanc lusionem verborum est. Implicat, dari aliquam formalitatem realem in DEO, quæ habeat prædicatum essentiale repugnans DEO; atqui ista terminatio intrinseca esset talis formalitas: ergo implicat. min. probatur: posse deficere & non esse, est prædicatum repugnans DEO; sed ista terminatio intrinseca quâ talis posset non esse & deficere: ergo habet prædicatum repugnans DEO. Unde, ut rectè arguit Contensonius, impli-

implicat in terminis aliquid esse defectibile & intrinsecum DEO; quia defectibilitas est prædicatum potentiale conveniens enti creato & ab alio.

Secundò sequeretur, libertatem non tantùm virtualiter, sed realiter distingui ab actûs Divini necessitate, quod est contra Adversar. Sequelam probo. Quod est realiter separabile, est realiter distinctum; sed terminatio illa intrinseca quà talis esset ab actu necessario quà tali realiter separabilis, quia in quantùm defectibilis, in tantùm est amissibilis: sed amissibile est separabile ab illo, quod est necessarium & inamissibile: ergo illa intrinseca terminatio, quà defectibilis realiter, etiam est realiter separabilis ab actu quà necessario & indefectibili.

Tertiò. Implicat etiam formalis tantùm compositio in DEO, uti contra Scotistas arguit ipse Gonet: ergo etiam implicat quæcunque formalis tantùm defectibilitas, amissibilitas: quia sicut formalis compositio arguit potentialitatem & defectum; sic etiam formalis defectibilitas.

10. Colliges secundò. Divinam voluntatem non posse per suspensionem ab omni decreto, & meré negativè aliquid liberè non velle. Nam quidquid sit de illa quæstione: utrum detur libertum exercitium voluntatis creatæ sine omni actu ipsius. Ratio est primò, quòd Divinum decretum positivè terminari ad cujuslibet rei esse, vel non esse, nihil aliud est, quàm cujuslibet rei esse, vel non esse dependere ab actualissima voluntate DEI: sed dependet: ergo. minor constat: quia, quæ sunt, ideo sunt, quia DEUS voluit; quæ verò non sunt, ideo non sunt, quia DEUS noluit illa producere, & ante omne decretum DEI nihil est futurum, vel non futurum: sed tota radix futuritionis, vel non futuritionis est ipsum decretum, prout suprà dictum de rerum futuritione. Major etiam est clara, quia decretum DEI nihil est aliud, quàm Divina voluntas in actu secundo infinitè perfecta.

Ratio est secundò. Illa libertas est in DEO ponenda, quæ est perfectissima & actualissima; sed libertas per modum actûs & exercitii physici est multò perfectior, quàm quæ est per modum puræ omissionis, & exercitii tantùm moralis & interpretativi: ergo. adde; quod voluntas suspensa ab actu est in potentia ad actum, quod de DEO dici nequit.

Dices primò. Terminatio ad objecta creata nullam dicit perfectionem in DEO; ergo voluntas Divina potuit liberè non terminari ad objecta creata. 11.

Resp. non dicit explicitè & formaliter perfectionem, concedo, non dicit implicitè & arguitivè, nego. provenit quippe ex infinita actualitate Divinæ voluntatis, & dependentia omnis esse & non esse ab ipsa.

Dices secundò. Potuit omnipotentia & misericordia DEI, &c. manere suspensa ab omni exercitio creandi, miserendi, &c. ergo similiter libera voluntas DEI potuit liberè manere suspensa ab omni exercitio volendi. 12.

Resp. disparitatem esse, quòd exercitia omnipotentiæ, misericordiæ, &c. dicant actionem transeuntem, quæ secundum illud creatum, quod dicit extra DEUM, sine imperfectione abesse potest, exercitium verò volendi & nolendi dicit actum immanentem, positivam, & actualissimam voluntatem DEI, quæ utique abesse à DEO non potest.

Dices tertiò. Non requiritur positivus influxus Divinæ omnipotentiæ ad annihilationem rei; ergo nec requiritur positivum decretum ad non futuritionem ipsius. 13.

Resp. nego paritatem; quia si DEUS per subtractionem sui concursûs & influxûs positivi rem quampiam ab esse reducat ad non esse, illa non subtrahitur, sed subjicitur actualissimæ suæ voluntatis dominio: si autem rerum non futuritio non haberet decretum positivum DEI, non esset dependens ab actuali & positiva voluntate DEI. Subtractio quoque influxûs non dicit negationem ex parte DEI, sed effectûs & actionis creatæ: econtrà suspensio voluntatis diceret negationem suæ actualissimæ voluntatis ex parte ipsius DEI.

DISPUTATIO XVII.

DE

Efficacia Divinæ voluntatis.

Est hæc controversia celeberrima, summis partium studiis agitata, & cum iis, quæ adversùs scientiam mediam præmisimus, necessariò connexa. An videlicet dentur in DEO eiusmodi decreta, quæ antecedenter ad omnem determinationem humanæ voluntatis sive absolutè, sive conditionatè prævisam habeant intrinsecam efficaciam, & causalitatem infallibiliter influxivam sine dependentia ab aliquo extrinseco in operationes nostræ voluntatis, in tempore à nobis liberè eliciendas, quæ decreta vocamus prædefinientia, & præderminantia; an verò prout (ex oppositio docent scientiæ mediæ sectatores) solùm sint admittenda decreta cum causa secunda concurrendi, ex suppositione liberæ determinationis per scientiam mediam antecedenter prævisæ: vel, ut vocant, decreta indifferentia, h. e. offerentia concursum indifferentem humanæ vo-

voluntati sive ad amorem, v. g. sive ad odium, vel negationem amoris, prout ipsa voluntas se determinaverit. Ad huius igitur difficultatis enucleationem in præsenti disputatione accingimur.

ARTICULUS I.

An admittenda sint decreta ab intrinseco efficacia, & prædefinientia?

SUMMARIA.

1. *Explicantur decreta indifferentia.*
2. *Rejiciuntur, quia obsunt causalitati causæ primæ.*
3. *Et certitudini Divinæ providentiæ.*
4. *Suntq; nugatoria.*
5. *Explicatur decretum intrinsecè efficax.*
6. *Asseritur & probatur authoritate scripturæ & PP.*
7. *Specialiter S. Augustini.*
8. *Et Doctoris Angelici.*
9. *Nec non ratione.*

§. I.

Rejiciuntur decreta indifferentia.

1. ALiter quidem, & aliter hoc decretum explicatur à suis Patronis, dum Molina vult illud esse terminatum solùm ad generalem rationem actionis; Suarez & Martignon dicunt esse decretum conditionatum, quasi DEUS dicat: *Volo cum Petro ad amorem concurrere; si ipse ad amorem se determinat.* Lugo vult, per hoc decretum offerri concursum determinatum ad particulares quoque rationes actionis, sub disjunctione tamen, putà ad amorem, vel odium. In hoc nihilominus omnes conveniunt, concursum ab illo decreto oblatum ordine & prioritate naturæ non præcedere determinationem liberi arbitrii, neque distingui ab actione creaturæ.

2. CONCLUSIO. I. *Decretum indifferens repugnat.* Ita tota *Schola. S. Th.* Illustrissimus Reding. q. 6. a. 5. La Moneda dub. 10. §. 2. Ratio est primò: quia liberum hominis consensum & determinationem subtrahit causalitati causæ primæ. Sublatâ quippe posterioritate & dependentiâ effectûs, tollitur causalitas causæ: atqui per hoc decretum indifferens tollitur posterioritas & dependentia liberi consensûs à causa prima: non enim stante hoc indifferenti decreto, ideo voluntas liberè agit hunc in individuo actum, quia DEUS vult & facit agere; sed vice versâ ideo DEUS vult concurrere ad hunc actum, quia se humana voluntas liberè ad ipsum determinat. Sequitur proinde, quòd voluntas humana seipsam primò determinet, & hæc ipsa determinatio sit ens à se, præcedens causalitatem causæ primæ, se ipsam in supernaturalibus discernat ab alio, &c. quæ in Tract. de auxiliis latè disputantur.

Ipsa quoque ratio indifferentiæ vim causalitatis evertit. Nam à causa indifferente quà tali impossibile est, prodire determinatum effectum, ut ipsi adversarii in philosophicis sæpe occlamant: sed illud decretum, velut etiam executio seu concursus ab ipso præparatus est indifferens, & exspectat determinationem ultimam ab ipso consensu voluntatis: ergo ab ipso non procedit determinatus effectus, adeoque ad salvandam primæ causæ efficaciam penitus nihil conducit.

Secundò. Quia hoc decretum indifferens videtur eruere oculum Divinæ providentiæ. Nam ut sup. cap. ostendimus, futura in seipsis absque omni determinatione causæ nec sunt futura, nec proinde ut futura cognosci possunt: ergo debent à Divina scientia & providentia videri in determinatione causæ: sed ratione hujus decreti indifferentis nihil certò videri potest in determinatione causæ. Ipsum enim hoc decretum, cùm vel tantùm sit generale, vel conditionatum, vel disjunctivum ex parte objecti, præsupponit determinationem causæ liberæ, per quam particularisetur, & ad hunc in individuo actum potius, quàm ad alium determinetur. Sed hæc ipsa determinatio humanæ voluntatis est incerta, contingens, fallibilis: & quascunque affingas conditiones, & circumstantias, sanè & illæ sunt solùm contingenter conjunctæ, ut ex illis arbitrii humani præponderans inclinatio certò & infallibiliter colligi non possit. Manet ergo, quòd stante hoc indifferenti decreto DEUS certò & infallibiliter futura contingentia cognoscere non possit. Ne dicam, quòd modus iste exploratorius tum cognoscendi, tum decernendi sit DEO maximè indecorus, quo à voluntatis creatæ prævia determinatione expiscari debeat, quem in finem, & objectum suus ille indifferens concursus collimare debeat.

Tertiò. Quia decretum illud videtur esse nugatorium. Da enim ab æterno decrevisse DEUM concurrere cum Petro, concursu simultaneo, & per ipsum consensum Petri determinabili ad certam speciem actûs; tum sensus hujus Decreti virtualiter erit iste: *Concurram cum Petro ad actum amoris, si ipse se determinet ad actum amoris.* Atqui hoc decretum esse nugatorium ostenditur primò, quia concursus DEI identificatur cum operatione Petri: igitur hujus Decreti sensus erit: *Concurram ad operationem amoris, si concurram ad operationem amoris.* Secundò: quia talis promissio concursûs videtur fieri sub conditione impossibili. Quia quando aliquid promittitur sub conditione, debet ipsa conditio posse impleri in aliquo signo priori, antequam impleatur promissio, e. g. promissi

fisti dare equum, si acceperis centũ: non antea trades equum, quàm accipias centum. Sed est impossibile, ut priùs impleatur conditio, quæ in indifferenti decreto saltem implicitè & virtualiter involvitur, quàm ponatur ipsa promissio. Conditio quippe est consensus & determinatio Petri, quæ in priori ad actualem concursum DEI poni non potest: tum quia esset ens à se, tum quia in Adversariorum sententia non distinguitur à concursu.

Ad ulteriorem hujus Decreti refutationem pertinent argumenta partim contra scientiam mediam adducta; partim pro intrinseca efficacia decretorum mox adducenda.

§. II.

Statuitur intrinseca efficacia decretorum circa actus bonos.

1. NOmine decreti intrinsecè efficacis intelligimus actum immanentem Divinæ voluntatis, quo DEUS ab æterno decrevit, ut voluntas creata in hac determinata temporis differentia sese potiùs ad hoc, quàm ad alterum oppositorum determinet: ita ut hæc voluntatis creatæ determinatio sequatur infallibiliter & metaphysicâ certitudine ex virtute intrinseca Divinæ voluntatis prævisè creatam voluntatem ad alterutram contradictionis partem determinantis, ideóque virtualiter transeuntis, non verò quòd ipsum decretum suam sortiatur efficaciam ex adjunctione vel suppositione liberæ determinationis creatæ, prout per scientiam conditionatorum prævisæ, & futuræ ante suppositionem decreti divini subjectivè absoluti. Hoc decretum, eò quòd effectum ex seipso & intrinseca sua causalitate infallibiliter inferat, vocamus intrinsecè efficax, & quia ordine causalitatis præcedit voluntatis creatæ liberam determinationem, eámque facit à se ceu prima causa dependere, vocamus prædeterminativum, seu prædefinitivum.

6. CONCLUSIO II. *Decreta intrinsecè efficacia, & bonorum actuum prædefinitiva necessario sunt admittenda in DEO.* Ita schola Thomistica cum suo Doctore Angelico, quibus (rametsi aliis viis & modis explicandi) accedunt Illustrissimus Reding, Henricus à S. Ignatio, Martinez disp. 3. de DEO prædestin. sect. 3. §. 1. post Suarez, aliósque complures è RR. Et indicatur ps. 113. *omnia quæcunque voluit, fecit.* Ephes. 1. *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Apoc. 4. *tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant.*

Horum decretorum etiam sub nomine *prædefinitionum & prædeterminationum* veritas probatur inprimis authoritate SS. PP. è quibus S. Dionysius de Divinis Nomin. c. 5. inquit: *Dicimus esse in DEO existentium substantificas & particulariter* PRÆCONSTITUTIVAS RATIONES, *quas Theologia* PRÆDEFINITIONES PRÆDETERMINATIONES *vocat, & divinas voluntates existentiũ* PRÆDEFINITIVAS *seu* DISCRETIVAS, *vel* FACTIVAS, *per quas supersubstãtialis existẽtia omnia* PRÆDETERMINAVIT, *atque produxit.* S. Athanasius *in Epist. ad Ephes. c. 2.* dicit: *Bona opera præviisse* DEUM *electis suis, quæ differri non poterunt,* NEQUE PRÆTERMITTI, *quin peragantur tanquam Divinitus* PRÆFINITA. S. Leo expendens illud Luc. 22. *Filius hominis sicut definitum est, vadit.* ita loquitur: *nec ullâ poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula &* MISERICORDITER *erat dispositum, & incommunicabiliter* PRÆFINITUM. quibus adde Gregor. M. 12. moral. c. 1. *Cuncta DEVS præsciens ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disposuit.* Theodoret. in c. 1. ad Ephes. *Ante mundi constitutionem ea, quæ ad nos pertinent, præscivit & prædestinavit.* D. Bern. tract. de grat. *Nihil horum evenit, quod non, prout vult, potenti præordinet voluntate.*

Probatur secundò specialiter authoritate S. Au- 7.
gustini, qui apud Prosperum sent. 58. dicit: *Divina voluntas est suprema causa omnium corporalium, spiritualiúmque motionum; nihil enim fit, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur.* Solil. c. 26. *Antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, præordinâsti de me.* tract. 114. in Jo. *quæ futura erant per singula tempora, in DEI sapientia causas efficientes habent.* tract. 105. *Certis immutabilibus causis omnia futura prædestinavit.* l. 5. Confess. c. 9. *Etiam faciendorum ordinem DEVS prædestinat,* Enchiridii c. 102. & 3. *quidquid DEVS operatur, volens operatur,* l. 83. quæst. q. 3. *Hoc est fieri aliquid DEO agente, quod volente,* c. 14. de corrept. & grat. *cum autem,* inquit *homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui cuilibet plantanti atque riganti incrementum dat DEVS, cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et infrà exponens, quomodo DEUS Saulem voluerit ad Israëlis regnum evehere, *quando,* inquit, *DEVS voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum, subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum positum voluntate, ut etiam DEO valerent resistere, quia tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Ubi nota primò. DEUM efficaciter movere humanas voluntates, iisque uti ad finem intentum, ut tamen non auferat resistendi potentiam, in sensu nimirum diviso, non composito, ut ex sup. textu liquet.

Secundò efficaciam huius voluntatis non esse refundendam in consensum humanæ voluntatis sub conditione prævisum, aut aliam causam creatam, sed in omnipotentissimam potestatem inclinandorum, quo vult, humanorum cordium.

Probatur tertiò authoritate Angelici Doctoris, 8.
qui prædefinitiones & prædeterminationes verbis apertissimis docuit ac pronuntiavit: q. 3. de ver. a. 7. dicens. *Omnes effectus secundi ex DEI prædefinitione proveniunt.* Ad Annibald. dist. 47. q. un. a. 4. *Voluntate DEI non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum,*

quo producantur, prædeterminavit. Item hìc 2. 8. in c. & q. 22. a. 4. & præcipuè q. 23. de verit. a. 5. dicit: quòd voluntas Divina ceu *agens fortissimum*, non tantùm suâ efficaciâ attingat res ipsas, sed etiam *modum rerum*, ita ut necessariis det necessitatem, contingentibus contingentiam, ut adeo juxta S. Doct. ipsa rerum contingentia in Divinam causalitatem refundi debeat. Et ne antiquam illam evasionem occineres: in tantùm à DEO tribui contingentiam rebus, in quantùm producit & conservat activam virtutem rerum, occurrit ipsemet S. Doctor q. 3. de pot. a. 7. dicens: *DEVS est causa actionis cujuslibet, in quantùm dat virtutem agendi, & inquantùm applicat actioni.* Et adhuc clariùs ibidem. *Tertiò modò dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantùm movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ* (advertis mentem S. Doctoris?) *sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo seipsum.* Similia habet in expositione epist. ad Rom. c. 8. ad illa verba: *Quicunque Spiritu DEI aguntur, &c.* hìc q. 25. a. 5. ad 1. *non potest esse, ut DEVS aliqua faciat, quæ non præsciverit, & præordinaverit se facturum, quia ipsum facere subjacet præscientiæ & præordinationi DEI* q. 116. a. 1. in c. *Omnia, quæ hìc aguntur, Divinæ providentiæ subduntur, tanquam per eam præordinata.* q. 3. de verit. a. 7. *Omnes effectus secundi ex prædestinatione proveniunt.* quodl. 12. a. 4. *Omnia sunt à DEI providentia prædeterminata & ordinata, &c.*

Probatur quartò rationibus. I. Illa omnia, DEUS prædefinit & præordinat, quæcunque cadunt sub suam Divinam providentiam: sed omnes actus boni liberæ voluntatis cadunt sub Divinam providentiam, ut est de fide: ergo illos prædefinit & præordinat. Major ex eo liquet, quòd Divina providentia vel sit ipsa voluntas DEI præordinans (juxta Scotum & RR.) vel eandem includat juxta Thomistas. Secundò. Scientia futurorum ita est *subnixa proposito*, ut nisi DEUS decerneret liberorum actuum futuritionem, nihil foret assignabile, per quod transirent à statu possibilitatis ad statum futuritionis, nec proinde fierent objectum Divinæ scientiæ, prout præcedenti disputatione deduximus: sed consequens est absurdum: ergo.

Tertiò probatur refutatione tum decretorum indifferentium priori §. facta, tum scientiæ mediæ in præcedenti disputatione, simúlque argumentis mox in explicatione intrinsecæ efficaciæ adducendis.

ARTICULUS II.

Qualis sit ista intrinseca efficacia Decretorum?

SUMMARIA.

1. *Martinezii doctrina exponitur.*
2. *Eidem opponitur doctrina S. Augustini: ac*
3. *Omnes authoritates & rationes oppugnantes scientiam mediam.*
4. *Decreta non essent amplius intrinsecè efficacia.*
5. *Sicuti nec auxilia.*
6. *Etiam formaliter spectata.*
7. *Hæc efficacia non salvat omnipotentissimum dominium Divinæ voluntatis.*
8. *Deberent futura contingentia videri in seipsis.*
9. *Efficaciæ doctrina tradita ab Henrico à S. Ignatio proponitur.*
10. *Ostenditur repugnare cum doctrina S. Augustini.*
11. *Ordo divinæ providentiæ debet causis secundis aliquid plus conferre, quàm habeant extra illum ordinem.*
12. *Sicut videntur futura in essentia tanquam causa, sic causantur.*
13. *Sequeretur futura contingentia certò videri in causis proximis.*
14. *Causæ secundæ simul sumptæ non habent majorem connexionem cum humana voluntate, quàm seorsim sumptæ.*
15. *Ordo Divina providentiæ requirit infinitam certitudinem.*
16. *Assertio prima: prædefinitiones dantur de omni actu bono.*
17. *Probatur authoritate & ratione S. Augustini.*
18. *Asseritur secundò physica efficacia.*
19. 20. *Ejus fundamentum ex ratione universalissimi influxûs causæ primæ.*
21. *Excluditur recursus ad concursum indifferenter oblatum.*
22. *Asseritur tertiò & probatur prædefinitio ad materiale peccati.*
23. *Exponitur significatio fati.*
24. *Ostenditur non respui à SS. PP.*
25. *Ratio pro fato Christiane accepto.*
26. *Calumnia, quà Adversarii decreta prædefinentia impugnant.*
27. *Ostenditur lata diversitas inter Calvinismum & sententiam Thomistarum.*
28. *Refellitur replicatio Petri Fulliensis.*
29. *Per decreta prædeterminantia etiam causari libertatem, non est propositio paradoxa: ut inde petitur principium.*
30. *Retorsio in Adversarios.*
31. *Non obest veritati doctrinæ, quòd hæretici quandòque illius terminis & sententiis utantur.*
32. *Solvitur argumentum de necessitate antecedenti.*
33. *Instantia de suppositione antecedente & impedimento inimpedibili expeditur.*
34. *An ex prædeterminatione bonorum actuum sequatur causalitas peccati?*
35. 36. *Exponuntur authoritates contra prædefinitionem materialis peccati.*
37. *Tridentini definitio nullo modo contraria.*
38. *Solvitur argumentum de conformitate humanæ voluntatis cum Divina.*
39. *Occurritur instantiæ de inclinatione naturali.*
40. *An homo teneatur resistere præmotioni ad materiale peccati?*
41. *Quandonam voluntas causæ & antecedentis sit pariter voluntas effectûs & consequentis?*
42. *Non sequitur, quòd DEVS habeat contrarias voluntates.*

§. I. Re-

§. 1.

Refutatur efficacia fundata in scientia media.

1. MArtinez in M SS. de DEO prædestin. sc. 3. §. 1. cùm ex D. Augustino de bono perseverantiæ c. 17. necessitatem efficacis & prædefinientis decreti saltem respectu supernaturalium nostrorum actuum liberorum probâsset, aliàs ruituræ DEI omnipotentissimâ potestate, supremóque dominio in nostras liberas voluntates, in 3. conclusione assertam hucusque efficaciam sic exponit: *Hæc DEI efficax prædefinitio, est illa simpliciter benefica DEI voluntas, quâ homini operanti bonum præparavit auxilium infallibile & certum pro bona operatione, non purè materialiter, quod est certum, sed formaliter, quia est certum, & infallibile.* quæ sententia tria dicit: primò, quòd DEUS per scientiam mediam exploraverit, quænam auxilia homini bene operaturo sint congrua, quæ alteri non operaturo non sint congrua: secundò, quòd ex speciali affectu benevolentiæ velit auxilia conferre operaturo, quæ prævidit ipsi fore congrua & obtentura consensum. Tertiò, quòd hæc benefica voluntas tendat in illa auxilia formaliter ut congrua & habitura infallibilem effectum, atque ex parte motivi respiciat honestatem liberalitatis largioris supra liberalitatem providentiæ communis; cùm tamen voluntas eadem auxilia conferendi homini non operaturo tendat in illa tanquam intrinsecè conducentia ad bonam operationem, non verò ut congrua, & ex parte motivi respiciat honestatem providentiæ tantùm sufficientis. *Sic ille.*

2. Contra quam sententiâ est primò. Efficacia sic explicata non est Augustiniana: ergo nec vera. Consequentia est Adversarii, qui totis viribus in suas partes conatur trahere S. Augustinum. Antecedens probatur: Decretum prædefiniens S. P. Augustini non est subnixum præscientiæ; efficacia decreti per adversarium est subnixa præscientiæ: ergo dissentit à Doctrina S. Patris. Antecedens probatur primò. Decretum, cujus efficacia esset subnixa præscientiæ, fuit illa, quam Faustus Rhegiensis contra S. Augustinum asserebat, ut patet ex ejusdem l. 2. c. 3. dicentis. *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* Et ex epist. D. Prosperi ad D. Augustinum. Secundò, quia idem Faustus l. 1. de lib. arbitr. c. 11. Divum Augustinum vocat *interemptorem liberi arbitrii*, quia *in alterutram partem omnia statuta & definita esse pronuntiat*: non sanè, quia prædefinitio esset subnixa præscientiæ, sed quia docebat S. P. quòd *præscientia sit subnixa decreto.* ut habet in cit. c. 17. de bono perseverantiæ. Tertiò. quia eodem loco S. P. habet istam sequelam. Si dantur beneficia à DEO: *aut ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* In sententia Adversariorum opposita valet sequela: si prædestinavit, præscivit; cùm fundamentum efficacis prædestinationis sit præscientia conditionata.

3. Contrà sunt secundò omnes authoritates & rationes, quas contra futuritionem decreto præsuppositam, & contra scientiam mediam antè adduximus, & pro gratiæ efficacia suo loco adducemus.

4. Contrà est tertiò, quòd efficacia decreti sic exposita foret & non foret intrinseca. Foret ex hypothesi Adversar. Non foret: quia, cùm efficacia decreti sit ejus infallibilis connexio cum effectu, tunc non est intrinseca efficacia decreti, quando infallibilem connexionem cum effectu non habet ex meritis & virtute sibi propria & inexistente, sed ex hypothesi & conjunctione alicujus extrinseci: atqui decretum non habet infallibilem connexionem, ex virtute sibi inexistente; sed ex suppositione scientiæ mediæ, in qua antecedenter ad decretum fuit conditionatè prævisa congruitas auxiliorum cum libero arbitrio, & futuritio consensûs; unde nisi illa congruitas per scientiam mediam fuisset sic explorata, rueret omnis certitudo & infallibilitas decreti prædefinientis: ergo decretum suam certitudinem non habet ex suis meritis, & virtute inexistente, sed ex hypothesi congruitatis & consensûs futuri in scientia media conditionatè prævisi.

5. Confirmatur. In tantum decretum prædefiniens haberet intrinsecam efficaciam, in quantum præpararet auxilia infallibiliter connexa cum consensu & operatione: sed ex hoc capite non potest esse intrinsecè efficax: ergo. Major est Adversar. minor probatur. Ipsum auxilium ab intrinseco, & secundùm proprias vires est indifferens, ut conjungatur, vel non conjungatur cum consensu, & quòd potiùs conjungatur, quàm non conjungatur, id habet ex prævisione futuri consensûs in scientia media, ubi suam sortitur congruitatem; ideóque si idem entitativè auxilium conferatur non operaturo, h. e. qui prævidetur in scientia media non acceptaturus illud auxilium, eo ipso non est efficax, decretum quoque conferendi tale auxilium non est efficax: ergo cùm decretum pro suo objecto habeat tale auxilium intrinsecè indifferens, ratione illius fieri non potest intrinsecè efficax.

6. Dices quidem, quòd tametsi auxilium materialiter spectatum sit indifferens; non tamen spectatum formaliter, prout nimirum subsistat beneficentissimæ voluntati Divinæ, decernentis illud conferre tanquam congruum. Sed contrà est: quòd istud ipsum, *formaliter*, non competit auxilio, nisi per denominationem extrinsecam à prævisione scientiæ mediæ, in qua, & à qua sumit denominationem congrui: ergo necdum salvatur intrinseca efficacia. Confirmatur. Si haberet ab intrinseco rationem auxilii congrui formaliter, tunc etiam per sua intrinseca distingueretur ab auxilio purè sufficienti non congruo; sed hoc dici non potest in sententia Adversariorum: ergo nec antecedens.

7. Contra est quartò. Intrinseca efficacia decretorum debet salvare omnipotentissimum DEI dominium super humanas voluntates: sed hoc non salvatur per explicatam efficaciam: ergo. Major est D. Augustini. Minor probatur; tum, quia ista decreta dependent à prævisa futuritione consensûs; neque posset DEUS facere per suam omnipotentiâ, ut per illa auxilia moveretur voluntas in iis circumstantiis: in quibus per scientiâ mediâ prævidetur non consensura: tum quia omnis ista connexio, quam sive decretum sive auxilium à decreto præparatum habet, tantùm est moralis; sed

ista non salvat omnipotentissimæ voluntatis efficaciam, quæ debet esse summa & perfectissima in genere efficaciæ, certitudinis & infallibilitatis, adeóque non moralis, sed metaphysica. De qua statim plura.

8. Contrà est quintò, Nisi decretum prædefiniens sit simpliciter antecedens nostras voluntates, tunc istæ præsuppositivè ante decretum DEI saltem in statu conditionato viderentur in seipsis, & non in essentia DEI tanquam causa: consequens non est admittendum, prout super. de visione & scientia latè deduximus: ergo nec antecedens. Sequela non negatur ab adversariis, estque manifesta: quia essentia Divina non aliter est causa actualium creaturarum, quàm per liberum decretum suæ voluntatis: ergo si decretum non antecedit futuritionem eventûs, non potest DEUS illam videre in sua essentia tanquam causa.

§. II.

Refertur & refutatur intrinseca efficacia Henrici à S. Ignatio.

9. Hic præclarus Author postquam contra scientiam mediam prædefinientia decreta firmiter stabilivit, repudiatis tamen physicis prædeterminationibus dist. 10. a. 3. efficaciam decreti reducit in moralem motionem, sive in præparationem mediorum & causarum secundarum, ex se quidem fallibilium & defectibilium, prout tamen substant ordini Divinæ providentiæ infallibiliter & indefectibiliter consequentium suos effectus; eò quòd virtus Divina etiam defectibiles causas sine defectu conservat, adhibendo adminicula, & removendo obstacula; quemadmodum industrius Agricola circa plantationem arboris procedens quandoque infallibiliter eandem perducit ad frugem.

10. Hæc sententia quamvis mediâ viâ sibi videatur incedere, quia tamen ab Augustinianæ efficaciæ sinceritate declinat, non videtur scopum veritatis assequi. Unde contrà est primò, Divus Augustinus requisivit majorem efficaciam, quàm moralem ex parte omnipotentissimæ DEI voluntatis; sed hæc sententia tantùm attribuit efficaciã moralem: ergo non consonat cum mente & doctrina S. Augustini. Minor deducitur ex doctrina Adversar. Efficacia namque consistens in præparatione causarum secundarum tantùm moraliter moventium absque aliquo influxu physico, sive ipsis causis secundis, sive ab illis causis in voluntatem impresso, non potest esse major, quàm moralis: sed talis est efficacia Divinæ prædefinitionis juxta Adversarios: ergo.

Major verò multipliciter probatur. Nam primò D. Augustinus requisivit majorem efficaciam, quàm concedebatur à Semipelagianis; sed moralem nec ipsi negârunt; quæ nimirum fit *suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando*, ut habet S. Prosper de vocat. gent. l. 2. c. 26. Unde & ipse S. Augustinus l. 1. de grat. Christi c. 8. 10. postquam retulit verba Pelagii, quibus explicat gratiæ efficaciam: *operatur in nobis velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum sollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.* quid ad hæc D. Augustinus? *Hinc apparet*, inquit c. 10. *hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat & revelat DEUS, quid agere debeamus, non quâ donat, atque adjuvat, ut agamus, &c.* Igitur à D. Augustino major requiritur efficacia, quàm quæ tantùm in morali motione & præparatione mediorum moraliter & objectivè moventium consistit: ergo requirit physicam efficaciam, quidquid enim aliud assignaveris, ad genus moralis & objectivæ motionis pertinet; quæ etiam ex hoc capite est insufficiens, quòd magis det posse operari, quàm ipsum operari, sitque tam sufficienti, quam speciali & efficaci providentiæ communis.

Secundò D. Augustinus agnoscit efficaciam infallibilem, insuperabilem; sed talis non est efficacia moralis, suapte naturâ fallibilis, & respuibilis. Tertiò ea est efficacia Augustiniana, quâ DEUS *mirabili modô & ineffabili in nobis operatur & velle*: sed moraliter movere quid est mirabile? cùm sit quotidianum hominibus, dæmonibúsque comune, ut & ipsa Adversariorum exempla demonstrant. Quartò D. Augustinus efficaciam Divinæ vocationis in solam DEI gratiam & misericordiam (præsertim in D. Pauli conversione) refundit, *ut totum DEO detur, qui hominis voluntatem & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam.* In hac verò sententia efficacia vocationis magis consistit in coacervatione causarum secundarum voluntatis consensum infallibiliter obtinentium; ita, ut licèt voluntas singulis possit resistere, non tamen restitura sit omnibus simul sumptis.

Dicunt quidem Adversarii, causas secundas, etsi de se fallibiles, sortiri tamen infallibilitatem, prout substant ordini Divinæ providentiæ.

Contra quam tamen responsionem, & doctrinam Adversariorum est secundò. Cùm dicitur, quòd series causarum secundarum per se vel per accidens concurrentium ad consensum liberi arbitrii accipiat infallibilitatem ex ordine Divinæ providentiæ, vel significatur, quòd operationi causarum secundarum accedat aliquid ex parte intellectûs, vel ex parte voluntatis Divinæ, ut fallibilitate depositâ induant infallibilitatem: Non primum; sic enim incidis in scientiam mediam, & defendis extrinsecam solùm efficaciam, secundum sup. dicta.

Non secundum; quia si admittis emanationem alicujus efficaciæ & motionis plùs quàm moralis à causa prima in causam secundam, incidis in sententiam physicæ prædeterminationis, adeóque utriusque partis, tum mediæ scientiæ, tum physicæ prædeterminationis telis te objicis. Si contendas, nihil accedere nec ab intellectu, nec à voluntate, manet inintelligibile, quo pacto causæ fallibiles & defectibiles, reddantur defectûs & fallibilitatis immunes, omnibus in eodem statu, ut sunt extra ordinem Divinæ providentiæ, relictis.

Con-

12. Contrà est tertiò. Eò modò DEUS per suum decretum causat operationem creatam, & futura contingentia liberi arbitrii, quò modò illa videt in sua essentia tanquam causa: sed videt illa in sua essentia tanquam causa physica; ergo etiam per suum decretum illa physicè causat. Major est Doctoris Angelici admissa ab adversariis. Minor probatur. In tantùm videntur futura contingentia in Divina essentia tanquam causa, in quantùm continentur in illa; sed continentur in illa eminenter physicè, tanquam ens participatum in ente primo imparticipato: ergo videntur in Divina essentia tanquam causa physica.

13. Contrà est quartò. Sì efficacia decreti divini salvaretur per operationes causarum secundarum, prout substantes ordini Divinæ providentiæ, sequeretur, quòd DEUS futura contingentia certò videret in ipsis causis secundis proximis; consequens repugnat doctrinæ Angelicæ superiùs expositæ: ergo & antecedens. Sequela probatur. Sola coacervatio causarum secundarum absque aliquo per Divinam providentiam superaddito non habet infallibilem connexionem cum bona operatione: ergo in illa sola DEUS certò videre non potest determinationem humanæ voluntatis.

14. Contrà est quintò. Non habet majorem connexionem cum humana voluntate ad educendam bonam operationem causæ secundæ simul & conglobatim, quàm seorsim sumptæ: ergo cum ex illis seorsim sumptis nulla probetur efficacia, neque à simul sumptis obtineri poterit. Antecedens probatur. Voluntas tam respectu omnium causarum simul sumptarum est indifferens, quàm respectu singularum; ergo non est major ratio, cur à simul sumptis, quàm à singulis tollatur illa indifferentia: sed nisi tollatur, h. e. in actum reducatur privativa voluntatis indifferentia, tamdiu nulla datur erga illam efficacia: ergo neque per causas secundas simul sumptas obtinetur efficacia. Et sanè, quando DEUS Paulum momento convertit, quænam fuit coacervatio & attemperatio causarum secundarum? Nulla prorsus. Et tamen DEUS efficacissimè sine præjudicio libertatis fecit è nolente volentem.

Nihil ergo secundarum causarum acervatio facit ad efficaciam voluntatis Divinæ; præsertim cùm absurdum videatur, quòd Divina voluntas non nisi mediantibus causis secundis, adeóque dependenter ab ipsis suum effectum & intentum consequi possit. De quo plura, ubi de gratia efficaci.

15. Contrà est sextò. Ordo Divinæ providentiæ requirit omnimodam & infinitam certitudinem: sed talis non est nisi physica & metaphysica, fundata in physica causalitate decretorum: ergo non sufficit causalitas moralis, sed physica requiritur. major in §. 4. sequenti probabitur.

§. III.

Defenduntur physicæ prædefinitiones ad quoscunque actus bonos.

16. CONCLUSIO I. *Divina decreta sunt efficaciter prædefinitiva omnium actuum bonorum non tantùm supernaturalium, sed etiam naturalium. Hoc enimverò probant authoritates S. Scripturæ* & D. Augustini, quæ Divinæ voluntatis efficaciam ad omnes actus bonos & honestos indifferentes extendunt. Ita inprimis dicitur Ps. 113. *omnia quæcunque voluit, fecit.* Sed fecit DEUS omnes actus bonos & honestos etiam intra naturæ ordinem contentos; neque enim possunt subterfugere causalitatem causæ primæ; ergo & illos efficaciter voluit efficaciâ non consequente, quippe jam impugnatâ, sed antecedente & intrinsecâ. Sic etiam Is. 14. universaliter. *Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? &c.* Rom. 9. *Voluntati enim ejus quis resistit?* quæ aliaque verba nec SS. Interpretes, nec ipse Spiritus S. ad solos actus supernaturaliter bonos restringit.

17. Testimonia D. Augustini multa sunt & lucu-lenta pro nostra assertione. Nam primò in l. de corr. & grat. cùm ex prælegatis S. Scripturæ intulisset: *Non itaque dubitandum, voluntati DEI, qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minùs ipse faciat, quod vult, &c.* - - Suam sententiam confirmat exemplo electionis Saulis in Regem, ad quam DEUS corda Israelitarum traxit, qui utique fuit actus ordinis naturalis. *Interiùs*, inquit, *egit, corde tenuit, corda movit, eosq; voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit, &c.* Secundò l. de grat. & libero arbitr. c. 20. dicit: *etiam voluntates illas, quæ conservant sæculi creaturam* (quæ sunt ordinis naturalis) *ita esse in DEI potestate, ut eas, quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Atque huc adducit exempla illorum etiam malorum hominum, quorum DEUS voluntates ad intentos à se effectus produxit: ut in Abialone, quòd spreverit consilium Achitophel: *agendo in ejus corde, ut ita repudiaret*: in corde Roboam, ut abjiceret consilium seniorum: in cordibus Philisthiim & Arabum, ut eorum spiritus suscitaret, 2. Paral. c. 23. in Assuero, ut ejus cor flecteretur ad lenitatem. Esther. c. 14. *agit enim omnipotens DEUS in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* loco citato c. 21.

Unde ratio assertionis nostræ est: quæcunque DEUS agit in tempore, illa efficaciter ab æterno decrevit efficaciâ antecedente: nam, *quæcunque voluit, fecit.* Sed DEUS in tempore agit & movet voluntates hominum non tantùm ad actus supernaturales, sed etiam ad aliquos naturales, ut ex dictis liquet: ergo DEUS ejusmodi actus efficaciter & antecedenter decrevit ab æterno.

18. CONCLUSIO II. *Efficacia intrinseca & antecedens Divinæ voluntatis est efficaciæ physicæ causalitatis: adeoq; decreta sunt physicè prædefinientia, & prædeterminantia. Ita non tantùm contra defensores, sed etiam contra molliores impugnatores scientiæ mediæ communiter* Thomistæ, quibuscum in hac parte sentit Illustrissimus Reding. q. 6. a. 5. controv. 1. Veritas hujus assertionis, quæ specialiter elucidanda recurret in Tract. de gratia, nunc breviter ostenditur inprimis è script. ubi Prov. 21. dicitur: *sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit.* 1. Reg. 10. *Immutavit ei DEVS cor*

aliud

aliud. ac tandem ex omnibus iis, quæ pro Augustiniana efficacia gratiæ in 1. 2. afferri solent, ut quòd DEUS *faciat, ut faciamus, ut in præceptis ejus ambulemus. Omnia in nobis operari & velle & perficere. Nos Spiritu DEI agi, voluntates nostras trahi, &c.* Jo. 16. Ezech. 36. Isa. 26. Rom. 8. Philip. 2. Cant. 2. quæ omnia non moralem sed physicum influxum significant. Accedit expositio & authoritas SS. PP. præsertim S. Augustini, qui de grat. & libero arbitr. hæc habet: *Facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati nostræ.* Ac rursus: *Agit omnipotens DEVS in corde hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* l. de corr. & grat. inquit, *DEVM magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* epist. 107. ad Vitalem. *Bonam voluntatem cujusque non invenit in corde, sed facit.*

His adde loca, quæ contra scient. med. suprà produximus, cum aliis quamplurimis, quæ pro efficacia gratiæ afferuntur à Did. Alvar. l. 3. de auxil. grat. disp. 22. & à nobis loco citato adducentur. Non tamen omnino prætereunda est gravis authoritas Catechismi Concil. Trid. qui 1. p. de prim. Symb. art. n. 22. pro physicis prædeterminationibus ita clarissimè loquitur: *Non solùm autem universa, quæ fiunt, providentiâ suâ tuetur atque administrat, verùm etiam, quæ moventur & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen: cùm ejus occultissima vis ad singula pertingat, & quemadmodum sapiens ait*: attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Ita Catechismus.

Mens S. D. abunde constat ex iis testimoniis, quæ art. 1. §. 2. adduximus, ubi loquitur de physica applicatione virtutis activæ, & creaturas quascunque appellat secundos effectus, non certè in genere moris duntaxat, sed vel maximè in physico genere entis. Militat quoque pro physico decretorum influxu tota concatenatio & consequentia doctrinæ Thomisticæ; ut quòd DEUS alia se non cognoscat in seipsis, sed in sua essentia tanquam medio cognito, speculo, & causa, tanquam in arte, per quam facta sunt: futura non cognosci nisi in determinatione causæ: esse rerum esse proprium effectum causæ primæ tanquam universalissimæ, &c.

19. Ratio est primò. Talis debet esse efficacia decretorum, ut per illam salvetur influxus causæ primæ in omne ens creatum: sed talis est sola efficacia physica: ergo Divina decreta debent habere efficaciam physicam. Major probatur. Causa prima tanquam actus purus & intelligentia spiritualissima, quidquid agit & operatur, id operatur intellectu & voluntate; ita, ut sua operatio ad extra in res creatas sit formaliter immanens, & tantùm virtualiter transiens: ergo cùm sit de ratione causæ primæ, ut influat in omnem creaturam, quæ essentialiter est ens ab alio, dependens à causa prima, necessariò debet efficacia decretorum esse commensurata influxui in omnem creaturam. Minor quoque probatur: Influxus physicus non provenit nisi ab efficacia physica causæ influentis; sed DEUS physicè influit in omne ens creatum; nam ens creatum secundùm esse suum physicum est ens ab alio, idque non per ordinem ad causam creatam, sed increatam, quæ sola est ens à se: ergo decreta voluntatis physicæ, à quibus provenit ille influxus, debent habere physicam efficaciam.

Secundò. De iis omnibus datur decretum physicè prædefinitivum DEI, ad quæ DEUS in tempore physicè præmovet & prædeterminat; sed ad futura contingentia, putà actus liberos nostræ voluntatis DEUS physicè præmovet, & prædeterminat: ergo de iis datur decretum physicè prædefinitivum. Major patet: quia quodcunque DEUS voluit, fecit; imò ut dictum, ipsius facere est velle, neque distinguitur æterna actio DEI ab ejus actu immanente. minor præter Authoritates n. 16. allatas probatur ex natura & ratione causæ primæ, & entis creati. De ratione entis creati, & ab alio est, quòd immediate dependeat à prævio & physico influxu causæ primæ; sed quilibet actus liber & determinatio causæ creatæ est ens creatum ab alio: ergo dependet à prævio influxu causæ primæ: quem respectu causarum liberarum & contingentium prædeterminationem; respectu aliarum præmotionem dicimus. Minor probatur: causalitas causæ est prior suo effectu; concursus DEI est causalitas causæ primæ: ergo est prior: ergo est influxus prævius. Cúmque sit causalitas causæ primæ non in ordine solùm morali, sed physico, est concursus quoque & influxus physicus. Tandem nisi darentur tam prædefinitiones quàm prædeterminationes ex iis consectaneæ, rueret certitudo divinæ providentiæ ac prædestinationis: quia nullum foret medium, in quo scientia divina futura contingentia certò videre posset, veluti suprà ostendimus.

Neque recurras primò ad concursum indifferentia; hunc enim in principio hujus articuli, in suo sono rejecimus: neque secundò ad influxum physicum mediatum, mediante aliquâ causâ secundâ; nam iste non salvat conceptum entis ab alio, qui talis dicitur per oppositionem ad ens à se, & dependentiam ab influxu causæ creantis universalissimæ, attingentis immediatè universalissimum effectum, qui est ipsum esse rei.

CONCLUSIO III. *Etsi DEVS non prædefiniat, aut prædeterminet voluntatem creatam ad peccandum, tamen decreta prædefinientia etiam physica efficaciâ attingunt materiale seu actum peccati in ratione actûs & entis.* Ita Schola S. D. contra plurimos extraneos.

Prior pars assertionis est doctrina fidei, peccatum quippe secundùm suum formale significatum nominat defectum moralem irreducibilem in causam primam. Unde dicitur Psal. 5. *non enim DEVS volens iniquitatem tu es.* & Jac. 1. *odio sunt DEO impius & impietas ejus.*

Posterior pars probatur ratione jam indicatâ, primò. De omni effectu physico creato datur decretum DEI prædefiniens: sed actus etiam peccaminosi secundùm suum materiale, videlicet in ratione entis & actûs, sunt effectus creati physici, habentque physicam entitatem; ergo de iis quo-

que

ftiæ sub ratione entis & actûs & in linea naturæ datur decretum prædefiniens.

Secundò. Quidquid in tempore dependet à prævio physico influxu DEI, illud DEUS prædefinit ab æterno; sed entitas actûs mali in tempore dependet à prævio influxu physico DEI: ergo illam prædefinit DEUS ab æterno. minor probatur, quidquid physicè producitur à causa secundâ, dependet à prævio influxu physico DEI: cùm omnis causa secunda in esse causæ secundæ & principii actualis pendeat à prævio & physico influxu DEI: sed actum & entitatem operationis peccaminosæ in linea naturæ liberum arbitrium tanquam causa secunda physicè producit: ergo entitas operationis peccaminosæ in linea naturæ pendet à prævio & physico influxu DEI: est enim ut sic bonum transcendentale, quod cum entitate conjungitur, & sub sphæra omnipotentiæ Divinæ continetur.

§. IV.

An prædefinitiones inducant fatalem necessitatem?

23. PRæcipua causa deserendi & impugnandi prædefinitivam antecedentem, & intrinsecam efficaciam decretorum, fuit Recentioribus, quòd metuerent exinde fatalis necessitatis jugum liberis cervicibus imponi, liberique arbitrii dominium everti: querelâ minimè novâ, quippe jam à Semipelagianis motâ adversus S. Augustinum in epist. S. Prosperi. Sed quod ad nomen fati attinet, sciendum, posse illud in malo, æquè ac bono sensu accipi. Priori modo accipiebant Gentiles, qui hoc nomine inevitabilem necessitatem è syderum influxu & positione descendentem, atque humanis voluntatibus dominantem admisere. Posteriori & bono sensu accipitur pro infallibili ordine Divinæ providentiæ, fundato in antecedenti efficacia decretorum.

24. In quo sensu SS. DD. fatum non omninò respuunt. Ita D. Augustinus l. 5. de Civit. c. 9. *Si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, esse fatum inferioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in sua potestate.* Boëtius 4. de consolat. prosa. 7. *Ordo fatalis ex providentiæ simplicitate procedit.* & prosâ. 4. *Series fati cælum & sydera movet, elementa in se invicem terminat, & alternâ format transmutatione. Hæc actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit.* & l. 5. prosâ. 7. dicit, quòd varias causas *in unum effectum confluere faciat ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de providentiæ fonte descendens, cuncta suis locis, temporibusque disponit.* Angelicus Doctor 1. p. q. 116. a. 4. priora Boëtii verba exponens, admittit, *omnia illa, quæ fiunt mediantibus causis secundis, sub fatis serie contineri.* Et eâdem q. a. 1. *In quantum omnia, quæ hic aguntur, Divinæ providentiæ subdantur, tanquam per eam præordinata & quasi prælocuta, fatum ponere possumus: licèt hoc nomine Sancti Doctores uti recusaverint, propter eos, qui ad vim positionis syderum hæc nomina detorquebant.*

25. Ratio quoque suffragatur: Fati nomine rectè & Catholicè intelligitur series causarum secundarum, in se quidem mobilis, & mutabilis; immobilis tamen & immutabilis, prout subest ordini Divinæ providentiæ, in qua omnia futura in tempore, sunt ab æterno dicta & dictata, vel ut S. D. citatus loquitur, prælocuta, unde & fatum à fando dicitur: sed datur ejusmodi immobilis series causarum, unde dicitur Psal. 61. *semel*, h. e. ut exponit Illustrissimus Reding, immobiliter *locutus est DEVS.* de quo proinde dictamine & lege æterna, *unum jota aut unus apex non præteribit, donec omnia fiant.* Ibi continetur *numerus mensium* nostrorum, *qui præteriri non poterunt*: ibi omnia constituta *in numero, pondere & mensura.* ibi *omnes capilli capitis nostri numerati sunt.* ibi continentur omnes humanæ voluntatis deliberationes & resolutiones, cujus velle & operari, ita DEUS prædeterminat, ut tamen electivum ac dominativum operandi modum haudquaquam impediat, sed ex se profundat, causet, & præmovendo promoveat: unde tametsi, quod DEUS ab æterno decrevit & præordinavit, fieri necesse sit, quia tamen, ut loquitur S. Anselmus, quòd DEUS liberè, & per ipsam voluntatis electionem fieri voluit, etiam hoc libero modo fieri necesse est, non propterea humanæ voluntati imponitur aliqua fatalis, h. e. absoluta operandi necessitas; sed omnis ista necessitas est solummodò conditionata, & necessitas infallibilitatis ac consequentiæ, quæ neutiquam libertati præjudicium infert.

§. V.

Calumnia Calvinismi depellitur.

NOn acquiescunt prædictis Adversarii, sed 26. persuadere conantur per decreta physicè prædeterminantia imponi absolutam necessitatem voluntati, & Petrus quidem Fulliensis Thomisticam hanc doctrinam ex intimis D. Augustini & Angelici Doctoris fundamentis extractam Calvinianæ necessitatis fuligine denigrare nititur, quasi solo vocis sono diversam, reipsâ eandem cum falsis Calvini dogmatibus. Josephus de Vita apud Henricum à S. Ignatio dicit Thomistas loqui paradoxa & repugnantia, dum asserunt præmotione antecedente & physicâ causari liberum modum operandi: est enim, inquit, antithesis & repugnantia in terminis, causari præmotione libertatem, quæ præmotione ne quidem integra relinquitur. Ajunt insuper, peti principium, & responderi per id, quod est in quæstione, quando arguenti, *suppositio antecedens & inimpedibilis physicæ causalitatis destruit libertatem*, distinctio reponitur, suppositio antecedens physicæ causalitatis ex causa secunda provenientis, quæ non in se continet, adeóque nec potest profundere modum libertatis, concedo. Suppositio physicæ causalitatis causæ primæ, quæ uti in se continet, sic & potest profundere modum libertatis, sic nego. Ecce, inquiunt, hoc ipsum est, de quo controvertimus, cur efficax & antecedens motio causalitatis à causa prima descendens non destruat libertatem?

27. Ita quidem, si standum foret suppositis & placitis Adversariorum, quibus Thomistarum dogmata perperam exponunt. Verùm ab hac Calvinisticæ conformitatis calumnia Thomisticam veritatem egregiè vindicavit Illustrissimus Reding q. 6. a. 5. Controv. 7. cum quo

Dicendum est, Thomisticam doctrinam de decretis prædefinientibus, & prædeterminantibus, nec in principio, nec in illatione & conclusione ullatenus convenire cum hæretico dogmate Calvini.

Non in principio; nam Calvini principium est, per præmotionem antecedentem auferri vim electivam & dominativam voluntatis etiam in actu primo: ex quo deducit, voluntati necessitatem absolutam imponi, adeóque totaliter auferri arbitrium liberum. Thomistæ dicunt, ipsum actum primum proximum libertatis, vimque electivam & dominativam voluntatis fundatam in objectiva repræsentatione finis, & indifferenti propositione mediorum à DEO primitùs causari; cúmque voluntas sic in actu proximo constituta connaturaliter exigat procedere in actum secundum per formalem determinationem ad unum oppositorum; ideo DEUM ceu causam primam eandem causaliter suâ suavi motione, prævie tamen, quia priorem in causando, excitare & determinare ad operandum, quâ eâdem motione pariter completur & constituitur in ratione principii actualis, & causæ liberæ in actu secundo. Unde doctrina Thomistarum, sunt verba prælaudati Reding, non minùs distat ab hæresi Calvinistica, quàm lux à tenebris.

28. Sed, inquit ad hæc Fulliensis: Calvinus admittit in actu contingentiam per ordinem ad voluntatem secundùm se præcisè h. e. in sensu diviso spectatam; negat contingentiam solùm per ordinem ad DEUM præmoventem, h. e. in sensu composito præmotionis. Et quid aliud loquuntur Thomistæ, cùm dicunt, actum esse contingentem in sensu diviso, non autem composito.

Ecce manifestam calumniam doctrinæ Thomisticæ illatam? Contingentiam & libertatem actûs in omni sensu tam diviso, quàm composito præmotionis tuentur Thomistæ, & in hoc opponuntur Calvino: negant verò esse necessarium, ut libertas & indifferentia dicat posse vel potentiam in oppositum potentiâ consequente, seu ex hypothesi, & in sensu composito jam factæ determinationis ab humano arbitrio, in alterutrum oppositorum, quæ semper in uno reali instanti conjungitur cum Divina præmotione, quamvis potentiâ antecedente & præscindendo ab hypothesi illius determinationis ex vi dominativa & electiva voluntatis fundata in objectiva indifferenti propositione objecti, æquè potuerit poni unum oppositorum, quàm alterum v. g. amor, quàm odium, aut negatio amoris, quod nec Adversarii, nec ullus Dialecticorum, nedum Theologorum inficiari poterit. Unde ista membra distinctionis, *in sensu composito & diviso* non debent applicari ad libertatem & indifferentiam, sed ad tò *posse agere*, vel *non agere*.

29. Neque petit Thomista principium, aut paradoxam propositionem enuntiat, quando modum libertatis per decreta prædeterminantia causari affirmat, hanc ipsam quippe veritatem deducit per discursum partim Theologicum, partim Philosophicum, quo intellectus per consequentiæ evidentiam facilè convictus, eidem veritati consensum præbet. Theologicus discursus est; *omnis causa potest effectum producere, quem in sua virtute continet; sed causa prima omnem perfectionem creatam in suæ omnipotentiæ virtute continet, & libertas actûs humani est perfectio creata: ergo potest DEVS illam producere*; ergo non est impli. cantia, quin suâ Divinâ causalitate (qualis apud omnes est decretum præmovens & prædeterminans) eandem libertatem producat & causet. Et major & minor est lumine naturæ nota, minor insuper est fide certa, præmissæ sunt ritè dispositæ: adeóque totus discursus est Theologicus evidenter concludens. Philosophicus discursus est: Nullius causæ causalitas destruit effectum suæ causæ; sed creata libertas est aliquis effectus causæ increatæ; nisi velis dicere, quòd sit ens à se; ergo per causalitatem causæ primæ & increatæ non destruitur: sed nomine præmotionis nihil aliud intelligitur, quàm causalitas causæ primæ, ut est in confesso apud omnes; ergo per præmotionem non destruitur creata libertas, sed ponitur.

Rursus: Causa quantò potentior, tantò magis attingit non tantùm entitatem effectûs, sed etiam modos essendi ipsius; sed voluntas Divina est omnipotentissima, liberrima, fortissima, invictissima: ergo suo actu & causalitate attingit etiam modum ipsum libertatis in actu voluntatis creatæ. Tandem. Si humana voluntas suâ determinatione non destruit libertatem sui actûs, sed ponit; neque divina prædeterminatio destruit, sed ponit; atqui antecedens est indubitatum: ergo & consequens: sequela fundatur in Authoritate S. Augustini de corrept. & grat. c. 14. dicentis, *DEVM magis habere in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* paritatem quoque & efficaciam sequelæ ulteriùs deducit sequens Articulus.

Non igitur Thomistæ loquuntur repugnantia, sed consequentia, & in principiis tam Philosophicis, quàm Theologicis fundata, eodemque jure, quo conveniuntur ab Adversariis, recipocè eosdem conveniunt: quid enim respondes ad primum discursum: *DEVS potest producere omnem perfectionem creatam, quam in sua virtute continet, &c.* Distinguis: nisi exinde destruatur natura & essentiale prædicatum effectûs, nempe libertatis, concedo; si destruetur, nego, sed inquis, destrueretur intrinsecum prædicatum libertatis, quod est esse ab intrinseco principio, positis omnibus requisitis potente agere & non agere. En! eodem jure Thomista dicet, te loqui paradoxa & repugnantia, quia si quid continetur in virtute causæ, impossibile est, ut productio & emanatio ex illa virtute effectum destruat; hoc ipso quippe nunquam potuisset in illius causæ virtute contineri. Dicet etiam Thomista te petere principium, quia æquè à Thomista negatur, dependentiam à principio extrinseco infinito & universali officere agenti libero, quàm à te asseritur: quandonam ergo vel prædeterminationum assertor adversùs earundem adversarium, vel iste adversus Thomistam

disputans non petent Principium ; si hoc nempe est petere principium, respondere id, quod ab adversaria parte in quæstionem & controversiam trahitur?

Videtur mihi hac in parte optimè respondere & distinguendo docere Illustrissimus Godoy: Ille petit principium, qui respondet per id, quod est in quæstione, si non sit aliunde satis probatum & stabilitum, concedit; si sit aliunde probatum & stabilitum, negat. Sic insolentis adversarii clamores & in disputationibus ad raucedinem usque obtrudi solitas petitiones principii facilè retundes.

31. Cæterùm sunt alia per quàm multa, in quibus D. Thomæ discipuli ab impii Calvini sectatoribus in puncto libertatis & præmotionis toto, ut ajunt, cælo dissident, quæ legere poteris apud Illustrissimum Reding. cit. q. 6. c. 5. controv. 7.

Neque te moveat, quòd Calvinus etiam agnoscat efficaces præmotiones. Agnoscit, sed in hæretico jam prius exposito sensu. Agnoscit Thomista, sed in sensu Catholico. Nomen utrique commune, non significatum: sic etiam vertibilitatem & flexibilitatem arbitrii admittit; sed non nisi illam, quâ ab extrinseco principio & causa prima in alterutrum flecti possit (ut ibidem notat citatus Reding) communem etiam necessariis & insensibilibus causis; non intrinsecam, & ex vi dominativa atque electiva voluntatis provenientem. Quid porro magis usitatum hæreticis, quàm sub Catholicarum dictionum & sententiarum velamine fucum facere, & venena diffundere? *Et vitium fallit specie virtutis & umbrâ*. *Nunquid* ideo, ut cum Augustino loquar, *oves pelles suas deponent, quia illis aliquando & lupi tegumtur?* nunquid ideo miles sua signa projiciet, quia illis in fraudem hostis abutitur? Nunquid ideo D. Augustini & Angelici Doctoris castra deseremus, quia illius nomen & authoritatem Calvinus; illius Amesius suis falsitatibus prætexuerunt? nunquid scientia media deseretur, quia sub illius scuto Pelagius oppugnavit Ecclesiam? vel ideóne desinent Thomistis objicere, quòd intrinseca efficacia gratiæ inducat necessitatem, quia hoc Augustino Semipelagiani & Calvinistæ Catholicis opposuerunt? Res intuenda & arbitranda est à sincero oculo; nomina æquivocationibus sunt obnoxia.

§. VI.

Solvuntur objectiones.

32. NOn paucas & præcipuas objectiones in præmissis diluimus: plures recurrent in prima secundæ suis quæque propriis locis ex instituto diluendæ. Nunc quæ præmissis assertionibus directiùs opponuntur, ex ordine solvemus.

Oppones igitur primò contra antecedentiam efficacis decreti: Quod inducit necessitatem antecedentem, tollit libertatem: sed efficacia decreti antecedens consensum prævisum voluntatis inducit necessitatem antecedentem: ergo tollit libertatem; quod ipsum quoque argumentum contra prioris §. doctrinam formari potest. Major solet probari authoritate S. Anselmi in Tract. de actib. hum. specialiter referenda; ratione sic probatur. Decretum antecedenter efficax inducit aliquam necessitatem; impossibile quippe est non fieri, quod DEUS efficaciter vult fieri: vel ergo inducit consequentem, vel antecedentem; vel conditionatam, vel absolutam: non consequentem; quia consequens est illa, quæ ex libera determinatione nostræ voluntatis descendit, eámque supponit: ideóque etiam dicitur necessitas conditionata & suppositionis: atqui necessitas, quam inducit efficax decretum, non consequitur, sed prioritate naturæ antecedit consensum nostræ voluntatis: ergo non potest esse necessitas consequens & suppositionis, & consequenter est necessitas absoluta & antecedens.

Confirmatur: Illa necessitas est antecedens, cujus causa est antecedens; effectus enim sequitur naturam & denominationem suæ causæ; atqui efficacia decreti, quâ causatur necessitas, est antecedens: ergo & necessitas est antecedens.

Respondeo negando minorem. Et ad probationem dico, inducì necessitatem consequentem; probationem in contrarium distinguo: Illa est necessitas consequens, quæ descendit ex libera determinatione voluntatis, vel ut est in se, vel ut est in sua causa, concedo, tantùm ut est in se, nego. sed illa necessitas non descendit à libera determinatione voluntatis ut est in se præcisè, transeat, ut continetur in sua causa, quæ est voluntas Divina, nego minorem, & consequentiam. Si replicas, peti principium, responderi per id, quod est in quæstione, dici repugnantia, nempe, causari simul libertatem, & prævia efficaci motione determinari voluntatem, habes paratam responsionem in §. antecedente.

Authoritas S. Anselmi non loquitur de causa prima, sed secunda & creata naturali, quæ impulsu antecedenti aufert indifferentiam operandi, quam conferre non potest, eò ipso, quia illam in sua virtute non continet. Ita S. Patrem exponit Albertus M. in 3. dist. 1. q. 4. dicens. quod *necessitas absoluta, quam vocat Anselmus antecedentem, est ex causis proximis ad effectum ordinatis, sicut solem oriri cras, & decollatum interire.* Quòd verò noster S. P. non inficietur præviam efficaciam voluntatis Divinæ, patet ex sequentibus ipsius verbis in l. de concord. *Non enim ea DEUS quamvis prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo.* Et rursus c. 1. *quoniam, quod vult DEUS, non potest non esse, cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Ad sensum nimirum Doctoris Hipponensis, qui l. 1. contra 2. epist. Pelagii. c. 19. *Gratia*, inquit, *operatur in cordibus hominum, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

33. Dices: Necessitas, quæ est ex suppositione antecedente, est necessitas antecedens; sed necessitas operandi orta ex decretis prædefinientibus, est ex suppositione antecedente, ut patet, ergo est necessitas antecedens.

Resp. cum S. D. pluribus locis, specialiter hîc q. 19. a. 8. ad 1. & 3. negando majorem, nam decretum, quod supponitur antecedens in se

causaliter & objectivè continet ipsorummet modum indifferentem & electivum creatæ voluntatis.

Replicas. Decretum & prædeterminatio antecedens destruit modum electivum: ergo non continet & causat. Antecedens probatur: quod est essentiale impedimentum actûs oppositi, destruit potentiam ad oppositum; sed prædeterminatio est essentiale impedimentum actûs oppositi: ergo destruit modum electivum, qui consistit in potentia ad oppositum.

Respondeo negando vel distinguendo majorem, destruit potentiam ad oppositum in sensu composito, concedo, diviso, nego. Sed, ais, est impedimentum inimpedibile per voluntatem: ergo adhuc injicit necessitatem antecedentem. Respondeo, vel negando consequentiam vel distinguendo consequens, est inimpedibile formaliter, concedo, objectivè & terminativè nego: non in hoc sensu, ut somniat quidam Recentior, quòd prædeterminatio abstractè sumpta possit terminari, vel non terminari ad exercitium voluntatis; sed quia prædeterminatio habet pro suo termino & objecto ipsum electivum exercitium voluntatis, quod formaliter continet.

34. Oppones secundò contra causalitatem omnium actuum bonorum. Si DEUS efficaciter prædefiniret omnes actus honestos & bonos, sequeretur, quòd etiam prædefiniret peccatum, & haberet voluntatem beneplaciti de illo; consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela probatur: Qui efficaciter intendit finem, etiam efficaciter vult ea, sine quibus existentia finis obtineri non potest: sed plures actus virtutum, ut pœnitentiæ, & justitiæ vindicativæ haberi non possunt sine existentia peccati, vel posita, vel ponenda: ergo si DEUS illos actus virtutum efficaciter intendit, & prædefinit, etiam efficaciter vult peccatum cum illis actibus connexum, & ad illos necessariò requisitum.

Confirmatur. Amor efficax finis est virtualis amor mediorum eorúmque, sine quibus finis non potest existere: sed prædicti actus virtutum sine peccato non possunt existere; ergo amor efficax illorum actuum simul erit virtualis amor peccati; cùm tamen constet ex S. Script. quòd *odio sunt DEO impius & impietas ejus.*

Respondeo primò. Hoc argumentum nimis, adeóque nihil probare: probat enim inprimis permissionem peccati non posse amari & intendi à DEO ob finem superiorem, qualis est suæ misericordiæ, vel Justitiæ: quia permissio peccati est utique connexa cum peccato prævisо. Item DEUM non potuisse efficaciter intendere redemptionem generis humani; quippe necessariò connexam cum peccato originali. Ideóque

Respondeo secundò in forma negando sequelam: ad ejus probationem distinguo majorem; vult efficaciter illa, sine quibus existentia finis obtineri non potest, si illa sint media positivè conducentia ad obtinendum finem, concedo. si tantùm sint occasio & terminus destruendus per finem intentum, nego: sic enim neque natura per se intendit corruptionem compositi, quantumvis intenta generatio novi compositi sine prioris corruptione obtineri non possit. Vel secundò, si existentia finis obtineri non possit, sine illis ut positivè volitis, concedo. sine illis ut permissis, nego. sed sine peccati existentia plures actus virtutum obtineri non possunt, ita, ut illa se habeat tanquam occasio & terminus destruendus, concedo; ut medium positivè conducens, nego. Item: sine peccati existentia ut permissa nequeunt obtineri illi actus virtutum, concedo; sine illa ut positivè volita, nego minorem & consequentiam. Et constat responsionis veritas ex pluribus instantiis naturalibus: neque enim necessarium est votum paternæ mortis in filio, ut efficaciter speret & appetat hæreditatem, quam tamen absque parentis morte non consequetur. Parochus cupit efficaciter sibi crumenam pinguescere ex reditibus funeralium; non ideo tamen sequitur, quòd necessariò & efficaciter velit mortem suarum ovium. Idem de medico, idem de judice dixeris, quorum ille è morbis, iste diteſcit ex delictis hominum. Ex quibus patet responsio ad Confirmationem terminis nostræ distinctionis ad eandem applicatis.

Oppones tertiò contra efficacem prædefinitionem materialis peccati, præsertim in peccatis intrinsecè malis. Et Martinez sic arguit primò ab authoritate. In Concilio Arausicano c. 25. sic dicitur: *aliquos ad malum Divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Trident. Sess. 6. Can. 6. *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona DEVM operari, non permittendo solùm, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* D. Augustinus l. 1. ad Simplic. q. 2. *Neque, quomodo dictum est, non est volentis, neque currentis hominis, sed miserentis DEI, ita dictum est, non est volentis, neque currentis hominis, sed DEI obdurantis. Unde datur intelligi, quod infra utrumque ponit: ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat, ita Superiori sententiæ congruere, ut obdurare DEI sit nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm, quo sit melior non irrogetur.* Hæc Augustinus. Ex quibus ita subsumitur: sed æquè proditio Judæ, quàm conversio Pauli esset opus DEI; quia æquè decreto antecedenter efficaci DEUS determinâsset, & movisset Judam ad hunc specie actum proditionis, quàm Paulum ad hunc specie actum conversionis. Imò addit Martinez, videtur magis DEVS *misisse in cor Judæ, ut traderet eum*, quàm Diabolus: iste enim tantùm movisset suasione morali, ille verò etiam physicâ. Rursus irrogaretur aliquid, quo homo fieret deterior; quo enim alio magis homo fit deterior, quàm actu intrinsecè malo?

Respondeo, adductas authoritates veritatem nostræ assertionis neutiquam oppugnare. Nam primus textus loquitur de malo adæquatè sumpto, prout includit formalem malitiam. Sanè non minus absurdum est DEUM simultaneè, quàm prævièe cooperari ad peccatum: nec tamen secundùm Adversarios Authoritas prædicta oppugnat simultaneum concursum ad solum materiale peccati in linea entis, præcisum à formali: ergo neque oppugnat prævium. Unde miror, doctissimo Mar-

Martinezio persuasum esse, Conciliorum definitiones de illa subtilitate metaphysica formalis peccati non cogitâsse, imò Calvinum non nisi materialem actum peccati in defectione 10. tribuum à Rege Roboam, non autem perfidiam, quæ est formale illius defectionis DEO Authori adscripsisse: cùm certè distinctio inter materiale & formale peccati admittenda sit omni Theologo sive in simultaneo, sive in prævio concursu, & de impio Calvino explurimis ejusdem textibus constet, non solùm quod est materiale in actu peccati, sed etiam formalè & moralem malitiam in DEUM retulisse. Non admittitur (inquit l. 1. instit. c. 17.) *furtum illum, aut fornicatio ulla, aut homicidium, quin DEI voluntas intercedat.* ibidem §. 1. addit. *Absalonis incesto coitu parentis thorum polluentis detestabile scelus esse opus DEI.* ecce! ut ipsum scelus, adeóque & id, quo scelus constituitur, in DEUM referat! & §. 3. *Jam satis apertè ostendi, DEVM vocari eorum omnium Authorem, quæ isti censores volunt, otioso tantùm ejus permissu contingere.* Quæro nunc ex Martinezio, an non ex ejus quoque sententia peccata adæquatè & formaliter sumpta DEI permissu contingant? quod si, uti debet, annuerit, necesse est, ut fateatur, Calvinum, fecisse DEUM Authorem peccati etiam secundùm moralem & formalem malitiam spectati. Desinat ergo impurâ Calvini sentinâ turbare puros fontes doctrinæ Thomisticæ. Et esto, quòd uno loco malitiam moralem ab actu separâsset (quod tamen allegata separatio perfidiæ & defectionis non evincit) nihil hoc novi foret, quòd Calvinus in suis dogmatibus loquatur contradictoria. Sed de hoc satis.

37. Ad Tridentinum objectum Respondeo: nostram doctrinam ab illa damnata propositione longissimè distarè: nam vocatio Pauli pertinet ad specialem providentiam & causalitatem DEI tam ingenere & linea naturæ, quàm moris, tam quoad formale quàm materiale, cùm econtra proditio Judæ pertineat tantùm ad causalitatem generalem DEI ut causæ primæ universalis & præcisè in linea entis, non quod moralem & formalem malitiam ipsius, quod etiam de concursu simultaneo Adversariorum est dicendum. Ex quo etiam negatur, per prædefinitionem materialis peccati irrogari aliquid homini, quo fiat deterior. neque enim moralis malitia sequitur ex vi actûs in linea naturæ, & materialiter spectati, sed ex vi defectuosi judicii voluntatem ad malum determinantis.

38. Objicitur ab eodem quarrò. Implicat, quòd voluntas peccet volendo id, quòd DEUS vult eam velle: atqui per prædefinitionem absolutam vult DEUS, quòd humana voluntas velit v. g. adorationem idoli: ergo implicat, quòd voluntas volendo illam adorationem idoli peccet.

Respondeo distinguendo majorem: implicat, quòd voluntas peccet volendo id, quod DEUS vult illam velle, quod DEUS vult voluntate speciali beneplaciti, præcepti, & ut author specialis attingens lineam moris, transeat; voluntate generali, ut author naturæ, sic nego. vel subdistinguo, si possit humana voluntas velle eô modô, quo DEUS vult velle, concedo; si non possit eô modô velle; nego majorem: sed DEUS vult decreto prædefiniente, ut voluntas velit adorationem idoli; voluntate generali ut Author naturæ, & intra lineam naturæ & entis, concedo; voluntate speciali, & ut Author specialis etiam attingens lineam moris, nego minorem: ergo implicat, ut voluntas peccet volendo adorationem idoli; nego consequentiam, vel subdistinguo consequens, si posset velle modo solùm effectivo pertinente præcisè ad lineam entis, concedo, modo defectuoso pertinente etiam ad lineam moris, nego consequentiam.

Instas ex D. Th. 1. 2. q. 19. a. 10. qui sequi- 39
tur inclinationem à DEO datam etiam ut authore naturæ generali, non peccat, quia vult, quod DEUS vult illum velle: unde filius licitè desiderat vitam parentis, quem DEUS vult mori: quia hanc inclinationem habet sibi inditam ab Authore naturæ; ideóque sunt verba S. D. *tametsi tunc voluntas humana non confirmetur Divinæ in volitio materiali, conformatur tamen eidem secundùm rationem causæ efficientis.* Sed in posito casu homo sequeretur inclinationem à DEO datam ut Authore naturæ generali secundùm rationem causæ efficientis: ergo non peccaret.

Respondeo. Inclinationem, quam DEUS filio indidit ad amandum & honorandum parentem, non tantùm esse à DEO ut Authore naturæ, & intra lineam naturæ, sed etiam à DEO ut Authore speciali, & intra lineam moris: ideóque objectum hujus inclinationis, quod est velle & optare vitam parenti, cadit sub specialem voluntatem non tantùm consilii, sed etiam præcepti. Unde argumentum peccat in falso supposito, quod in S. D. loco citato neutiquam invenitur.

Objicit quintò. Pone hominem cæterà inno- 40.
centem in statu prædefinitionis ad adorationem materialem idoli, & jam instet tempus, quo illa prædefinitio mandetur executioni, quid si ille miser te consuleret: quid agere oporter, ne DEUM offendam? Debeóne resistere prædefinitioni, vel illam sequi? suadebisne, ut resistat prædefinitioni? quæret rursus. Debeóne resistere in sensu composito, vel diviso? sed in sensu composito est impossibile, nec minùs in sensu diviso; nam ad resistendum in sensu diviso necessaria foret alia præmotio & prædefinitio Divina, quæ me prædeterminet ad oppositum actum, hanc autem non habeo, nec est in mea potestate illam habere: quid ergo faciam miser, cui peccare non licet, non peccare est impossibile?

Respondeo, præterquam quòd hoc argumentum facili negotio retorqueri & transferri posset ad hominem habentem gratiam non congruam & merè sufficientem, illud continere merum paralogismum & transultoriam fallaciam sensûs divisi & compositi, ac confusionem actûs primi & secundi: vel enim loqueris de tempore antecedente ipsam adorationem idoli, & tunc nondum homo supponitur temporaneè præmotus ad materiale hujus actûs, sed habet præmotiones ad actus honestos salutares, dissuadentes præmotionem cum cum objectiva indifferentia, per quæ in actu primo, gratia sufficiente, & potentiâ proximâ constituitur, ut tam in sensu composito, quàm diviso possit resistere tentationi, adeóque si tunc consuleret, quid sibi foret agendum, haud dubiè

suadenda foret resistentia non adversus prædefinitionem, quæ pro illo tempore vel instanti actûs primi supponi non potest, & ex vi cujus non sequitur malitia adorationis, sed adversus tentationem, quæ locum habet in actu primo. Vel loqueris de instanti ipsius adorationis, & tunc nugatorium foret consilium, utpote actu secundo jam posito, adeóque prædefinito & prætermoto quoad materiale: de præteritis autem non est consilium.

Solutio clarior apparebit, si objectio redigatur in formam. Posito, quòd sim, prædefinitus ad materiale adorationis, vel teneor in instanti præcedente determinationem voluntatis resistere prædefinitioni, vel non? si non, tunc peccabo, quia impossibile est consentire prædefinitioni, & non peccare: si teneor, vel teneor in sensu composito, & hoc est impossibile, vel jn sensu diviso, & hoc iterum est impossibile propter defectum alterius prætionis, quæ tamen foret necessaria.

Respondeo negando suppositum, quòd pro aliquo reali instanti præcedente voluntatem adorandi idolum, detur prædefinitio vel prætio ad materiale illius actûs, & quòd proinde possit esse objectum suæ resistentiæ, vel consensûs; sed solummodo, datur pro instanti ipsius determinationis voluntariæ ad adorandum idolum, in quo DEUS suppositâ jam defectuosâ directione judicii practici, juxta connaturalem exigentiam causæ liberæ prævè concurrit ad effectum physicum illius voluntatis intra lineam naturæ consideratum, non ut defectuosè in linea moris elicitum. Igitur nec in sensu composito, nec diviso teneris resistere prædefinitioni; nec enim teneris resistere, nisi inducenti ad malum; sed illa prædefinitio non te inducit ad malum.

Imò, inquis, prædefinitio fortiùs trahit, quàm consilium, éstque vinculum insuperabile: ergo etiam inducit ad peccatum. Respondeo: fortiùs trahit intra genus naturæ & entis, concedo, intra lineam moris, nego.

41. Objicies sextò. Quicunque vult causam ab intrinseco & necessariò connexam cum effectu, vult etiam ipsum effectum; sed actus blasphemiæ vel voluntas blasphemandi v. g. est causa ab intrinseco & necessariò connexa cum deformitate malitiæ: ergo si DEUS efficaci decreto velit talem actum, necessariò vult ipsam quoque malitiam actûs.

Respondeo. Qui vult causam, vult etiam effectum, si velit in illo genere & ordine, in quo effectus cum causa intrinsecè connectitur, concedo, si in alio, in quo non intrinsecè connectitur, nego. Sed actus blasphemiæ est intrinsecè connexus cum deformitate malitiæ, ut est in genere naturæ entitas & effectus physicè productus, nego; ut est moraliter & defectuosè à principio quâ definiente elicitus, concedo minor. & nego consequentiam: vel subdistinguo consequens: ergo si vult DEUS talem actum, ut in genere moris defectuosè procedentem, concedo, si velit ipsum præcisè ut est entitas & effectus intra ordinem & lineam naturæ, nego consequens & consequentiam.

Similiter, si dicas. Qui vult antecedens, vult etiam consequens: distinguo, si consequens sequitur ex vi antecedentis, ut à tali causa voliti & positi, concedo, secus, nego: cùm enim plures causæ concurrunt ad aliquem effectum defectuosum, defectus non cuilibet causæ est tribuendus, sed illi, quæ deficit, ut habet S. D. in 1. 2. q. 79. a. 3. in c. & in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. Quod ipsum Adversarii in concursu simultaneo respondere debent.

42. Objicies septimò. Sequeretur, quòd DEUS vellet me velle aliquid, cum obligatione illud non volendi: sed hoc implicat: ergo. Sequela probatur. DEUS non tantùm prohibet malitiam, sed etiam voluntatem & actum blasphemandi, adeóque obligat ad illum non ponendum, & tamen efficaci decreto vellet me velle actum blasphemandi.

Resp. negando sequelam. probationem distinguo: DEUS prohibet voluntatem & actum blasphemandi, præcisè ut est entitas & effectus intra lineam naturæ effectivè elicitus, nego, ut est actus deformis, & defectuosus concedo primum membrum: alterum membrum probationis absolutè prolatum falsum facit sensum, quasi nempe DEUS haberet voluntatem Consilii vel præcepti, ut velim actum blasphemandi, vel quòd actus & voluntas blasphemandi adæquatè unà cum defectu morali sumpta essent objectum & effectus Divinæ voluntatis, quod æquè falsum est. In hoc verò sensu admitti potest & debet, quòd DEUS habeat voluntatem generalem, ut actus blasphemandi, prout actus & ens est, effectivè procedat à voluntate tanquam connaturali principio physicè effectivo. Ex quo non sequitur, quòd DEUS habeat circa idem objectum contrarias voluntates, siquidem id, quod in actu blasphemiæ est defectuosum, constituit diversum objectum ab eo, quod in illo est effectivum & bonum.

Adhuc, instas ex S. D. Omne peccatum fit per recessum ab ultimo fine, ita S. D. 1. 2. q. 79. a. 1. & humana voluntas in tantum deficit & peccat, in quantum deflectit ab ordine & motione primi moventis. l. 3. contr. gent. c. 10. & q. 3. de malo a. 1. ad 1. & in epist. ad Rom. lc. 7. dici in S. Script. DEUM inclinare voluntates ad malum, non quidem agendo & movendo sed potiùs deserendo, vel non impediendo: non ergo DEUS per ista decreta adamantina hominem prædeterminat ad recessum ab ultimo fine, aut impellit ad malum.

Respondeo concedendo totum, omnia quippe hæc tela volant præter scopum; neque enim ulli Thomistarum venit in mentem, ut subscriberet impio dogmati Calvini, quòd DEUS suo positivo decreto homines impellat & necessitet ad peccandum. neque hoc sequi ex decretis tantùm ad materiale peccati sub ratione actûs & entis prædeterminantibus huc usque ostensum est, uti in tractatu de peccatis ampliùs deducetur.

Alia argumenta contra physicam efficaciam decretorum produci solita, quia maximâ ex parte physicas prædeterminationes illorum decretorum ministras & executrices oppugnant, in 1. 2. Tract. de act. hum. aliisque partibus Theologiæ commodiùs dissolvemus.

AR-

ARTICULUS III.

De concordia decretorum cum libero arbitrio.

SUMMARIA.

1. *Varii modi conciliandi libertatem voluntatis cum Divinis decretis.*
2. *Vera ratio conciliandi à causali efficacia Divinæ voluntatis peti debet.*
3. *Probatur primò ex ratione causæ primæ.*
4. *Secundò à paritate & subiectione voluntatis creatæ.*
5. *Tertiò ex efficacia activitatis.*
6. *Ex ratione Divini dominii.*
7. *Radix contingentiæ & libertatis, non est Divinæ voluntatis libertas, sed efficacia.*
8. *Modus conciliandi Recentiores & Thomistas ab Henrico à S. Ignatio traditus improbatur.*
9. *Alius modus traditus ab Augustino Erath.*
10. *Ejus supposita.*
11. *Refelluntur.*

§. I.

Astruitur utriusque concordia.

1. UNa erat sententia Pelagii & Calvini, per decreta prædefinientia imponi cervicibus nostris fatale jugum necessitatis, protritâ libertate: ex qua tamen abierunt in diversas & oppositas hæreses; ut primus initium salutis tribueret liberi arbitrii viribus; alter arbitrio humano nihil nisi spontaneitatem relinqueret, & tam bonos quàm malos hominum actus in solum DEUM Authorem, à quo operandi necessitas imponeretur, refunderet. Catholici Doctores in hac fidei doctrina conveniunt, DEI providentiam & voluntatem ita de rebus nostris disponere, nósque ad bonas operationes suâ præveniente gratiâ excitare, ut tamen liberi arbitrii vires nequaquam adimat. Viæ tamen & modi, quibus decretorum & auxiliorum efficaciâ cum illibata facultate liberi arbitrii componunt, sunt diversissimæ. Aliqui (ut ex hucusque disputatis constat) ipsum nomen antecedentis efficaciæ abhorrent, & indifferentia decreta obtrudunt, quos a. 1. hujus disputationis refutavimus. Alii admittunt decreta efficacia prædefinientia h. e. præparativa auxilii efficacis, sed efficaciâ acceptâ à præscientia media consensûs futuri, contra quos a. 2. §. 1. egimus. Alii concordiam tum inter decreta & libertatem, tum inter defensores scientiæ mediæ, & prædeterminationum sanciri posse æstimant, si RR. relicto scientiæ mediæ fundamento decreta antecedenter ad prævisum consensum efficacia amplectantur; isti verò pro physica, quam tuentur, efficacia, seu præparatione auxiliorum physicè moventium morales tantùm motiones substituant: quam sententiam §. 2. impugnavimus. Thomistæ cum suo Angelico Duce ex D. Augustini doctrina tuentur decretorum physicè prædefinientium efficaciam intrinsecam & antecedentem optimè consistere cum libertate nostri arbitrii, eò quòd rerum omnium contingentia & libertas in ipsa Divinæ voluntatis efficacia originentur: unde quàm parum causa impedit esse sui effectûs, quem producit; tam parum DEUS impedit libertatem actûs, quem prædefinit; imò potiùs eundem promovet & perficit.

Hanc doctrinam tam clarè & copiosè tradit maximus Ecclesiæ Doctor Augustinus, ut meritò dicat Contensonus, quòd transcribendi essent Augustini libri, ut tanti Patris mens in toto suo splendore fulgens exhiberetur: nec facilè reperitur alicujus momenti objectio hoc tempore opponi solita, ad quam non in suis libris propositam D. Augustinus responderit. 2.

Testimonia S. Patris partim præmissa sunt, partim in tractatu de actibus humanis, déque gratia copiosè sequuntur.

Ex fundamentis priori artic. §. 5. n. 29. positis juvat unum alterúmve in memoriam revocare. Primò. Nullum ens reale potest subduci causalitati & influxui causæ primæ; sed actus liber unà cum virtute illum producendi, cúmque potentia ad oppositum, sunt ens reale: ergo nequeunt subduci influxui & causalitati causæ primæ. Si hoc: ergo causa prima suo influxu, qui fit per ejus voluntatis actionem virtualiter transeuntem, non destruit, sed perficit effectum. 3.

Secundò. Creata voluntas sese determinando ad actum liberum, non destruit, sed perficit suam libertatem: ergo etiam DEUS prædeterminando voluntatem creatam ad actum liberum, ejus libertatem non destruit, sed perficit. Consequentia probatur primò authoritate S. Augustini locô suprà citatô dicentis: *DEUS magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*: ergo infert D. Th. q. 22. de ver. a. 8. *Sicut voluntas potest actum suum immutare in alium, ita & multò amplius DEUS*: nempe ideo voluntas creata non destruit, sed perficit suam libertatem sese formaliter determinando, quia sese determinat ad actum ex prævia deliberatione & electione fundatâ in objectiva indifferentia finis & mediorum, dominativè & cum potestate ad oppositum eliciendum, quantumvis ex hujus determinationis suppositione sit impossibile, ut actus oppositus, vel actûs determinati negatio simul consistat: ergo ex eodem fundamento Divina voluntas causaliter prædeterminando non aufert, sed perficit libertatem voluntatis creatæ; quia illam determinat ad actum juxta suæ libertatis exigentiam cum omnibus enumeratis conditionibus eliciendum. 4.

Hanc voluntatis creatæ subjectionem ad omnipotentissimam DEI voluntatem, & gratiæ efficaciam mirè extollit, eique libertatem attribuit D. Augustinus. Sic l. de Corr. & gratia. c. 8. & epist. 83. *Voluntas tantò liberior, quantò sanior, & tantò sanior, quantò Divinæ gratiæ subiectior. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.* Accinit ejus Discipulus D. Prosper contra Collat. c. 38. *Opitulationes Divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ.* Hinc rectè interroges Adversarium verbis Innocentii I. in epist. ad Con-

Concil. Cartag. *Ergo eris tibi in providendo præstantior, quàm potest esse, qui te, ut esses, effecit?*

5. Tertiò. Quantò causa est efficacior, tantò penetrantiùs suâ activitate attingit non tantùm entitatem effectûs, sed etiam omnes modos ipsius: ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit, quòd filius nascitur dissimilis Patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi: sed Divina voluntas est infinitæ efficaciæ; utpote ex August. *liberrima, fortissima, invictissima*. estque, ut rursus inquit Angelicus Doctor 1. perih. lect. 14. *causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias, ita ut ex ipsa voluntate Divina originentur necessitas & contingentia in rebus*: ergo ipsa Divina voluntas causat rerum contingentiam & libertatem.

6. Quartò. De ratione Divini dominii in jure creationis inabdicabiliter fundati est, ut possit pro libitu mutare voluntates hominum, *quomodo vult & quando vult*: ergo dominium voluntatis creatæ in suos actus optimè compatitur dominium voluntatis Divinæ suæ decreto prædeterminativo de humana voluntate disponentis prout vult: & ideo inculcat D. August. *DEVS agit in cordibus motum voluntatis eorum, facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. Fundamentum hoc tradit* D. Th. 1. cont. gent. c. 68. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle & nolle, non excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari: & sic remanet causalitas in causa prima, quæ est DEVS, respectu motuum voluntatis.* in 1. p. q. 83. a. 1. ad tertium. *DEVS est prima causa movens & naturales causas & voluntarias. Et sicut in naturalibus causis movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, sed potiùs hoc in eis facit: ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.* Et in 2. dist. 25. q. 1. a. 2. *Etiamsi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominùs tamen hoc suâ omnipotentiâ facit, ut illud, in quod mutatur, voluntariè velit.*

Rectè igitur miratur D. Fulgentius l. de Incarn. & grat. c. 29. *Itáne rerum ordo credi putativè permittitur, ut DEVS, qui creator est hominis, valeat hominem creare, non mutare? Et qui nullius indiget adjutorio, ut hominem faciat, operari tamen; quod vult, in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit! Hanc amentiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat DEVS.*

7. Colliges ex dictis. Radicem contingentiæ & libertatis non esse Divinæ voluntatis libertatem; sed efficaciam; nam si ideo creati effectus forent liberi, quia à libera DEI voluntate procedunt; non esset ratio, cur non omnes effectus forent liberi, cùm omnes à DEI voluntate liberè procedant. Igitur libertas Divinæ voluntatis & omnipotentiæ facit, quidem omnes effectus esse liberè productos, quòd autem ex his alii liberè, alii necessariò operentur, id refundendum est in causæ primæ infinitam efficaciam, quæ non esse tantùm, sed & modum essendi rebus attribuit. Unde tametsi per impossibile DEUS esset causa necessariò operans, non tamen impediret, quin aliqui effectus & operationes essent liberè, vel contingenter productæ: neque enim necessitas movendi impediret Divinam efficaciam, quin causas creatas moveret juxta suam proportionem & modum operandi. Ex alio tamen capite posset impediri libertas creata in illa hypothesi impossibili: quia omnis creata libertas est participata essentialiter; sed in illa hypothesi non posset esse participata; siquidem nulla foret libertas in DEO, cujus esset participatio: ergo neque daretur libertas creata.

§. II.

Possintne concordari scientiæ mediæ & prædeterminationum Patroni?

Antiqua & nota sunt, non tamen inimica, sed studiosa veritatis prælia inter scientiæ mediæ, & prædeterminationum patronos circa decretorum Divinorum efficaciam & concordiam cum libero arbitrio. Non desunt tamen, qui se pacis feciales offerant, & laborent in unam sententiam & tesseram componere utriusque partis copiosa agmina. Est imprimis Henricus à S. Ignatio, qui hoc negotium æquis conditionibus transigi posse existimat. Sed quibus? Cedat Recentior prætensione scientiæ mediæ, & agnoscat cum S. Augustino omnem nostri consensûs sequelam vel futuritionem pendere à Divinæ voluntatis prædefinientis antecedenti efficacia. Cedat etiam Thomista prætensione physici influxûs & prædeterminationis, sitque contentus efficaciâ motionis moralis, quæ tamen & ipsa summè sit infallibilis. Hâc ratione abrumpetur tandem contentiosus funis, & utraque schola uno ore concordiam efficacis decreti cum libero arbitrio contra Novatores declamabit.

Sed duræ & rigidæ conditiones, quæ utramque partem totis penè castris, & omni militari instrumento exuunt. Videtur mihi Author inter litigantes gaudere velle, & de utriusque manubiis suæ sententiæ trophæum erigere. sanè si Thomista physicæ causalitatis influxum dimittat è manibus, totam amisit Thomisticæ doctrinæ consequentiam, & œconomiam, potiores Theologiæ & Philosophiæ partes pervagantem. Si Recentior scientiæ mediæ renuntiet, tota prædestinationis & concordiæ cum libero arbitrio à Molina tanto molimine meditata fabrica ruat necesse est. Nulla igitur ab hoc Feciali speranda pax est.

Huic succenturiatur alius Recentior Theologus, qui magnum Pacis Tractatum, quo utramque partem in unam sententiam sociaret, conscripsit. Nempe Augustinus Erath nuperrimè librum edidit, cui Titulus, *Conciliatio Prædeterminationis Physicæ, seu Decreti Divini intrinsecè efficacis cum scientia media directiva decreti extrinsecè efficacis*, quo non tam conditiones pacis offert, quàm persuadere conatur, vocum magis quàm sententiarum litigium Thomistas inter & RR. intercedere.

Nova sanè novissima, clarissimis viris, & in D. Thoma versatissimis hactenus non perspecta, nec audita, nec credita. Imò citiùs credideris Systema Copernici, quàm utramque scholam hinc præ-

prædeterminationem, inde mediæ scientiæ in unum sensum & sententiam conspirare.

10. Quibus ergo fundamentis id conatur evincere? Dabo compendio. Dicit igitur & supponit primo prædeterminationem, sive extrinsecam, quæ est decretum DEI intrinsecè efficax, sive intrinsecam, quæ est auxilium actuale gratiæ intrinsecè efficax, dupliciter debere considerari, abstractè seu fundamentaliter secundùm suam entitatem sine connotatis, & concretè unà cum connotato cooperationis ab humana voluntate procedentis. Primo modo sic esse indifferentem ad consensum vel dissensum; neque enim adhuc habet suam efficaciam in actu secundo, sicut decretum creandi mundum abstractè sumptum potuisset esse sine terminatione ad creationem mundi. Secundo modo sic esse impossibile, ut cum ipsa componatur consensus, quia hac ratione includit ipsum consensum tanquam partem intrinsecam constitutivam prædeterminationis in esse efficacis: implicat autem, consensum & dissensum simul consistere circa idem objectum. Ita habet n. 1260. 1182. Et ideo physica prædeterminatio nihil aliud est, quàm gratia vel decretum connotans operationem nostræ voluntatis; ita, ut à gratia vel decreto inefficaci, non differat penes entitatem decreti vel gratiæ fundamentaliter, & in abstracto sumptam; sed tantùm penes connotatum iisdem annexum.

Supponit secundò. Efficaciam decreti vel prædeterminationis tam in sententia Thomistarum, quàm Recentiorum nihil esse aliud, quàm exercitium nostræ voluntatis futurum, vel existens n. 1202. & n. 1246.

Dicit & supponit tertiò. Efficaciam aliquando sumi pro virtute operandi in actu primo, & sic esse indistinctam à prædeterminatione; aliàs sumi in actu secundo, & sic neminem dicere, quòd efficacia sit à solo DEO, vel solo decreto, cùm operatio utique sit à voluntate. num. 1238.

Dicit quartò & supponit, Thomisticam applicationem voluntatis, nihil aliud esse, quàm quòd posito decreto vel auxilio concretivè & efficaciter sumpto impossibile sit voluntatem nostram non esse conjunctam suæ actioni.

Dicit quintò, tam Thomistas quàm Recentiores fateri, futuritionem conditionatam gratiæ & consensûs provenire à nostra voluntate. num. 1688.

His positis deducit primò, Thomistam negantem, cum efficaci decreto posse consistere oppositum, loqui de decreto non abstractè, sed concretè accepto. Recentiorem verò, dum contendit compossibilitatem oppositi cum auxilio vel decreto, loqui de illo abstractè accepto. Porro à neutro posse admitti, quòd cum decreto vel auxilio quà efficaci possit consistere oppositum; sic enim jam significatur ipse consensus & operatio, per quam decretum sit efficax & concretè tale: & illa utique nequit componi cum suo opposito. Sic pariter, cùm Thomista affirmat, efficaciam esse decreto intrinsecam, loqui de illo concretivè, Recentiorem, cùm dicit esse accidentalem & extrinsecam, loqui de eodem fundamentaliter, & abstractivè sumpto.

Deducit secundò, cùm Thomista vult efficaciam decreti esse à solo DEO, loqui de efficacia in actu primò, quæ est virtus operandi, non de efficacia in actu secundo, quæ cùm sit ipsum exercitium operandi, utique est à nostra voluntate. Rursus, cùm decretum efficax habeat duas partes, unam, quæ est ipsum decretum, alteram quæ est efficacia, seu operatio voluntatis, ideo Thomistis respectu prioris partis concedi debere, quòd prima determinatio voluntatis sit à solo DEO, & quòd ad illam voluntas habeat se merè passivè; secundùm alteram verò partem concedendum esse Recentioribus, quòd ad illam voluntas se habeat activè.

Deducit tertiò, Thomistis concedendum esse physicum influxum decreti vel auxilii efficacis: quia physica applicatio nihil aliud requirit, quàm ut posito decreto, vel auxilio quà efficaci impossibile sit actionem ex voluntate nostra non profluere. Nec minùs concedendum esse Recentioribus influxum moralem, quia illi loquuntur de decreto & auxilio fundamentaliter sumpto. n. 1258.

Deducit quartò, Thomistas tantùm loqui, quòd decretum efficax constituat voluntatem in ratione principii actualis, & pertineat ad actum secundùm, quia loquuntur de decreto vel auxilio concretè & quà actuali. Non minùs benè loqui Recentiorem, qui illud actui primo affigit, quia loquitur de decreto fundamentali, quo modo est gratia sufficiens pertinens ad principium habituale.

Deducit quintò: quomodo gratia DEI à voluntate nostra suam efficaciam exspectet, vel non exspectet. Non exspectat à voluntate efficaciam, si hanc sumas pro virtute operandi, & ita satisfacies Thomistis; exspectat, si efficaciam sumas pro futuritione effectûs à nostra voluntate retrorsum producta, & sic satisfacies Recentioribus, à n. 1270.

Verùm sibi sanè persuaserit istam inter par- 11.
tes Concordiam primus illius Author, & ut opinor, ultimus: alteri, qui utriusque partis fundamenta penitiùs inspexerit, non item: supposita quippe formæ tanquam oracula indubitata, quæ tamen D. Thomæ Discipulis ne quidem per somnium incidisse, palam est. Et contra primum suppositum est primò, quòd prædeterminatio efficax sive extrinseca, sive intrinseca non est Thomistis concretum, sed forma denominans, per quam voluntas formaliter & concretè prædeterminata denominatur, sicut paries albus per albedinem: ideóque sicut ineptè diceres, albedinem actu informantem esse aliquod concretum ex albedine & subjecto; ita non minùs inconvenienter dicitur, quòd prædeterminatio efficax sit concretum ex entitate ipsius & operatione, vel futuritione operationis prævisa. Unde

Contrà est secundò. Quòd distinctio decreti vel prædeterminationis in entitate, fundamen-

mentaliter vel abstractè talem & concretè, vel reduplicativè efficacem, nihil prorsus facit ad enodandam difficultatem præsentem de salvanda concordia libertatis creatæ cum prædeterminatione divina. Nam quæstio & difficultas est, quo pacto libertas consensûs & voluntatis consistat cum prædeterminatione, quæ de facto in actu secundo datur & excitat voluntatem ad actum ponendum: sed hoc neque in Thomistarum, neque RR. doctrina est aliquod decretum vel auxilium secundùm suam entitatem abstractè consideratam; decretum quippe & auxilium tantùm entitativè & abstractè non terminativè sumptum non est illud, quod de facto datur, sed quòd secundùm se dari posset, vel potuisset ab æterno: atqui potuisse entitatem decreti vel auxilii, quæ modò terminatur ad consensum, absolutè terminari ad dissensum, vel negationem consensûs, nullô modô salvat libertatem & contingentiam consensûs, sed tantummodò libertatem & contingentiam activam Divini decreti: sicuti ex eo, quòd voluntas terminata ad creationem mundi, posset absolutè esse non terminata ad creationem mundi, non facit, quòd omnia, quæ sunt in mundo, sint libera & contingentia, sed quòd omnia sint liberè producta. Sic pariter, quòd decretum vel auxilium entitativè idem potuisset carere terminativâ efficaciâ, non facit, quòd ipse actus voluntatis sit contingens & liber, sed tantùm, quòd DEUS liberè concurrat ad actus nostræ voluntatis

Confirmatur. Ponamus Thomistam oppugnari à Scotista circa motivum Incarnationis, & Scotistam ad probandum Christi adventum, tametsi Adam non peccâsset, uti hoc medio: Decretum DEI entitativè secundùm se sumptum æquè poterat terminari ad Christum ut glorificatorem tantùm, quàm ut Redemptorem: ergo æquè Christus venturus erat ut glorificator tantùm, quàm ut Redemptor. Nunquid Thomista è vestigio negabit consequentiam, & dicet, non esse quæstionem de decreto quocunque possibili, sed de decreto præsenti, quod de facto datur, & tunc, si arguens velit, præsens decretum terminari ad Christum ut Glorificatorem tantùm, negabit antecedens.

Pariter si velis probare, æquè posse à voluntate elici consensum, quàm dissensum, quia decretum DEI æquè potest absolutè terminari ad consensum, quàm dissensum, nego consequentiam: quia sermo est de præsenti decreto, prout est, non prout esse posset, illud enim est extra rhombum, ut patet in decreto creationis, ab ipso Adversario in exemplum adducto.

Contra 2. & 3. suppositum est, quòd illa repugnent principiis tam Philosophiæ, quàm Theologiæ Thomisticæ. Nam primò efficacia decreti & auxilii apud Thomistas est efficacia physicæ causalitatis & quidem in actu secundo, sed hæc non est ipse consensus & operatio voluntatis; nisi velis absurdè concedere, idem causari à seipso, & esse seipso prius & posterius: Effectus quippe producitur à causali efficacia causæ, causa enim, non quà inefficax, sed quà efficax producit effectum, nec aliunde nisi ab efficiendo efficax denominatur: sed operatio voluntatis est effectus decreti & gratiæ efficacis: ergo operatio voluntatis producitur ab efficacia decreti & gratiæ: sed per te efficacia nihil est aliud, quàm exercitium, actio, operatio voluntatis: ergo operatio voluntatis à se ipsa producitur. Paucis: operatio voluntatis est per decretum quà efficax: decretum quà efficax est per operationem: ergo operatio est per se ipsam. Et quid magis esse potest hysteron proteron, quàm efficacem efficientiam causæ constitui per effectum, qui ab ipsa quoad efficaciam dependet, éstque naturâ posterior, nec aliunde nisi ab efficientia causæ effectûs denominatur. Si connotatio alicujus obliqui ad hoc sufficit, ut per connotatum intrinsecè constituatur concretum ex forma connotante & re connotata, tunc in Divinis Filius erit intrinsecum constitutivum Patris, effectus constitutivum causæ, peccatum pœnitentiæ, & absolutionis Sacramentalis, persona Divina intrinsecum constitutivum infinitæ offensæ, &c. quæ omnia apud Thomistas sunt exotica.

Contra 4. suppositum est, quòd illa explicatio applicationis sit omnino aliena à mente Thomistarum, qui activam applicationem constituunt in impressione alicujus virtuosæ motionis transeuntis, quâ agens excitatur ad operandum, uti cùm manus cultrum applicat ad scindendum.

Contra 5. pariter suppositum est, quòd omnis doctrina Thomistarum reclamet futuritioni consensûs prævisæ ante determinationé voluntatis factam per ipsum decretum prædefinitivum, sive in statu absoluto, sive conditionato, qualem tamen prævisionem & futuritionem Adversarius supponit.

Hinc facilè ruunt omnes deductiones & conciliationes hisce arundineis fundamentis superstructæ, utpote omnes menti & doctrinæ Thomistarum contrariæ. Textus Thomistarum in ingeniosi commenti favorem ab Authore adducti minimè favent, ut legenti primâ fronte patebit. Et cùm Thomistæ physicam prædeterminationem vocant gratiam vel auxilium connotans operationem voluntatis, non confundunt connotationem cum re connotata, sed illam sumunt causaliter ex parte auxilii causantis, & ex se infallibiliter inferentis, adeóque connotantis operationem.

Ergo nulla spes pacis? Etiamnum nulla. non ideo peior est S. Theologiæ conditio, cujus pulchritudo ex diversarum etiam adversantium sententiarum varietate salvâ Catholicæ doctrinæ veritate ornatur, non minùs quàm universum ex contrariorum elementorum & qualitatum conflictu.

DI-

DISPUTATIO XIIX.

DE

Providentia DEI prædestinante.

Ad q. 23.

POstquam ea, quæ intellectum vel voluntatem seorsim concernunt, Angelicus Doctor consideravit, transgreditur ad considerandam providentiam DEI, ad quam actus tam voluntatis, quàm intellectûs pertinent. Hujus partes, non *subiectivæ*, tanquam species Providentiæ inter se virtualiter distinctæ, sed *obiectivæ*, hoc est, ejusdem providentiæ juxta diversitatem objectorum materialium diversæ acceptiones, sunt *Prædestinatio* & *Reprobatio*. Unus quippe finis & ratio formalis, quam Divina providentia in omni suo effectu respicit, est manifestatio Divinarum perfectionum; ideóque inter partes Divinæ providentiæ non est distinctio virtualis intrinseca: quia verò objecta materialia, & effectus ad hunc finem ordinati inter se differunt, dum alii pertinent ad ordinem naturæ, alii ad ordinem gratiæ; alii ad manifestandam misericordiam in electis, alii ad justitiam in reprobis; idcirco alia vocatur providentia naturalis, alia prædestinans, alia reprobans.

ARTICULUS I.

Quid & quorum Providentia sit in DEO?

SUMMARIA.

1. *Doctrina fidei de existentia Providentiæ.*
2. *Ratio naturalis.*
3. *Definitio & subjectum.*
4. *Est actus rationis practicæ.*
5. *Est circa media ad finem.*
6. *Datur de rebus minutissimis.*
7. *Specialis Providentia est de creaturis rationalibus.*
8. *Diversa ratione.*
9. *An & quomodo Providentia Divina semper assequatur finem?*

§. I.

Existentia & natura Providentiæ.

1. INignorantiæ nebula oberrantes Athei, vel Atheis proximi negant divinam providentiam, aut eandem ab actuum humanorum gubernatione removent, dicentes apud Job. 22. *Nubes latibulum ejus, & circa cardines cæli perambulat, neque nostra considerat.* Contra quos S. Scriptura pronuntiat Judith. 9. *Omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti.* Sap. 14. *Tua autem Pater providentia gubernat.* Minutissimis de rebus accuratissimam DEI providentiam Christus docuit, Matth. 6. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa, &c.* quæ etiam commendatur Psal. 103. 106. 134. Specialem, quam de hominibus habet, providentiam commendat S. Petrus epist. 1. c. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

2. Deducimur quoque in Divinæ providentiæ cognitionem lumine rationis naturalis, quâ edocemur primo agenti operis sui curam inesse. Hoc genere argumentandi utitur S. Ambrosius l. 1. offic. dicens: *Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat & destituat, quod ipse condendum putavit? &c.* Accedit ordinatissima tum magni tum parvi mundi, hominis inquam, dispositio, in qua sapientissimam DEI gubernationem ac providentiam vix non palpamus. Et ex isto rerum ordine procedit ratio S. Doct. hîc q. 22. a. 1. in hanc formam redacta. Rerum omnium, quæ sunt, & fiunt, rationes existunt in intellectu DEI, quippe qui omnia per *intellectum* operatur: sed in rebus reperitur ordo in finem: ergo ratio ordinandarum rerum in suum finem existit in mente Divina. Atqui *ratio ordinandorum est providentia*: ergo.

3. Coincidit cum prædicta definitione S. Doct. illa Boëtii de consol. prosâ 6. *Providentia est illa ipsa divina ratio, in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* Ex utraque porro definitione facilis est decisio illius *quæstionis*: utrum providentia ad intellectum vel voluntatem pertineat? quamvis enim providentia secundùm omnes actus, quos tam præsuppositivè, quàm formaliter includit, ad utramque facultatem pertineat, velut in proœmio hujus cap. cum S. Doct. insinuavimus: tamen quantùm ad actum, in quo formaliter ac principaliter consistit, ad intellectum pertinet, ut etiam taceam, quòd ipsa vox prospiciendi & providendi, à qua dicitur providentia, visionem & actum intellectûs sonat: ordinatio quoque, seu ratio ordinandi in finem est formaliter actus intellectûs, ut expressè habet S. D. hîc cit. art. 1. ad 3. dicens, *providentia est in intellectu, præsupponit tamen voluntatem finis.* Et rursus q. 5. de verit. a. 1. dicit, *Providentia includit & scientiam & voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica.* Unde cùm Damasc. l. 2. de orthodox. Fide c. 29. ex Nemesio Providentiam

descripsit; *Providentia est DEI voluntas, per quam res omnes aptè congruèque gubernantur*: eandem non à formali actu, sed præsuppositivè incluso descripsit.

4. Est igitur Providentia divina formaliter actus rationis practicæ; & quidem actus imperii. Est enim providentia pars prudentiæ, ut habet S. D. hîc a. 1. sed principalis actus prudentiæ est imperium: prudentia quippe, teste Philosopho 9. Eth. c. 9. *præceptiva est, finis enim ipsius est, quodnam sit agendum, aut non agendum, præcipere.* Ideóque cit. S. Doct. hîc a. 1. dicit: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit DEO; secundùm illud Psalmi, Præceptum posuit & non præteribit, & secundùm hoc competit DEO ratio Providentiæ.*

5. Ex quibus sequitur etiam Providentiam Divinam non esse circa finem, sed circa media ad finem. Est enim de ordinandis in finem: sed quæ ordinantur in finem, sunt media: ergo. Unde inprimis distinguitur à practica scientia DEI, quippe quæ simul est de fine & mediis, ut habet S. D. q. 5. de verit. a. 1. in c. Distinguitur secundò ab arte DEI, quia ars, ut inquit idem S. Doct. ibidem ad 9. versatur circa res, secundùm ordinem, *quo progrediuntur a principio*, hoc est, secundùm conformitatem, quam habent cum dictamine artificis; providentia verò *secundùm quod ordinatur ad finem.* Item quia juxta eundem perfectio artis consistit in judicando; perfectio verò providentiæ in imperando. Distinguitur tertiò à lege DEI, quia lex non est DEO imposita, sed creaturis; adeóque consistit in imperio regali, quod respicit subditos juxta S. Doct. 1. 2. q. 93. Providentia verò consistit in imperio monastico, & immediatè respicit actum DEI liberum, qui est usus. Distinguitur quartò à Divinis Ideis, quia idea est *forma exemplaris rei secundùm suam speciem absolutè; sed forma rei secundùm quod est ordinata in finem, est providentia.* Illa potest pertinere ad intellectum speculativum, ista pertinet semper ad practicum. Distinguitur quintò à potentia executiva, quia licèt tam providentia, quàm potentia executiva consistat formaliter in imperio, tanquam actu practicæ scientiæ DEI, tamen hic ipse actus rationem potentiæ habet secundùm munus exequendi; rationem verò providentiæ secundùm munus dirigendi, & secundùm munus dirigendi inadæquatè præsupponitur sibiipsi, ut habenti munus exequendi, quemadmodum docet Doct. Ang. q. cit. de verit. in fin. corp. dicens: *Actus potentiæ præsupponit actum providentiæ, sicut dirigentis.* & indicatur Psalm. 67. *Manda DEVS virtuti tuæ*, hoc est præcipe tuæ Divinæ potentiæ. Neque existimes, quòd actus imperii inferat imperfectionem subjectionis in DEUM: non enim subjectionem, sed virtualem subordinationem supponit, quæ sicuti reperitur absque imperfectione inter intellectum & voluntatem Divinam, ita quoque actus imperii, ad quam virtualiter consequuntur usus & executio, nullam involvit imperfectionem in DEO.

§. II.

Obiectum & efficacia Providentiæ.

Cæterum nihil tam vile, tam parvum est, circa quod Divina Providentia non occupetur. Ad omnia quippe illa se extendit divina providentia, ad quæcunque se extendit Divina causalitas: sed illa se extendit ad omnia singularia, materialia, etiam minutissima: ergo etiam Divina Providentia, de quo pulcherrimè August. l. 3. de Trinit. *Nihil sit invisibiliter & sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur &c. in ista totius creaturæ amplissimâ quâdam, immensâque Republica.* Atque ideo Christus Matth. 10. dixit. *omnes capillos capitis esse numeratos, & ne unum quidem passerem cadere in terram sine voluntate Patris.*

Neque adversatur Apostolus 1. Cor. 9. dicens, *Nunquid de bobus cura est DEO?* significat enim, non tantam, neque specialem curam & providentiam impendi creaturis irrationalibus, quantam DEUS habet de rationalibus. Unde specialiter DEI providentia ad liberos nostræ voluntatis actus, tanquam propiùs in ultimum finem ordinabiles, terminatur, eósque non tantùm bonos, qui Divino munere tribuuntur; sed malos etiam, quos sola voluntas defectuosa parturit, vel ex constat ex iis, quæ supra sunt dicta.

Diversâ tamen hoc fit ratione; nam Providentia bonorum fundatur in decreto positivo & approbante; ideóque pertinet ad scientiam visionis practicam, quam etiam suprà scientiam approbationis appellavimus. Eâque rursùs dividitur in generalem & specialem; illa terminatur ad ordinationem creaturæ rationalis in suam salutem, ideóque est præparativa mediorum sufficientium; ista terminatur ad ipsum finem particularem creaturæ, seu assecutionem salutis, ideóque est præparativa mediorum efficacium: Providentia verò malorum & peccatorum secundùm formalem rationem peccati (nam secundùm materiale & prædefiniuntur, & ratione decreti prædefinitivi divinæ providentiæ subduntur) nititur decreto permissivo, modo ibidem explicato. Eâque vel potest considerari, prout cadit super ipsa peccata, quæ permittuntur à DEO; & sic habet purè rationem scientiæ: vel prout cadit super ipsam ordinationem malorum in finem à DEO intentum; sicque habet rationem scientiæ practicæ & propriè dictæ providentiæ, cùm illa ordinatio sit bona & à DEO causata. Hinc intelliges certitudinem providentiæ Divinæ, nullò modò fundari in scientia media, quæ nulla est, & in superioribus sufficienter rejecta; sed, siquidem sit providentia bonorum, in decretis prædefinientibus; sin malorum, in decretis permissivis.

Si quæras: utrum Divina providentia finem semper assequatur? Respondeo providentiam generalem non semper assequi infallibiliter finem particularem creaturæ: semper tamen assequi finem ipsius proviforis. Ratio primi est; quia providentia non habet majorem infallibilitatem, quàm voluntas, ex qua descendit: atqui providentia generalis descendit ex voluntate antecedente, quæ est inefficax circa finem particularem creaturæ: ergo etiam providentia generalis non infallibiliter assequitur hunc finem. Deinde ut inquit S. Doct. q. 6. de verit. a. 1. Providentia gene-

generalis respicit ordinem in finem, non ipsum finem. Unde non est necesse, ut ipsum, sed ut ordinem in finem consequatur. Ex quo fit, quòd DEUS providentiâ generali omnibus hominibus ordinet media sufficientia ad salutem: quamvis eorum multi salutem non consequantur: quia omnium salus non nisi antecedente & inefficaci voluntate est volita. Ratio secundi est, quia finis universalis provisoris est manifestatio suorum attributorum, quem DEUS assequitur, sive homines damnentur, sive salventur.

ARTICULUS II.

An & quid sit prædestinatio?

SUMMARIA.

1. *Existentia prædestinationis.*
2. *Oeconomia actuum concurrentium ad prædestinationem.*
3. *Formaliter prædestinatio consistit in actu imperii.*
4. *Electio ad gloriam non est causa proxima salutis, sed remota, & in ordine intentionis.*
5. *Subjectum prædestinationis creatura rationalis.*
6. *Finis prædestinationis gloria; objectum immediatum media ad gloriam.*
7. *Numerus electorum DEO certus certitudine causalitatis & prædefinitionis.*

§. I.

Existentia & natura prædestinationis.

1. PRædestinatio sumi potest latè & strictè. Latè accipitur pro quocunque efficaci decreto DEI, vel prævia destinatione ad quemcunque finem. Sic S. Hieron. in illa verba Apostoli *Qui prædestinavit nos, &c.* vocem prædestinationis accepit cùm dixit: *prædestinare est prædefinire.* Sic eâdem voce S. Augustinus crebriùs utitur in textibus contra scientiam mediam superiùs allegatis. Sic idem S. Doct. tract. 48. in Joan. hanc vocem extendit etiam ad reprobationem significandam, cùm dicit: *Quomodo ergo istis dixit: Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Et 15. de Civit. DEI. c. 1. ponit duas civitates, *quarum una*, inquit, *prædestinata est in æternum regnum cum Christo; altera æternum supplicium subire cum diabolo.* Prestiùs accipitur modò à Theologis vox prædestinationis pro illa solùm prædestinatione, quæ creaturam rationalem efficaciter & infallibiliter destinat in finem vitæ & salutis æternæ. Quo sensu à S. Augustino de bono persever. c. 14. definitur: *præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.* Et à S. Th. hic q. 23. a. 1. *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Quàm de facto dari constat ex Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c.* Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos, &c.* Estque definitum in Concil. Arausicano & Trident. Sess. 6. c. 12. Ratio quoque est, quòd omnis effectus DEI præexistit in actu Divinæ providentiæ, sed quorundam hominum per ordinata media transmissio in vitam æternam est aliquis effectus DEI: ergo præexistit in actu Divinæ providentiæ, qui dicitur prædestinatio.

2. Sed quis & qualis est iste actus, in quo prædestinatio formaliter consistit? Supponimus, ad prædestinationem, plures actus voluntatis & intellectûs concurrere, quos per analogiam ad nostros actus, & secundùm prioritatem objectorum in DEO distinguimus, quorum aliqui pertinent ad ordinem intentionis; alii ad ordinem executionis. In ordine intentionis posito decreto intentivo Incarnationis & prædestinationis Christi, ponitur voluntas aliquas creaturas rationales beatificandi propter gloriam Christi, quæ voluntas dicitur efficax intentio finis, item propositum liberandi, sive salvandi: & quatenus comparatur partim ad gloriam Christi, partim ad reprobos, qui relinquuntur in massa perditionis, sic vocatur *electio ad gloriam.* Huic voluntati ex parte intellectûs subnectitur judicium & sententia de mediis ad hujus finis consecutionem idoneis. Post quorum repræsentationem voluntas eligit, & determinat media, qui actus rectè vocatur *voluntas secundùm propositum.* Atque hic absolvitur ordo intentionis.

Sequitur ordo executionis, qui incipit ab actu *imperii*, quo intellectus efficaciter determinat voluntatem ad usum. *Usus* est actus voluntatis, quo potentia executiva applicatur ad executionem, in qua demum finitur ordo executionis.

3. Quærirur ergo, in quonam ex hisce actibus formaliter consistat prædestinatio? Cujus quæstionis resolutio facilè sequitur ex Articulo præcedenti. Cùm enim prædestinatio sit pars providentiæ; ideo sicuti ista in actu intellectûs consistit, qui vocatur Imperium, ita in eodem actu imperii est essentia prædestinationis, velut etiam ex utraque definitione aperte colligitur. Unde si quando SS. PP. prædestinationem voluntatem, electionem, propositum salvandi appellant, sicut & Scotus in 1. dist. 40. q. 1. definiens prædestinationem, quòd sit: *Electio creaturæ intellectualis ad gratiam & gloriam.* Illam originativè & præsuppositivè voluntatem appellârunt: quia videlicet actum voluntatis essentialiter præsupponit, & connotat.

4. Neque dicas, quòd positâ electione ad gloriam & efficaci voluntate salvandi, homo infallibiliter consequitur salutem: ergo actus imperii consequens erit superfluus. Nam Respondeo, Hominem quidem ex vi electionis infallibiliter consequi salutem, non tanquam per causam proximam & immediatam in ordine executionis; sed tanquam per causam radicalem & remotam in ordine intentionis.

Sed inquis: Movere ad voluntatem pertinet, non ad intellectum: ergo etiamsi prædestinatio consisteret in actu Imperii, quo potentia executiva movetur, tamen pertineret ad voluntatem. Respondeo. Movere applicativè pertinet ad voluntatem, concedo. ordinativè & intimativè, nego.

§. II.

Subiectum & obiectum prædestinationis.

5. CÆterùm prædestinatio ad tria comparari potest. Ad subjectum, finem, & media. Subjectum prædestinationis activè acceptæ est DEUS ipse ut prædestinans, cùm prædestinatio activè accepta sit actus formaliter immanens Divini intellectûs. Si accipias passivè; sic formaliter est in prædestinato; adeóque subjectum prædestinationis (veluti in definitione S. Doct. exprimitur) est creatura rationalis; utpote, in qua effectus prædestinationis activæ, vocatio, justificatio, glorificatio, in quibus prædestinatio passivè accepta consistit, reperiuntur.

6. Finis prædestinationis est gloria, seu vita æterna; circa quam mediatè; circa ipsa verò media, hoc est, beneficia illa, per quæ DEUS creaturam rationalem efficaciter perducit ad vitam æternam, immediatè versatur: cùm sit actus prudentiæ & providentiæ, cujus immediatum objectum sunt media. Unde etiam in definitione S. Augustini ponitur: præscientia & *præparatio beneficiorum, &c.*

7. Quòdsi verò generalis Providentia DEI, ita omnia *in numero, pondere & mensura disposuit*, Sap. 11. ut & capillos capitis, & arborum folia in numerato habeat; multò magis numerus electorum & prædestinatorum DEO notus est, uti Christus insinuavit, dicens: cognosco meas. Joan 10. *Scio, quos elegerim, &c.* Joan. 13. *Nemo rapiet oves meas de manu mea.* Jo. 6. Estque hæc certitudo *non solùm per modum cognitionis* (ait S. D. hîc a. 7.) *sed etiam per modum cujusdam principalis præfinitionis.* Ut rursus ex S. Doct. cognoscas, præscientiam, quæ ponitur in definitione prædestinationis, non esse scientiam mediam, quippe quæ omnem causæ determinationem antevertens nullam potest fundare certitudinem, & effectûs infallibilitatem; sed scientiam visionis & approbationis, ut quæ sit *subnixa proposito*, & efficaci Decreto DEI, media pro assequendo fine efficacia præfinienti.

Præfinit ergo DEUS cuilibet electo sua media non vago & indeterminato modo, v. g. ut si auditâ concione non convertitur, convertatur pulsatus ægritudine, molestiâ, &c. hoc enim nimis imperfectæ, & impotentis providentiæ genus est, sed modo determinato, ut his videlicet certis & determinatis mediis convertatur, & ad finalem perseverantiam perducatur. In qua proinde prædefinitione mediorum certè cognoscit ordinem prædestinationis, quam certitudinem Schola Thomistica causalitatis mediorum appellat, insinuatam in Augustiniana definitione illis verbis, *quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.*

ARTICULUS III.

Vtrùm electio ad gloriam sit gratuita?

SUMMARIA.

1. *Distinguenda sunt in Divinis decreta intentiva & executiva.*
2. *Exponitur status quæstionis.*
3. *Statuitur gratuita electio ex Ephes. 1.*
4. *Ex capite 9. ad Romanos.*
5. *Ex Testimoniis D. Augustini & D. Th.*
6. *Primum fundamentum ex regulis prudentiæ.*
7. *Responsio adversariorum eliditur, ostendendo distinctionem ex parte volitorum.*
8. *Replica Adversariorum impugnatur.*
9. *Lessii evasio præcluditur.*
10. *Altera replica & distinctio Adversariorum depellitur.*
11. *Contra quartam responsionem evincitur electio gratuita ad gloriam in particulari.*
12. *Solvuntur objecta SS. PP. testimonia.*
13. *Examinatur mens Angelici Doctoris.*
14. *Quo sensu DEVS eô modô disponat dare, quô modô dat gloriam.*
15. *Ratio coronæ non evincit prævisionem meritorum.*
16. *Disparitas inter inter pœnam & coronam.*
17. *Quandonam, propter quod aliquid fit, sit causa finalis.*
18. *Absurda objecta.*
19. *Retorquentur.*
20. *Non sequitur ex nostra sententia acceptio personarum apud DEVM.*
21. *Neque oppressio libertatis.*
22. *Calvinistico dilemmati franguntur cornua.*

§. I.

Thomistica assertio fundata in S. Scripturis.

SUppono ex jam dictis, in Divinis distinguendos esse actus, & decreta pertinentia ad ordinem intentionis, & ad ordinem executionis: cùm enim actus intellectûs & voluntatis distinguamur in DEO per analogiam ad nostros actus intellectûs & voluntatis, ideo in DEO admittendi sunt omnes illi actus, qui ab imperfectione depurari possunt; tales porro sunt actus, quorum aliqui ad ordinem intentionis, alii ad ordinem executionis pertinent. Sic igitur in præsenti negotio prædestinationis, licèt secundùm dicta ipse actus & decretum prædestinationis formaliter consistat in actu imperii pertinente ad executionem, tamen præsuppositivè connotat & includit aliquos actus voluntatis; pertinentes ad ordinem intentionis, inter quos eminet electio ad gloriam, quod etiam vocatur decretum intentivum gloriæ.

De qua celebris est controversia, an præter motivum, & rationem finalem, quam habet ex parte DEI (estque bonitatis & divitiarum misericordiæ suæ manifestatio) etiam habeat motivum & causam meritoriam ex parte ipsius prædestinati, ita, ut electionem ad gloriam præcesserit prævisio meritorum; neque proinde electio fuerit omnino gratuita, sed in meritis prædestinatorum, dependenter à gratia eliciendis, radicata. Vel utrùm

utrùm præcesserit meritorum prævisionem, sitque prorsus gratuita: ita, ut pro suo adæquato motivo non habeat nisi beneplacitum, & bonitatem divinam.

Dixi tamen primò, quæstionem esse *de electione ad gloriam*: nam de electione sive vocatione ad primam gratiam (quæ vocatur gloria in semine & radice) certum est de fide, quòd nulla ex parte prædestinati detur causa meritoria: aliàs *gratia jam non esset gratia.* Estque (prout docetur in tract. de gratia) definitum contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos, è quibus illi dicebant, liberum arbitrium absque gratia sufficere ad bene operandum: isti verò mitigato errore dicebant, nullum quidem opus bonum absque gratia inchoari, vel consummari posse: initia tamen fidei & bonæ voluntatis, quorum intuitu DEUS gratiam conferret, ex parte nostra gratiam præcedere contendebant. Dixi secundò *ex parte prædestinati*, nam ex parte Christi, qui est Caput prædestinatorum præcedere causam meritoriam docetur in tract. de Incarnat. & colligitur ex Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, &c.*

Ubi præterea nota primò. Statum quæstionis moveri de adultis, quia parvulorum absque usu rationis decedentium nulla sunt merita; neque gloriam titulo mercedis, sed hæreditatis accipiunt: ideo eorundem electio ad gloriam prævisionem meritorum non potest supponere.

Nota secundò. Prædestinationem aliquando accipi in ordine executionis, pro ipsa actuali promotione ad gloriam æternam; aliquando verò & propriè in ordine intentionis, pro intentione dandi gloriam. Nec est dubium, quòd prædestinatio adultorum in executione præsupponat merita; gloriam quippe nonnisi per modum præmii, mercedis, coronæ dari constat ex Matth. 5. v. 12. *Merces vestra copiosa est in cælis*, ex Tim. 4. *reposita est mihi corona justitiæ, &c.* & aliunde supponitur. Dubium ergo totum est de electione prædestinativa in ordine intentionis existente in mente divina. Pro cujus resolutione.

3. CONCLUSIO. *Electio prædestinatorum ad gloriam, sive prima intentio dandi gloriam, est omnino gratuita, & antecedens prævisionem meritorum.* Ita communior non tantùm Thomistarum, sed etiam Recentiorum, contra Vasq. Less. Gamach. Veckenum & alios.

Probatur primò ex duobus præcipuis S. Script. locis, quorum primus est Ephes. 1. *Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in char.* [illegible]*te, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ &c. in quo etiam, & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* In quibus verbis multipliciter continetur nostra assertio, inprimis cùm dicit: *ut essemus sancti*, & non *quia eramus sancti*: quòd si autem electio ad gloriam esset propter merita, debuisset dicere, *quia eramus Sancti.* Atque ita advertit & exponit illum locum S. Hieron. dicens: *Non eligitur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant Sancti, & immaculati, sed eliguntur, & prædestinantur, ut consequenti vitâ per opera & virtutes Sancti, ac immaculati sint.*

Deinde hanc ipsam gratuitam electionem indicant illa verba: *in quo sorte vocati sumus*, non enim prædestinatio sors dici potest respectu vocantis, sed respectu vocatorum,: atqui si vocati suis meritis sibi vocationem accerserent, non rectè dicerentur *sorte vocati.* Hoc ipsum confirmant repetita illa verba: *in laudem gloriæ gratiæ suæ secundùm propositum, consilium voluntatis suæ*, quibus omnibus gratuito DEI beneplacito prædestinatorum electio tribuitur, annotante S. August. c. 18. de prædest. SS. *Fecit hoc secundùm placitum voluntatis suæ; ut nemo de sua erga se voluntate glorietur, &c.* Neque valet responsio Adversar. quòd S. Apost. locutus fuerit de electione & vocatione ad primam gratiam; loquitur enim de vocatione & electione, quæ est prædestinatis propria, quos nempe DEUS *benedixit in omni benedictione spirituali.* Sed vocatio ad primam gratiam non est propria prædestinatis; sed communis etiam reprobis: neque est omnis benedictio in Spiritualibus; quippe cui deest benedictio, & gratia finalis perseverantiæ.

Alter locus celebris est ejusdem Apostoli Rom. 9. ubi ad confirmandam assumptionem gratuitam 4. prædestinatorum præ reprobis in æternam hæreditatem adhibet exemplum electionis, quâ Jacob prælatus fuit fratri suo Esau. *Cùm nondum nati essent, nec aliquid boni egissent aut mali; non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Qui locus quamvis apud Malachiam Prophetam, ex quo desumptus est, litteraliter intelligatur de electione Jacobi in temporalem hæreditatem, tamen ab Apostolo hîc in sensu spirituali accipitur, & adducitur ad declarandum inscrutabile Mysterium prædestinationis: ita enim sentiunt & exponunt Mag. in dist. 41. ipsemet S. Doct. hîc a. 3. & in eandem epist. ad Rom. lect. 2. aliique quàmplurimi PP. tam Græci quàm Latini.

Confirmant quoque subsequentia Apostoli verba: cùm enim sibi objecisset, id quòd nobis objiciunt Adversarii. *An ergo iniquitas?* (hoc est acceptio personarum, si unum absque meritis assumit, alium relinquit) *apud DEVM?* Respondet ex parte DEI, & allegat illud Ex. 33. *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* sive ut legitur loc. cit. Ex. *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Subjungit: *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.* Ac post pauca: *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Quòdsi rursus objicias: *Quid ergo bonum opus ab homine quæritur*, si unus gratuitâ voluntate DEI deputatur ad gloriam, alius in massa perditionis relinquitur? (Qui est ipse Calvinisticus ille scrupulus, quid opus, sollicitum esse de bonis operibus, cùm vel sim prædestinatus, vel non sim? &c. de quo in fine §. n. 15.) Respondet Apostolus. *O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? &c. An non habet potestatem figulus luti ex eadem*

eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam? Ac tandem difficillimam disputationem hâc exclamatione concludit, cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Ubi vides, quomodo Apostolus in hac quæstione recurrat ad independentiam, dominium, misericordiam DEI & ex eo capite ostendat non esse iniquitatem, & acceptionem Personarum apud DEUM, eò quòd prædestinatio non sit ex debito, sed ex pura misericordia: qua de causa etiam electos appellat vasa misericordiæ. Vides etiam, quomodò tandem electionis comparativæ unius præ altero non aliam rationem reddat, quàm *inscrutabilia judicia* DEI. At si electio esset ex prævisis meritis, non esset recurrendum ad puram DEI misericordiam, sed potiùs ad justitiam: in promptu quoque foret ratio, cur unus præ altero eligeretur: quia scilicet unius merita præviderentur, quæ alter non esset habiturus. Manet ergo, quòd ex mente Apostoli electionem ad gloriam non præcedat prævisio meritorum.

§. Plurima sunt in hanc ipsam sententiam testimonia SS. PP. quos referunt Salmantic. tract. 5. de prædestin. disp. 9. dub. 2. Multus præsertim in gratuitæ prædestinationis defensione est S. P. Augustinus, qui præter superiùs allegata loca inter alia l. de grat. & arbitr. c. 9. super illud Apostoli: *gratia DEI vita æterna*, ita disserit: *cùm posset dicere Apostolus, & rectè dicere, stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere, gratia autem DEI vita æterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris DEVM nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.*

At multò clariùs, de bono persever. c. 8. in illa verba 1. Joan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* hoc modo pro gratuita prædestinatione discurrit: *Nonne utrique à DEO creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant? &c. Nonne postremò utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati* (Ecce, quòd non sit sermo de electione ad primam gratiã, vel ad fidem) *& per lavacrum regenerationis utrique renovati? sed si hoc audiret ille qui sciebat procul dubio, quid dicebat: respondere posset & dicere: vera sunt hæc: secundùm hæc omnia ex nobis erant: verùm secundùm aliam quamdam discretionem non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quænam est tandem ista discretio? non erant ex eis, quia non erant secundùm propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundùm propositum ejus, &c.*

Ultimata ergo discretio, quâ electi discernuntur à reprobis, ex mente S. Patris, non sunt merita, sed electio, sortis consecutio, &c. Consonat cum S. Patre ejus discipulus S. Prosper 2. de voc. gent. c. 35. breviter & clarè dicens: *DEUS his, quos elegit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.*

Est quoque hæc expressa doctrina Doctoris Angelici locis plurimis, præsertim hic a. 5. in argument. sed contra. ubi ad illa Apostoli Tit. 3. *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*, ita subsumit: *sicut autem salvos nos fecit, ita & prædestinavit salvos fieri: non ergo præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis.* Et ad 3. *Quare hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi Divinam voluntatem.*

§. II.

Fundamenta à ratione.

RAtio nostræ conclusionis est primò. Omne agens intellectuale, quod prudenter & ordinatè eligit, priùs vult finem, quàm media ad finem; sed gloria est finis creaturæ rationalis; & & merita sunt media efficacia ad illum finem consequendum: ergo DEUS priùs intendit dare gloriam, quàm velit dare media ad gloriam. Minor est certa ex Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicit: *Hujus justificationis causa finalis quidem sunt gloria DEI & Christi, & vita æterna*; ergo etiam meritorum, quæ in gratia & justificatione fundatur. Major probatur: media quà talia tantùm sunt appetibilia propter finem, & causa finalis est in intentione ratio volendi ipsa media; sicut econtrà in executione media sunt causa ipsius finis: ergo ordine naturæ prior est intentio finis, quàm electio mediorum: nec est ex Philosophis, qui contradicat.

Ratio est secundò. Electio ad primam gratiam, sicut etiam gratia perseverantiæ finalis, non est ex prævisis meritis: ergo neque electio ad gloriam est ex prævisis meritis. Antecedens est verum ex Tract. d. grat. & in hunc sensum ipsi Adversarii solent explicare objectas Authoritates, cùm dicunt, loca SS. PP. esse intelligenda de electione ad gloriam in semine, h. e. electione ad primam gratiam, quæ est purè gratuita. Consequentia probatur. Si electio ad id, quod est posterius, est ante prævisa merita, etiam electio ad id, quod in prædestinatione præcedit, debet esse ante prævisa merita: sed in prædestinatione gloria est prior; prima gratia & perseverantia sunt quid posterius: ergo. minor probatur. gloria est finis prædestinationis; prima gratia & perseverantia sunt effectus prædestinationis: sed causa finalis est prior suo effectu: ergo.

Respondebis primò cum Molina, Veckeno & aliis; in nostro modo imperfecto eligendi, quo per plures actus invicem connexos operamur, contingere, ut priùs feramur in finem per intentionem; postea in media per electionem; Philosophos quoque ordinem intentionis ab ordine executionis distinxisse causâ consultationis, quæ in animo nostro solet instituri, & quia fit, ut constituto etiam fine, vel nondum constet de possibilitate & congruentia mediorum, vel differendâ sit executio, &c. quæ omnia cùm exulent à Divinis, ubi Divina voluntas uno simplicissimo actu finem attingit & media, habétque intentionem infinitè perfectam & efficacem, ideo seipsâ etiam est executiva finis, & mediorum.

Sed contrà est, quòd distinctio actuum Divinorum (ut alibi notavimus) accipitur per ordinem ad diversa objecta materialia, ut inductione aliorum actuum constare potest: ut enim S. D. hîc a. 5. in c. *Non est assignare causam Divinæ voluntatis ex parte actûs volendi, sed potest assignari ratio*

ratio ex parte volitorum. Quare ibi virtualis prioritas reperitur inter actus Divinos, ubi prioritas vel dependentia reperitur inter objecta materialia; sed inter objecta prædestinationis est prioritas; cùm gloria habeat rationem finis ex Tridentino, merita verò, sicut & justificatio, rationem medii; aliàs gloria jam esset, & non esset finis, nisi retineret prioritatem in ordine intentionis: ergo intentio seu decretum intentivum gloriæ, in DEO ratione nostrâ præcedit decretum electivum meritorum, seu mediorum ad gloriam. Unde prioritas finis, ordo quoque intentionis & executionis non fundatur in imperfecto modo operandi circa finem, ut arguebant Adversarii, sed in ipsa natura finis, de cujus ratione est, ut exerceat prioritatem ad media; sit amabilis propter se, & terminet intentionem.

8. Secundò Respondebis cum eodem Molina & Vasquez. Tunc priùs efficaciter intendi finem, quàm media, quando quis sibi ipsi, non alteri finem expetit: quòd si verò alteri expetat, sufficere, quòd præcedat simplex complacentia, & inefficax voluntas ipsius finis: ut si quis cupiat (inquiunt) suum filium evadere Doctorem, potest ex illo desiderio moveri ad subministranda subsidia studiorum; quamvis desiderium Doctoratûs in patre non sit efficax, cùm non sit in patris potestate, ut filius fiat Doctor.

Sed contrà est primò. In prudenti electione requiritur, ut intentio finis sit proportionata electioni mediorum: ergo si electio mediorum est efficax, etiam finis debet esse efficaciter intentus, sive sibi sive alteri intendatur: utrobique enim debet regulari per prudentiam.

Contrà est secundò. Quando aliquem finem alteri inefficaciter appetimus, id ex eo contingit, quia finis non est in nostra potestate; qua de causa ne media quidem ex se efficacia eligere possumus, uti contingit in posita instantia, non enim tantùm est extra potestatem patris, ut filius fiat Doctor, sed etiam ut habeat ingenium, voluntatem discendi, applicationem, &c. quæ ad media efficacia pertinent. Quòd si hæc omnia essent in potestate patris, non minùs filio hunc finem efficaciter appeteret, quàm si illum sibiipsi vellet. Atqui in absolutissima DEI potestate est hominum salus, & media ad ipsam efficaciter conducentia; unde vides prædictam instantiam ipsismet Adversar. esse solvendam.

9. Dices cum Lessio. Efficaciam mediorum habere se concomitanter & materialiter; non autem formaliter ex vi, & in virtute intentionis.

Sed præterquàm quòd hoc ipsum est in quæstione, an media ad gloriam ex vi intentionis assumantur, Contrà est: Tunc media habent efficaciam ex vi intentionis gloriæ; quando gloria est causa finalis nostræ justificationis: sed ex Trid. est causa finalis, &c. ergo. Major probatur. Causa finalis non influit finaliter nisi in vi intentionis, sive in quantum intenditur: sed gloria est causa finalis efficax nostræ justificationis & beneficiorum inde consequentium: ergo gloria in vi intentionis influit in nostram justificationem, aliaque media ad gloriam conducentia.

Adde, quòd definitio S. Augustini, *præparatio beneficiorum DEI, quâ certissimè liberantur, quicunque liberantur*, non esset formalis, si efficacia mediorum tantùm esset concomitans.

10. Respondent tertiò cum distinctione: tunc intentio finis præcedit electionem mediorum, quando non est per modum coronæ, concedo: si per modum præmii & coronæ, nego, tunc enim præsupponere debet merita, sine quibus non est præmium & corona.

Sed contrà est primò. Quòd hoc ipsum sit in quæstione. Contrà est secundò: De ratione finis est, ut præcedat merita, sed gloria etiam ut corona habet rationem finis: ergo etiam ut sic priùs intenditur, quàm per media. Contrà est tertio. Gloria etiam, ut corona supponit in DEO motivum gratiosum liberalitatis, & munificentiæ: ergo non supponit merita, quia hæc potiùs sunt motivum Justitiæ. Antecedens probatur. Electio discretiva electorum à reprobis attribuitur puræ misericordiæ DEI, juxta text. S. Script. suprà allegatos, sed hæc electio, non est electio ad gratiam, quippe quæ communis est etiam reprobis: ergo est electio ad gloriam.

Si dicas: quamvis electio ad gratiam primam solitariè acceptam, non sit discretiva electorum à reprobis; bene tamen si accipiatur ut conjuncta cum dono perseverantiæ finalis. Contrà est: quòd hæc omnia sint effectus prædestinationis & electionis ad gloriam: unde si ista supponunt gratuitam DEI voluntatem, multò magis gloria, quæ per prius à prædestinatione respicitur.

11. Hinc ruit etiam alia & quarta responsio Adversariorum, cùm dicunt, sufficere, quòd electionem ad gratiam præcedat voluntas tribuendi gloriam in communi, non autem in particulari, & respectu personæ determinatæ.

Nam contrà est ex dictis primò. Quòd voluntas finis & mediorum debent ad invicem esse proportionatæ: sed electio ad gratiam respicit quamlibet personam determinatam in particulari: ergo etiam voluntas dandi gloriam. Secundò. Electio ad gloriam est discretiva electorum à reprobis, adeóque pertinet ad voluntatem consequentem, non antecedentem; sed voluntas consequens habet pro objecto bonum secundùm omnes has particulares circumstantias consideratum; ergo etiam electio ad gloriam respicit in particulari personam cujuslibet prædestinati.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

12. OBjicitur primò Authoritas S. Script. & SS. PP. præcipuè Rom. 8. ubi dicit Apostolus ; *quos præscivit & prædestinavit.* In quæ verba S. Ambros. l. 5. de fide ad Gratianum c. 2. *Non enim ante prædestinavit, quam præsciret ; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Quid clarius ? Huc etiam congerunt illa loca. Matth. 25. & 1. Corinth. 22. ubi dicitur *regnum DEI esse paratum diligentibus DEUM*, & bona opera facientibus. Accedit authoritas S. Fulgentii l. 1. ad Monim. c. 24. *Prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordia prævenientis auxilio redituros.*

Urgent verò potissimùm Auctoritatem D. Augustini, qui l. 1. ad Simpl. q. 2. declarans illud Apostoli ex cap. 9. ad Roman. *ut secundùm electionem propositum DEI maneret*, ita ait : *Non tamen electio præcedit justificationem. sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Vnde quod dictum est. Quia elegit nos DEVS ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientiâ.*

Resp. Apostoli locum commodissimè intelligi non de præscientia meritorum, sed præscientiâ gloriæ, habitâ in virtute Decreti intentivi gloriæ, & ly *prædestinavit*, accipi posse formaliter pro actu penetrante media ad gloriam ; ita ut sensus sit : Quos DEUS præscivit per efficacem electionem (initiativè) prædestinatos ad gloriam ; illis etiam media efficacia præparavit (& ita completè prædestinavit) ad gloriam. Nomine quoque præscientiæ sæpe ipsum Decretum prædestinans intelligi ex S. August. suprà dixi.

Quòdsi verò contendas, per *præscientiam* juxta interpretationem S. Ambrosii intelligendam esse præscientiam meritorum, per quæ electi *conformes fiunt imagini Filii sui.* audi interpretationem S. D. in eundem locum lectione 6. *Quos præscivit, inquit, hos & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui ; ut ista conformitas non sit ratio prædestinationis ; sed terminus, vel effectus.*

Sed necdum acquiescis, & opponis interpretationem S. Ambrosii, ex qua contrarium innuitur. Respondeo tam ipsius, quàm aliorum SS. PP. ipsiúsque D. Augustini verba loqui de electione & prædestinatione in ordine executionis, non intentionis : & vel de ipsa actuali retributione gloriæ, vel de Decreto executivo dandi gloriam, quorum utrumque meritorum præscientiam præsupponit. quem etiam & non alium sensum faciunt reliqua script. loca, opponi solita. Nec sanè D. Augustinus per ly *electio* aliud decretum, quàm executivum intelligere potuit, quia supponit ante illud Decretum, jam factam discretionem electi à reprobo, ideóque dicit : *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur.*

Atqui electio intentiva gloriæ est illa ipsa, quæ discernit inter electos & reprobos, ut agnoscit ipse S. P. in prob. nostræ conclusionis suprà allegatus. Unde etiam ly *præscientia* hoc loco ab ipso accipitur pro scientia approbationis includente Decretum intentivum gloriæ, quo modo sæpiùs hanc vocem accipi ipse dixit, loc. sup. cit.

Verùm quòd mireris, ipsemet Angelicus Doctor, utcunque invitus in contrariæ sententiæ favorem ambulare, & contrà se ipsum pronuntiare cogitur. Citatur enim hic a. 5. in argum. Sed contrà ita loquens : *Sicut autem salvos nos fecit, ita & prædestinavit nos salvos fieri.* Subsumunt : Atqui salvos nos fecit ex meritis gratiæ : ergo ex illis prædestinavit nos ad salutem.

Itáne intulit S. Doctor ? imò è diametro oppositum *sed*, inquit ipse ex ore Apostoli, *secundùm suam misericordiam salvos nos fecit* : *ergo non præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis.* Vides, quantæ efficaciæ sit ista Authoritas ipsis Adversariis solvenda ? Et verò selvere conatur Veckenus disp. 26. c. 7. dicens : *Nec obstat, quod ibidem addit (S. D.) & deinceps probat.* Non ergo præscientia meritorum, &c. *Id enim ipsum intelligere, non de meritis veris, qualia DEVS per suam gratiam in prædestinatis causat, sed de falsis, qualia Origenes, Pelagius, Semipelagiani fingebant, patet ex contextu.* At verò etiam de veris meritis loqui S. Doctorem patebit ex contextu : loquitur enim de meritis, quæ sequuntur gratiam & contra illos : *qui dixerunt, quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis, quia DEVS præscivit, ipsum bene usurum gratiâ* (uti & nunc dicunt Adversarii) pronuntiat : *Manifestum est autem, quòd id, quod est gratia, est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis.*

Igitur juxta S. D. quod est effectus prædestinationis, non potest esse ratio prædestinationis ; sed merita vera non falsa sunt effectus prædestinationis : ergo non possunt esse ratio prædestinationis. Ideóque ad 2. & 3. rationem electionis præsertim comparativæ unius præ altero, solam assignat *Divinam voluntatem* allegans S. Augustin. Tract. 26. in Jo. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.*

Opponunt tamen alium ejusdem S. D. locum in expositione cit. c. 8. epist. ad Rom ubi dicit, *Quòd rationabiliter diceretur, quòd præscientia meritorum bonorum & malorum est, ratio prædestinationis & reprobrationis ; si prædestinatio tantum respiceret vitam æternam, quæ datur meritis.* ergo cùm electio ad gloriam sit prædestinatio tantùm respiciens vitam æternam, rationabiliter dicitur, quòd merita præscita sint ratio electionis ad gloriam. Sed respondeo. Quòd eo loco S. D. loquatur de prædestinatione executiva, sive decreto non intentivo, sed executivo dandi gloriam, quòd merita prævisa supponit, sicut & positiva reprobatio supponit demerita. de qua infrà.

Objicitur ex ratione primò. Eo modo DEUS disponit ab æterno dare gloriam, quo modo dat in tempore ; sed in tempore dat gloriam propter merita : ergo eandem ab æterno

de

decernit dare propter merita. Respondeo dist. Majorem. eo modo DEUS intentivè disponit dare gloriam, quo modo dat in tempore, nego. eo modo executivè, concedo. & concessâ minore disting. consequens: ergo decernit ab æterno dare gloriam propter merita decreto executivo, concedo, intentivo, nego consequentiam.

Dices primò. Illa illatio S. Doctoris, *DEUS secundùm suam misericordiam salvos nos fecit: ergo etiam propter misericordiam suam nos prædestinavit*, accipitur à nobis de Decreto intentivo: ergo etiam præcedens illatio: *DEUS dat gloriam propter merita: ergo vult illam dare propter merita*, est accipienda de decreto intentivo.

Respondeo. negando consequentiam. Nam misericordia DEI, propter quam salvos nos fecit, non est effectus salvationis, uti econtrà merita sunt effectus electionis ad gloriam: misericordia quoque non est tantùm motivum morale, sed finale: econtrà merita hôc ipsô, quòd sunt effectus gloriæ, non possunt esse motivum finale, sed solummodò morale; & ideo quòd propter misericordiam suam DEUS velit nos salvos facere, pertinet ad decretum intentivum; quòd verò propter merita velit dare gloriam, pertinet ad decretum executivum.

Dices secundò. Ex eadem virtute DEUS vult dare gloriam, ex qua dat gloriam: sed dat gloriam ex virtute Justitiæ: ergo etiam vult dare gloriam ex virtute Justitiæ: sed voluntas aliquid dandi ex virtute Justitiæ, non est purè gratuita: ergo voluntas dandi gloriam non est purè gratuita. Respondeo rursus distinguendo majorem. Ex eadem virtute DEUS vult dare gloriam decreto executivo, quo dat gloriam, concedo, decreto intentivo, nego. & permissâ min. disting. etiam utrumque consequens: ergo vult dare gloriam ex virtute Justitiæ, & voluntas dandi gloriam non est purè gratuita: voluntas executiva, concedo. intentiva, nego consequentiam.

Si instas. Actus interior debet eâdem honestate gaudere, quâ actus exterior: ergo si gloriæ collatio est actus Justitiæ, voluntas quoque dandi gloriam debet esse ex virtute Justitiæ. Respondeo. actus interior proximè imperans & influens in exteriorem, conc. remotè & mediatè influens; nego. decretum autem intentivum influit mediatè & remotè: executivum immediatè.

15. Objicitur secundò. Quod est volitum per modum mercedis & coronæ, non potest efficaciter intendi sine prævisione meritorum: sed vita æterna est à DEO volita non tantùm per modum hæreditatis, sed etiam per modum mercedis & coronæ, uti definitur in Tridentino, & constat ex S. Script. ubi vita æterna appellatur *merces*, *denarius diurnus*, *corona*, *bravium*, *&c.* ergo ejus intentio supponit prævisionem meritorum.

Major probatur. Corona essentialiter dependet à meritis: ergo non potest efficaciter intendi non prævisis meritis. Respondeo negando majorem. ejus probationem distinguo. Corona dependet à meritis in executione, concedo, in intentione, nego.

Instabis primò. Quia DEUS dat propter merita vitam æternam; ideo vita æterna in ordine executionis dependet à meritis: ergo quia DEUS vult dare vitam æternam propter merita, etiam in ordine intentionis vita æterna dependet à meritis.

Respondeo negando consequentiam. Quia quòd DEUS velit dare vitam æternam propter merita, tantùm verificatur, si ly *propter merita* teneat se ex parte objecti, & componatur cum ly *dare merita*, & tunc pertinet ad ordinem executionis. Non autem verificatur, si ly *propter merita* teneat se ex parte actûs, & componatur cum ly *vult*, quasi merita essent DEO motivum volendi.

Instabis secundò. Corona ut corona non potest intelligi sine ordine ad merita: ergo non potest intendi sine prævisione meritorum.

Respondeo distinguendo antecedens, sine ordine ad merita, ut causata in ordine intentionis, & causantia in ordine executionis, concedo; sine ordine ad merita ut causantia in ordine intentionis, nego antecedens & consequentiam.

Instabis tertiò. Pœna ut pœna supponit prævisionem demeritorum juxta dicenda in Disput. seq. ergo corona ut corona præsupponit prævisionem meritorum. 16.

Respondeo. Multiplicem esse disparitatem: primò. quia pœna est tantùm bonum occasionatum ex suppositione peccati; nec proinde potest primariam DEI intentionem terminare; at verò gloria & corona est bonum per se amabile. Secundò punire est purè actus Justitiæ vindicativæ; at verò dare gloriam non est purè actus justitiæ distributivæ, sed etiam liberalitatis & munificentiæ. Tertiò, quia deputando liberaliter ad præmium non prævisis meritis, nemini fit injuria; imò summa gratia: deputando verò ad pœnam non prævisis demeritis fit injuria innocenti. Quartò, quia intentio gloriæ potest esse in DEO virtualis volitio meritorum, tanquam mediorum ad gloriam: at verò intentio pœnæ non potest esse virtualis volitio demeritorum, quippe quæ nullâ ratione à DEO causari possunt.

Sed insurgit ulteriùs Vasquez. Non rectè di- 17.
ceretur, quòd DEUS in executione det gloriam propter merita, nisi merita in intentione causarent gloriam. Non enim dicitur aliquis acquirere sanitatem propter medicinam: quia medicina non est causa sanitatis in intentione, quantumvis sit causa ipsius in executione. Nimirum juxta Philosophos, *propter quod aliquid fit*; est causa finalis, adeóque causat in intentione: ergo si propter merita datur gloria in executione; merita causant gloriam in intentione.

Respondeo negando antecedens, & adverto ex Joa. à S. Th. q. 15. disp. 5. a. 1. ly *propter quid* aliquando significare causam *cujus gratiâ*, aliquando verò causam moraliter dignificantem & disponentem. Priori modô pertinet ad ordinem intentionis; posteriori modô ad ordinem & genus causæ moralis executivæ. Hinc patet responsio ad instantiam, quia nimirum medicina nec est id, cujus gratiâ sanitas procuratur, neque moraliter dignificat subjectum; ideo non rectè dicitur aliquis fieri sanus propter medicinam; Merita verò quia dignificant moraliter subjectum, & sunt causa motiva moralis dandi gloriam, ideo rectè dici-

dicitur, quòd propter merita detur gloria. Unde cùm definitur finis, *propter quod aliquid fit*, ly *propter quod* significat motivum finale cujus gratiâ, non autem motivum morale, quod spectat ad genus causæ efficientis, & executivæ.

18. Objicies tertiò tria absurda, quæ ad gratuitam prædestinationem consequi videntur. Primum est, quòd DEUS esset acceptor personarum; contra quàm dicitur Act. 10. & Job. 34. sequela probatur. quia assumptio unius personæ præ altera ad gradus, præmia, honores, non habito respectu meritorum, est acceptio personarum; sed DEUS unam personam præ altera eligeret ad gloriam, non habito intuitu meritorum: ergo. Secundum est præjudicium fatale liberi arbitrii: suppositio enim necessaria, antecedens omnem usum libertatis, tollit libertatem: sed electio ad gloriam antecedens prævisionem meritorum, est quædam suppositio necessaria, cui resisti non potest; & antecedit omnem usum nostræ libertatis: ergo. Tertium. (quod ex cornuto Calvini dilemmate promanat) est, quòd sollicitudo bonorum operum, & cura tam propriæ, quàm alienæ salutis impediatur. Vel enim sum prædestinatus; vel non sum prædestinatus. Si sum prædestinatus, certissimè salvabor, quidquid egero. quid ergo magno sudore & studio virtutis est opus? si non sum prædestinatus, quidquid egero, non salvabor certissimè. Ad quid ergo bona opera à me exiguntur, quæ nihil mihi proderunt ad salutem? Rursus, vel hæc anima est electa, vel non electa ad salutem? Si est electa, etiam me non laborante convertetur, & salvabitur: si non electa, frustra laborabo, &c.

19. Respondeo. Has quidem fuisse argumentationes malè feriatorum D. Augustino à Semipelagianis objectas, qui suo pede Divinam magnitudinem metiebantur, & ut ipsi ad quidlibet liberè audendum manus haberent solutissimas, Divinæ omnipotentiæ manus ligatas, oculum ipsius providentiæ erutum cupiebant. Omnibus igitur Catholicis, qui de certitudine Divinæ scientiæ, efficacia & natura gratiæ rectè sentiunt, solvenda sunt hæc incommoda. Nec est, quòd Adversarii existiment, se facilius ad ista respondere, quàm gratuitæ prædestinationis Assertores. An non enim ipsi quoque electionem ad primam gratiam, gratiam quoque perseverantiæ, positionem in istis circumstantiis, in quibus DEUS consensurum vidit, gratuito DEI beneplacito debent adscribere? unde hæc omnia tela ipsorum quoque doctrinam impetunt, eodem modò depellenda, quo depelluntur à nobis.

20. Respond. secundò ad 1. Tunc esse acceptionem personarum, quando unus præ altero eligitur contra jus alterius: atqui nemo jus habet ad specialem DEI prædestinantis benevolentiam, quæ est purissima gratia. *In his* porro, *quæ ex gratia dantur* (inquit S. D. hîc a. 3.) *potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus vel minus* (*dummodo nulli subtrahat debitum*) *absque præjudicio Justitiæ. Et hoc est, quod dicit Paterfamilias* Matth. 20. *Tolle, quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo facere?* Ipse quoque Apostolus cit. c. 8. ad Rom. testaceum hoc argumentum figuli exemplo & similitudine confregit, dicens: *An non figulus potestatem habet aliud vas faciendi in honorem, aliud in contumeliam, &c.* quod expendens D. August. in Psal. 48. *Quid ergo*, ait, *non audes reprehendere in officina figulum, & audeas reprehendere in mundo DEUM?*

Ad 2. patet responsio ex suprà dict. suppositio, antecedens omnem usum libertatis, & ex se illum non causans, vel inferens, tollit libertatem, concedo. si sit suppositio à causa prima proveniens ex se causans & inferens usum libertatis, nego. Sed gratuita electio est suppositio antecedens omnem usum libertatis, eundem tamen causans & inferens, concedo; non causans vel inferens, nego minorem & consequentiam. DEUS enim hominem eligendo ad gloriam; elegit, ut liberè consequeretur gloriam: quamvis eandem infallibiliter sit consecuturus. *Quoniam* verò, inquit S. Ans. *c. 1. de concord. prædest. quod DEUS vult, non potest non esse, si DEUS vult voluntatem humanam nullâ cogi vel prohiberi necessitate, ad volendum, tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.* Brevius in eundem sensum Respondet Augustinus à Virgine Maria disp. 28. §. 2. suppositio antecedens usum libertatis tam prævisum, quàm intentum est necessaria, concedo. antecedens usum libertatis prævisum; non verò intentum, nego majorem, sed electio ad gloriam est suppositio antecedens omnem usum libertatis ut prævisum, concedo, ut intentum nego minorem & consequentiam. Ipsa quippe electio ad gloriam virtualiter intendit usum libertatis, siquidem DEUS ex voluntate dandi gloriam vult ut homines per merita & opera liberè à se elicita illam consequantur.

Tertium quoque absurdum ex Calvinistico dilemmate petitum facilè diluitur, si absurditas illius hæreticæ argumentationis ostendatur. Fac enim has similes illationes, DEUS infallibiliter scit me hoc anno aut ex hoc morbo vel moriturum, vel non moriturum. Si sum moriturus, quidquid egero, moriar. ergo ad quid debeo sumere cibum, vel medicinam? Si non sim moriturus, quidquid egero, supervivam. Ad quid ergo cibi, medicinæ, &c. imò licebit ih omnia pericula liberè irruere, in aquam, in ignem insilire, nec tamen moriar. Rursus. Vel decrevit DEUS, ut frumentum excrescat, vel non excrescat? Si decrevit; haud dubiè illud excrescet, sive seras, sive non seras. Si verò decrevit oppositum; nunquam excrescet, quantumvis ares, seras, & aliud quidlibet laboris impendas. Ergo frustra laboras, aras, occas, &c. Vides, quàm inana sit ista consequentia? Nempe quilibet homo sine mentis negabit verum esse, quòd quidquid egeris, vel non egeris, supervives: cùm, si DEUS sciat, & velit te hoc anno supervivere, sciat & velit per media idonea & à se præordinata te supervivere. Falsum quoque est, quòd, quidquid agricola egerit, vel non egerit, ager fructificabit: quia si DEUS sciat & velit istum postthac fructificare, vult etiam mediante labore rustico illum ad frugem pervenire. Unde cùm nobis minimè constet, quid DEUS æterno consilio de futuris statuerit, ea media adhibere solemus, quæ videmus ad fines intentos conducere.

Ita

Ita quoque in negotio prædestinationis discurrendum; falsum quippe est, quòd si DEUS scit te salvandum, quidquid egeris, salvaberis: falsum quoque est, quòd quidquid egeris, si DEUS scit te non salvandum, non salvaberis. quamvis enim in intentione prior sit voluntas dandi gloriam, quàm merita & gratiam. non tamen DEUS vel scit & vult te salvari sine meritis tuis, vel non salvari sine demeritis tuis, tuæ liberæ voluntati subjectis. Cúmque nescias, quid de hac re inscrutabilis DEI sententia decreverit, ea tibi media sunt adhibenda, quæ nôsti conducere ad salutem, ea fugienda, quæ scis contraria saluti.

Neque hæc explicatio prædestinationis desperationem ingerit, sed ad spem & humilem fiduciam in DEO ponendam animat, ut magis de Divina bonitate, quàm propriis meritis quisque confidat.

Ita agnoscit S. Augustinus de prædest. SS. c. 11. *Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis DEI, sed ignota est mihi de me ipso voluntas DEI. Quid ergo? tuane tibi voluntas de te ipso certa est, quæ nimirum ita mutabilis est, ut, qui videtur stare, videat, ne cadat. Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori fidem suam, charitatémque committit? Et de bono persev. c. 17. Videant, quale sit, quod sibi* (qui ex prædicatione gratuitæ prædestinationis scandalum capiebant) *persuadent, nempe prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis afferri. hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in DEO didicerit ponere.* Hæc S. Pater. Non est igitur frustraneus labor noster, cùm ille ipse labor, quem quærendæ saluti impendimus, medium sit ad salutem, & inter signa Divinæ prædestinationis collocandus, sicut etiam intermissio curæ & laboris pro sua salute, inter signa est reproborum, de quibus Psal. 72. *In labore hominum non sunt.* De executione potiùs, quàm de intentione prædestinationis debemus esse solliciti. Unde licèt DEUS *elegerit sine meritis*, quia tamen *coronat ex meritis*, curandum (hortante Apostolo 2. Petri 1.) *ut per bona opera certam vocationem faciamus.*

ARTICULUS IV.

Quinam sint effectus prædestinationis?

SUMMARIA.

1. *Conditiones requisitæ ad effectum prædestinationis.*
2. *Gloria est mediatus effectus ipsius.*
3. *Substantia prædestinati non est effectus prædestinationis.*
4. *Neque enim habet debitas conditiones, estque prior intentione dandi gloriam.*
5. *Gratia interrupta per peccatum est effectus prædestinationis.*
6. *Non verò auxilia sufficientia gratiæ.*
7. *Neque permissio peccati.*
8. *Aliquorum effectuum prædestinationis causa datur etiam in prædestinato.*
9. *Exponuntur testimonia S. Doctoris apparenter contraria.*
10. *Gratia revivíscens moraliter est eadem cum gratia interrupta.*
11. *Excipitur prima gratia innocentiæ Adamo collata.*
12. *Quomodo justis omnia cooperentur in bonum?*

§. I.

Enumerantur effectus prædestinationis.

1. EFfectus prædestinationis sunt beneficia ad consecutionem vitæ æternæ à DEO efficaciter præparata; quæ proinde triplicem requirunt conditionem. Prima est, ut sit aliquod bonum, quod à DEO provenit volente dare gloriam. Secunda, ut detur ex sola efficaci intentione dandi vitam æternam; siquidem per illa certissimè liberantur, quicunque liberantur, neque efficax DEI intentio suo effectu frustrari potest. Hinc præcipui prædestinationis effectus sunt gratia & gloria, infinuati in definitione Augustiniana prædestinationis. Gratia quidem per ly *beneficiorum*; gloria verò per ly *liberantur*, ipsa quoque gloria est finalis liberatio à massa perditionis, in qua per originale peccatum jacet omnis homo.

2. Neque refert, quòd consecutio gloriæ sit finis prædestinationis; hinc enim plus non infertur, quàm quòd gloria non sit immediatus, sed mediatus tantùm effectus prædestinationis, præparatio quippe efficax mediorum per ipsa media pertingit ad finem. At nunquid gloriæ futuritio jam supponitur in electione ad gloriam; quomodo ergo potest esse prædestinationis effectus? Respondeo, futuritionem inchoativam & incompletam gloriæ in Decreto intentivo supponi; non autem futuritionem completam; hæc quippe decreto executivo perficitur.

3. His positis. Quæritur primò. An substantia prædestinati sit effectus prædestinationis?

Respondeo cum Contenione contra Godoyú plurésque Thomistas, propriè loquendo non esse, prout videtur sentire S. D. lect. 3. in ep. ad Rom. dicens: *Relinquitur ergo, quòd prædestinatio dicatur propriè eorum solùm, qui sunt supra naturam.*

4. Ratio est primò: Ut aliquid propriè sit effectus prædestinationis, debet ex efficaci intentione dandi gloriam à DEO conferri & poni in electo, tanquam medium per se conducens ad consecutionem gloriæ, sed has conditiones non habet substantia prædestinati, ut patet, ergo non est propriè effectus prædestinationis. Idem dixeris de donis purè naturalibus ob omnimodam paritatem rationis.

Secundò. Quod præsupponitur ad voluntatem consequentem & efficacem intentionem dandi gloriam, non potest esse effectus ipsius: sed substantia prædestinati præsupponitur ad voluntatem consequentem & efficacem dandi gloriam: ergo non est effectus ipsius. Minor probatur. Electio hominum ad gloriam præsupponit prædestinatio-

nem Christi; ista verò lapsum generis humani per peccatum originale, cui DEUS vult succurrere voluntate antecedenti; ideóque decrevit Incarnationem Christi: ergo præsupponitur ante electionem ad gloriam voluntas creandi genus humanum. Unde & D. August. ep. 105. *Christus non pro ullis ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.*

5. Quæritur secundò. An gratia interrupta per peccatum & per pœnitentiam revivíscens sit effectus prædestinationis?

Respondeo affirmativè: nam huic gratiæ in æterna vita respondet specialis gradus gloriæ; nec proinde aliquid deest de conditionibus ad effectum prædestinationis requisitis.

6. Quæres tertiò. Idémne dicendum de auxiliis gratiæ merè sufficientibus?

Respondeo negativè. Illa quippe auxilia gratiæ sunt effectus prædestinationis, quæ certò & per se conducunt ad consecutionem gloriæ, sed auxilia merè sufficientia, neque certò, neque per se conducunt ad consecutionem gloriæ, eò quòd sint communia reprobis & electis, neque habeant infallibilem connexionem cum gloria; cùm pertineant non ad voluntatem consequentem, sed antecedentem, quæ ipsum gloriæ finem efficaciter non intendit. Ideo D. August. l. de prædest. SS. c. 16. illam vocationem electorum pro effectu prædestinationis agnoscit, quæ est certa secundùm propositum. *Vocat DEVS*, inquit, *prædestinatos multos filios suos, & non eâ vocatione, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, sciens, esse quandam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt.*

7. Quæres quartò. Sitne permissio peccati in electis effectus prædestinationis?

Respondeo negativè. Ratio est. Omnis effectus prædestinationis est beneficium supernaturale ex voluntate consequente & providentia speciali à DEO datum & per se conducens ad consequendam gloriam: atqui permissio passiva peccati, quæ est carentia gratiæ, ex qua infallibiliter sequitur lapsus in peccatum, de se potiùs est pœna, quàm beneficium, neque pertinet ad voluntatem beneplaciti & providentiam specialem, atque quantum est ex se magis conducit ad damnationem, quàm vitam æternam: ergo non potest propriè dici effectus prædestinationis.

8. Quæres quintò. An ad aliquos effectus prædestinationis detur causa in ipso electo? Respondeo, ad aliquos effectus dari causam in ipso electo, non verò ad omnes. Ratio primi est; quòd aliqua gratia cadat sub meritum ipsius prædestinati; unde boni operis intuitu sæpè à DEO confertur ulterior gratia. Ratio secundi est; quia non omnis gratia cadit sub meritum, nempe prima, & ultima perseverantiæ finalis, de qua Theologi in Tract. de gratia. Ex quo etiam deduces, quòd unus alteri aliquos effectus prædestinationis etiam primam gratiam, ut Stephanus Paulo, de congruo mereri possit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

9. OBjic. primò authoritatem S. D. hîc a. 8. in arg. sed contra probantis prædestinationem juvari precibus Sanctorum, ex eo, quòd Genes. 25. precibus Isaaci DEUS annuit, ut Rebecca conciperet Jacobum. Addit in c. *Ita prædestinatur salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet ad salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Et in 1. dist. 41. q. 1. a. 4. *Unde secundùm hoc omnis causa, cujus operatio interveniente completur effectus prædestinationis, dicitur prædestinationem juvare.* Et ibidem in c. dicit. *quòd motus cæli & omnes causæ naturales juvant prædestinationem, inquantùm eorum officio perficitur generatio & sustentatio electorum.* Quod etiam videtur significâsse Apostolus Rom. 8. dicens: *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.*

Respondeo, ex his omnibus non plus inferri quàm quòd hæc enumerata concurrant ad effectum prædestinationis, non autem, quòd omnia sint effectus ipsius. Bonus igitur usus bonorum naturalium est propriè effectus prædestinationis, cui ipsa dona naturalia & substantia prædestinati per modum materiæ, subjecti, & occasionis deserviunt; alioquin æquè præscitis, quàm prædestinatis communia. Cæterùm si contendas, hæc omnia, quæ quoquò modò concurrunt, & prædestinatis extrinsecè à DEO ordinantur in finem salutis, esse prædestinationis effectus minùs proprios, quæstio erit de nomine.

Objicies secundò. Gratia revivíscens, & influens in consecutionem gloriæ, non est eadem numero cum illa gratia, quæ fuit destructa per peccatum: ergo gratia interrupta & destructa non est effectus prædestinationis.

Respondeo. Non est eadem numero gratia physicè & materialiter, concedo; moraliter & formaliter, quantum ad æquivalentiam cum priori in jure ad gloriam æternam, nego.

Instabis. Prima gratia Adami habita in statu innocentiæ, & postea per peccatum perdita, non fuit effectus prædestinationis; quamvis eadem ut recuperata per pœnitentiam fuerit effectus prædestinationis: ergo gratia interrupta per peccatum non rectè dicitur effectus prædestinationis.

Respondeo. Hoc esse Speciale in gratia innocentiæ, quam Adamus habuit, quòd ista non fuerit Adamo collata ex efficaci intentione illum glorificandi, neque ordinata ad perseverantiam finalem; unde ut sic non est effectus prædestinationis; quatenus verò reparata ex meritis Christi sic conferebatur ex intentione efficaci glorificandi Adamum. At verò gratia alterius prædestinati, quantumvis per peccatum interrupta, confertur tamen ex efficaci intentione eundem glorificandi.

Ais. Gratia non nisi ut reparata influit in effectum gloriæ, distinguo. Ut reparata influit; ita ut reparatio sit formalis ratio influendi, nego. conditio sine qua non, concedo. de quo in Tract. de revivíscentia meritorum.

Objicies tertiò. Quidquid à DEO præparatur electis ex intentione beatitudinis ipsis conferendæ, est effectus prædestinationis: sed permissio peccati præparatur electis ex intentione ipsis conferendi æternam beatitudinem: ergo permissio peccati est effectus prædestinationis. Minor pro-

probatur. nam Psal. 118. David: *Bonum mihi, quia humiliâsti me.* & glossa ex D. Augustino desumpta ad illud c. 8. ep. ad Rom. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum: usque adeo omnia, ut si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat eis proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque cautiores.*

Respondeo. Etiam ex his plus non probari, quàm quòd bonus usus electorum, quo ex occasione lapsus in peccatum resurgunt fortiores, esse effectum prædestinationis, non ipsam permissionem lapsus, quæ ex se non est beneficium, est communis reprobis & electis, & pertinet ad providentiam generalem etiam quoad materiale peccati, non ad specialem.

In forma nego minorem: non enim permissio peccati præparatur electis, siquidem præparatio significat supernaturale beneficium, quod per specialem providentiam ex intentione conferendæ salutis electo confertur, permissio autem peccati non est ex voluntate speciali & positiva beneplaciti, sed ex voluntate solùm permissiva & generali.

DISPUTATIO XIX.

DE

Providentia reprobante.

PRædestinationi Doctor Angelicus art. 3. subnectit reprobationem: nam & ipsa pars Providentiæ Divinæ est, & cùm *oppositorum eadem sit disciplina*, examinatâ naturâ prædestinationis subnectenda est consideratio reprobationis, quam Magister in 1. dist. 4. definit, quòd sit *præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem.* Et rursus: *præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ.* De qua proinde sit

ARTICULUS I.

An reprobatio habeat sui causam in reprobo?

SUMMARIA.

1. *Congruentia reprobationis.*
2. *Est pars altera providentiæ formaliter consistens in actu imperii.*
3. *Divisio reprobationis in positivam & negativam.*
4. *Reprobatio positiva sequitur prævisionem demeritorum.*
5. *Reprobatio negativa præcedit prævisionem peccati personalis in reprobo.*
6. *Permissio peccati personalis est effectus reprobationis.*
7. *Nemini fit injuria per reprobationem negativam ante propria demerita.*
8. *An reprobatio negativa pro causa habeat peccatum originale?*
9. *Comparativa reprobatio non habet aliam causam, quam rationabilem DEI voluntatem.*
10. *Ad reprobationem negativam per se sufficit titulus beneficii indebiti.*
11. *Probabile est de facto in hominum reprobatione accessisse titulum peccati originalis.*
12. *Authoritati S. Augustini jungitur authoritas D. Thomæ.*
13. *Quomodo originale dici possit effectus reprobationis?*
14. *Originale est adæquata causa reprobationis ex S. Augustino.*
15. *Et ratione.*
16. *Exponitur mens Concilii Trid. quomodo nihil damnationis sit in regeneratis.*
17. *Non sequuntur ex nostra sententia duæ contrariæ voluntates in DEO.*

§. I.

Reprobatio positiva præsupponit demerita reprobi.

ALiquas creaturas rationales reprobari h. e. ad æterna supplicia deputari tam ex hominibus, quàm Angelis, apertè constat ex Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, &c.* & pluribus aliis Scripturæ locis. Cujus rei congruam rationem reddit S. D. hîc q. 23. a. 3. quòd sicut ad generalem providentiam pertinet, *aliquem defectum in rebus permittere*, ita spectet ad specialem providentiam, ut non tantùm aliquos ordinet in vitam æternam, sed etiam præcipuè ad manifestandam magnitudinem suæ misericordiæ in electis, gratiæ necessitatem, arbitrii creati defectibilitatem, suæque justitiæ pulchritudinem, *ut permittat aliquos ab isto fine vitæ æternæ deficere.* quæ ratio desumpta est ex Apostolo: Rom. 9. dicente: *DEVM sustinuisse in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* 1.

Ex iis quoque, quæ de prædestinatione sunt dicta, constat, reprobationem positivè acceptam esse partem objectivam Divinæ Providentiæ; sicuti enim effectus glorificationis aliquorum debet præexistere in Divina Providentia prædestinante; ita effectus damnationis aliquorum in Divina providentia reprobante: qua de causa etiam consistit formaliter in actu immanente intellectûs practici (quem imperium vocamus) permissionem peccati & finalis impœnitentiæ ordinantis in ostendendam justitiam. 2.

ostensionem Divinæ justitiæ : præsuppositò tamen & connotato duplici potissimum actu voluntatis, quorum unus dicitur decretum exclusivum à gloria, & alter decretum permissivum tam primi quàm ultimi peccati sive finalis impœnitentiæ.

3. Dixi reprobationem *positivam*. Solet enim reprobatio dividi in positivam & negativam. Negativa est decretum denegativum gloriæ tanquam beneficii indebiti ; ac dicitur negativa, non ex eo, quasi negatio sit ex parte DEI & actûs ; sed quia pro objecto habet negationem gloriæ, sive exclusionem à gloria ; hæc opponitur electioni ad gloriam, in eodem quippe signo rationis, in quo unus misericorditer eligitur ad gloriam, alius justâ DEI voluntate relinquitur *in massa perditionis*. h. e. in cumulo hominum vi peccati originalis ab æterna hæreditate extorrium. *Positiva* verò reprobatio, quæ etiam dicitur *punitiva*, includit decretum infligendi pœnam æternam (sive sit sola pœna damni, sive sit conjuncta cum pœna sensûs) eâque de causa vocatur positiva, quia ponit in reprobo effectum damnationis.

4. Hâc prænotatâ divisione reprobationis, potissima est controversia. An reprobatio præcedat demeritorum prævisionem, sicuti de electione ad gloriam dictum est, quòd antevertat meritorum prævisionem ? Et siquidem de reprobatione positiva sit sermo ; *Dicendum est*, eandem non fieri ante prævisa demerita, sive peccata. Ita S. D. in 1. sent. ad Annibald. dicens : *voluntas damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati, cùm damnatio ex debito inferatur*. Idem docet lect. 2. in epist. ad Rom. c. 9. *Præscientia*, inquit, *peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis, in quantum scilicet DEVS proponit se puniturum malos, propter peccata, quæ à se ipsis habent, non à DEO*.

Colligitur ex Concil. Valentino c. 3. dicente. *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestionem impiorum ad mortem : in electione tamen salvandorum, misericordiam DEI præcedere meritum bonum ; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum judicium*.

Huc faciunt graves S. Script. sententiæ. ut Sap. 1. *Quoniam DEVS mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*. Os. 13. *Perditio tua (ex te) Israël : tantummodò in me auxilium tuum*. Is. 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & DEVM vestrum*. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii?* in eundem sensum D. Augustinus l. 3. contra Jul. c. 8. *Bonus est DEVS, justus est DEVS : potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est*.

Quibus verbis rationem nostræ assertionis insinuat : Pœnam decernere ante demeritum, innocentis injuria est ; sed impossibile est, ut DEUS inferat injuriam innocenti, qui non aliud spectat in damnatione reproborum, quàm Divinæ suæ justitiæ manifestationem. Ideo iterum S. Augustinus epist. 106. *Quemquam immeritum, & nulli obnoxium peccato si DEUS damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*.

§. II.

Reprobatio negativa antevertit peccatum personale.

DE negativa verò reprobatione oppositum est sentiendum, videlicet antevertere prævisionem peccati personalis in reprobo. In eodem quippe signo aliqui relinquuntur in massa perditionis, & excluduntur à gloria, in quo signo alii misericorditer eliguntur ad gloriam : sed illud signum antecedit prævisionem meritorum juxta dicta in disput. præced. ergo aliquorum exclusio à gloria, quæ est ipsa reprobatio negativa, præcedit prævisionem demeritorum.

Secundò permissio peccati est quasi effectus reprobationis : & finis intentus à DEO in reprobatione, est excludere reprobos à regno cælorum, ad ostensionem suæ justitiæ in reprobis, & misericordiæ in electis ; sed, ut dictum, finis est prius intentus, quàm media : igitur permissio & prævisio peccatorum personalium est posterior, quam exclusio à gloria, seu reprobatio negativa.

Neque per hoc DEUS cuiquam facit injuriam ; cùm salus æterna præcipuè post originale peccatum nulli sit debita, veluti in claris terminis tradit S. Thomas loco supra cit. ad Annibald. *Voluntati Divinæ de salute hominis duplex voluntas opponi videtur : scilicet voluntas de contradictorio, secundùm quam vult aliquem non salvari, & voluntas de contrario, secundùm quam vult aliquem damnare. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm salus gloriæ non sit debita naturæ humanæ : non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, quod dare non debeo. Sed voluntas damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati ; cùm damnatio ex debito inferatur*.

Quod ipsum ex celebri illo Apostoli loco Rom. 9. de duobus fratribus Jacob & Esau dicens : *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni vel mali fecissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, erui uterque S. Doctor August. epist. 105. & q. 2. ad Simplic. & S. Th. supra eundem locum lect. 2.

De reprobatione verò negativa quid sentiendum ? Trifariam dividuntur in suis sententiis Discipuli S. Thomæ. Unam causam reprobationis, DEI beneplacitum & titulum indebitæ gratiæ agnoscit Contensonus : ex oppositò peccatum originale in parvulis & adultis, etiam quibus originale per baptismum remittitur, pro causa reprobationis saltem in intentione admittit Godoyus. Causam inadæquatam in iis solùm perseverantem, qui baptismi gratiam non recepterunt, esse peccatum originale tuetur Gonet.

Distinguendum est inprimis inter reprobationem comparativam, quâ unus potiùs reprobatur, quàm alius, & inter absolutam sine comparatione ad alium. Et si de prima loquamur, sanè nullam habet sui causam ex parte reprobi, sed unicam ex parte DEI, occultissimam nimirùm, rationabilem tamen voluntatem ; ad quam confugit ipse Apostolus ad Rom. c. 9. eúmque exponens S. D. suprà citatus inquit : *quare hos eligit, & illos reprobat ; non habet rationem, nisi Divinam voluntatem*. Neque enim peccatum personale potest esse

esse ipsius ratio, quippe quod reprobationem negativam consequitur: non originale; quippe quo omnes æqualiter sunt infecti. Si verò de reprobatione absoluta sit sermo.

10. Dicendum est secundò. Reprobatio ex se nullam requirit aliam causam, & titulum, quàm beneficii indebiti: ita de facto patet in ruina & reprobatione malorum Angelorum: in qua non potuit habere rationem causæ peccatum originale, quod nullum fuit; neque peccatum actuale, quippe cujus permissio fuit effectus reprobationis. Igitur DEUS ex fine manifestandi perfectiones & thesauros suæ misericordiæ in electis, suæque potentiæ, aliquos Angelos gratuitò elegit ad gloriam, & ex eo fine decrevit dare donum perseverantiæ; alios verò ab hoc beneficio indebito exclusos voluit, eóque ex fine negavit donum perseverantiæ, adeóque permisit finaliter perire. Pari modo ad reprobationem quorundam hominum sufficere poterat titulus beneficii indebiti, & manifestatio prædicta Divinarum perfectionum.

11. Dicendum est tertiò. Peccatum originale de facto esse causam & titulum reprobationis, valde probabile est ex authoritate. Nam primò Apostolus Rom. 9. reprobationem appellat nomine odii, exponens illud. *Esau autem odio habui*: Atqui DEUS in homine nihil odit præter peccatum, juxta illud sap. 11. *nihil odisti eorum, quæ fecisti*: ergo objectum & causa reprobationis est peccatum; non actuale: ergo originale. Et quamvis Contensonus velit, intelligendum esse odium metaphoricè sumptum, sicuti cùm DEUS dicitur irasci: aliter tamen sentit & exponit D. Augustinus epist. 105. dicens: *Quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?*

Secundò idem S. P. l. 2. ad Bonif. c. 7. *ubi dicitur, cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: bonum quidem immeritò, & gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur: malum verò meritò & debitum redditur, quia in massa perditionis, malum verò non male redditur. Et epist. 106. Hæc massa, si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustrà videtur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.*

12. Tertiò Divus Thomas presso pede sequitur D. Augustinum, eundémque pro se allegans q. 6. de verit. a. 2. ad. 9. ita dicit: *Electio DEI, quâ unum eligit & alium reprobat, rationabilis est, nec tamen oportet, quòd ratio electionis sit meritum, sed in ipsa electione ratio est Divina bonitas: ratio autem reprobationis est hominibus peccatum originale*, ut Augustinus dicit. Hæc S. Doctor. Neque satisfacit Contensonus, dum dicit: D. Augustinum non velle, quòd DEUS in intentione statuerit aliquem excludere propter peccatum originale, sed quòd in executione ultimum effectum reprobationis, vel intermedium excæcationis & obdurationis non infligat, nisi propter peccatum originale. Nam contra est, quòd S. D. loc. cit. reprobationem opponit electioni ad gloriam, quæ omni merito præsupponitur: sed illa est in intentione: ergo etiam non aliam intelligit reprobationem, quàm negativam, & in intentione.

13. Dices: peccatum originale est effectus reprobationis; ergo non est causa. antecedens probatur quia ex fine reprobationis multi parvuli & adulti concipiuntur & moriuntur in peccato originali.

Respondeo, negando vel distinguendo antecedens: peccatum originale ut finale est effectus reprobationis, concedo, peccatum originale ut sic, nego: sic enim est prævisum ante ordinem prædestinationis, & toti generi humano induxit debitum mortis æternæ; unde iterum Augustinus: *qui liberantur à massa perditionis, gratiam diligant, qui non liberantur, debitum agnoscant.* Ut finale verò, h. e. ut nunquam remittendum & conjungendum cum morte reprobi: sic est solummodò effectus reprobationis.

Dicendum tertiò. Peccatum originale proba- 14.
biliter est causa etiam adæquata reprobationis negativæ omnium reproborum, tam quibus est remissum, quàm quibus non est remissum peccatum originale. Ita Godoyus disp. 69. §. 6. Philalethes & Henricus à S. Ignatio.

Probatur primò authoritate S. Augustini tum l. 1. ad Simplic. q. 2. tum in Ench. c. 98. Jacobum statuentis pro exemplo electorum, & Esau pro exemplo reproborum, & pro causa odii Esau (quo nomine intelligit reprobationem) assignantis originale peccatum: sed certum est, quòd Esau remissum fuerit originale peccatum: cùm enim natus esset ex parentibus fidelibus & sanctis, haud dubiè non minùs ipsi, quàm Jacobo fuit applicatū remedium peccati originalis per circumcisionem: ergo ex doctrina D. Augustini, etiam in illis, quibus peccatum originale remittitur, motivum voluntatis exclusivæ à gloria est peccatum originale. *Ambo*, inquit loc. cit. *itaque gemini naturâ filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti, sed, qui dixit, miserabor, cui misertus ero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau odio habuit per judicium debitum.*

Probatur secundò. Reprobatio negativa pro- 15.
motivo habet ostensionem justitiæ punitivæ, éstque actus hujus virtutis: sed in instanti reprobationis respectu omnium reproborum nihil aliud erat puniendum, quàm peccatum originale: neque enim prævidebantur personalia, quorum permissio est hujus reprobationis effectus: ergo peccatum originale habebat se ut objectum materiale reprobationis negativæ.

Confirmatur. Si merita justorum præcederent decretum intentivum dandi gloriam, tunc essent sufficiens causa ejus decreti intentivi: ergo quia prævisio peccati originalis præcedit decretum intentivum excludendi à gloria, peccatum originale est sufficiens causa illius decreti: atqui præcedit non tantùm respectu illorum, quibus peccatum originale non remittitur, sed etiam quibus remittitur: ergo non est major ratio, cur originale sit causa reprobationis respectu illorum, quàm istorum: præsertim cùm voluntas conferendi, vel denegandi remedium peccati originalis sit posterior reprobatione negativâ, & effectus ipsius, adeóque impedire non possit influxum demeritorium virtualem peccati originalis in voluntatem reprobativam.

Objicies primò. Si originale peccatum esset cau- 16.
sa adæquata reprobationis, tunc DEUS omnes re-

probos homines vellet damnare propter originale peccatum: sed hoc dici non potest: quia sequeretur reprobos, quibus per baptismum jam remissum fuit peccatum originale, nihilominùs propter illud peccatum damnari, quod repugnat Tridentino Sess. 5. Can. 5. ex Apost. ad Rom. 6. definienti: *Nihil damnationis remanet in his, qui per Baptismum renovantur.*

Porro sequela probatur. quia quod DEUS efficaciter vult in intentione, hoc de facto ponit in executione, prout patet exemplo prædestinationis, in qua cùm DEUS in intentione justis decernat primam gratiam vocationis & ultimam perseverantiæ propter gloriam æternam, etiam dat illis in executione, ut per illas ad æternam salutem perducantur: ergo etiam si DEUS voluit, ut propter originale peccatum omnes reprobi excluderentur à regno cælorum, etiam in executione omnes reprobos propter illud excludet. Itaque dicendum est originale peccatum tantùm esse titulum reprobationis inadæquatum, qui in baptizatis non influit ad ipsorum damnationem, remanente solùm altero titulo beneficii indebiti.

Respondeo distinguendo sequelam majoris: DEUS vellet damnare propter originale peccatum, decreto tantùm intentivo & exclusivo à gloria, concedo. decreto executivo, nego majorem: & ad probationem minoris, nego sequelam; quia damnatio pertinet ad executionem, voluntas excludendi à gloria ad intentionem. Vel distinguo cum Philatethe, & Hentico à *S.* Ignatio: peccatum originale, quô singuli nascendo intrinsecè & physicè inficimur, foret causa damnationis, nego, peccatum originale, quo omnes in Adamo perivimus, & decidimus in massam damnationis, h. e. omnes contraximus debitum damnationis æternæ, & actualis infectionis in nostra nativitate, concedo. ab hac quippe massa perditionis sola prædestinatio liberat, non gratia baptismalis, unde dicitur à D. Augustino c. 14. de bono persev. *præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur: cæteri autem* subjungit, *ubi nisi in massa perditionis justo DEI judicio relinquuntur?*

Unde Concilii Tridentini definitio sic intelligenda est, quòd nihil personaliter damnationis sit in renatis, & quod quidquid personaliter ipsos infecit in sua nativitate, totaliter sit remissum, non autem, quòd nihil damnationis sit in iis, quatenus communiter cum toto humano genere in Adamo contenti considerantur, aliàs omnes essent à massa damnationis liberati, ac prædestinati, quod dici non potest. *qui perseveraturi non sunt*, inquit ibidem D. Augustinus de corr. & grat. c. 7. *Procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero* (prædestinatorum) *computandi sunt: non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ DEI & prædestinatione discreti, & ideo nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi.*

Addit Godoyus, mentem Concilii fuisse, contra hæreticos asserentes per baptismum peccata solùm tegi, vel non imputari ad pœnam remanente culpâ, definire, quòd per baptismum peccata deleantur cum reatu pœnæ æternæ, quod omnino verum est, quantumvis per baptismum non tollatur voluntas reprobativa DEI, & denegativa gloriæ.

Dices. Eo modo executioni mandatur exclusio reproborum à gloria, quo fuit ab æterno volita; sed fuit volita propter peccatum originale: ergo etiam propter peccatum originale executioni mandatur in tempore.

Respondeo primò distinguendo majorem, quo fuit ab æterno volita decreto executivo concedo, decreto intentivo, nego. vide quæ de gratuita electione in simili dicta sunt.

Respondeo secundò: dissimulatâ majore, distinguendo minorem: fuit volita propter peccatum originale ut in debito & potentia inficiens, concedo, ut actu intrinsecè inficiens, nego minorem: ergo sic mandatur executioni, subdistinguo consequens: nisi in executione mutetur objectum, concedo. si mutatur, nego consequentiam. Mutatur verò objectum, quando in executione DEUS vult, ut in baptizatis tollatur influxus demeritorius in executionem æternæ damnationis.

Objicies secundò. Sequeretur, in DEO dari duas contrarias voluntates: nam decreto reprobante DEUS diceret: volo hunc hominem propter originale peccatum excludere à regno cælorum; decreto remittente diceret: nolo hunc hominem excludere à regno cœlorum propter originale peccatum: sed hæ sunt voluntates contrariæ: ergo.

Respondeo negando sequelam: nam istæ voluntates pertinent ad diversum ordinem, & habent diversa objecta. Prior actus pertinet ad ordinem intentionis, & habet pro objecto exclusionem à regno cælorum intentam propter indignitatem peccati originalis, contracti in debito: alter actus pertinens ad executionē habet pro objecto ablationē exclusionis exequendæ propter peccatū originale actu inficiens. Igitur respectu illorum reproborum, quibus non remittitur peccatum originale, dicit DEUS: ob turpitudinem peccati originalis volo, ut maneant exclusi à regno cælorum exclusione exequendâ propter originale; respectu eorum, quibus remittitur, dicit: propter turpitudinem peccati originalis volo istos excludi à regno cælorum, exclusione tamen non exequendâ propter originale peccatum.

ARTICULUS II.

De effectibus reprobationis.

SUMMARIA.

1. *Effectus rigorosè sumptus reprobationis non est nisi unus.*
2. *Permissio peccati finalis potissimus effectus reprobationis.*
3. *Excluduntur peccata semel remissa.*
4. *Datur in DEO Liber vitæ, non mortis.*
5. *Certitudo reprobationis nititur decretis permissivis.*
6. *Ordo & œconomia prædestinationis.*

§. I.

Assignantur effectus reprobationis.

Si effectum reprobationis eo rigore velis accipere, quo prædestinationis effectum accepimus, nullus sanè erit effectus reprobationis, sive positivæ sive negativæ, exceptâ inflictione pœnæ æternæ, quæ per reprobationem positivam supposità præ-

prævisione peccati in reprobo ponitur. Illud enim propriè & in rigore dicitur effectus reprobationis, quòd vi reprobationis in reprobo positum causat & actu conducit ad pœnam æternam, quemadmodum ille est propriè effectus prædestinationis, qui ex vi prædestinationis in electo positus actu conducit ad vitam æternam. Sed nihil est, quòd ex vi Divinæ reprobationis ponatur in reprobo, ut actu conducat ad pœnam æternam. Ipsa quippe permissio peccati nihil ponit in reprobo, ex quo causaliter inferatur pœna æterna: habet enim reprobus gratiam sufficientem, quâ possit evitare peccatum, permissio quoque peccati nihil ponit in reprobo, sed tollit solummodò gratiæ efficacis auxilium, neque ex vi denegatæ gratiæ efficacis peccatum sequitur, quod unicè causat pœnam æternam: non enim propter subtractionem efficacis gratiæ, sed propter malitiam propriam, & liberi arbitrii defectum homo peccat.

2. Quòd si effectum reprobationis latiori & usitato sensu accipias pro illo, quod secundùm ordinationem Divinæ providentiæ certò & infallibiliter cum æterna pœna connectitur; non causaliter, sed illativè, neque secundùm consequentiam in essendo, sed inferendo; tum verò inter effectus reprobationis potissimùm recensenda permissio peccati finalis & impœnitentiæ, quæ etiam quandoque *obduratio* vocatur.

3. Removentur verò ab effectu reprobationis quæcunque peccata semel remissa, eò quòd nullam habeant cum æterna damnatione connexionem, quippe, quæ semel deleta nunquam redeunt, uti suppono ex Tract. de pœnitentia. Removenda quoque, sunt bona naturalia, & substantia ipsius reprobi, quia neque Divinæ bonitati convenit, ut ea ordinet in pœnam æternam reprobi; neque ipsa ex se habent, ut efficaciter ad illum finem perducant.

4. Inde etiam licèt in DEO detur liber vitæ, non tamen datur liber mortis; quia per librum denotatur specialis quædam notitia summæ complacentiæ, & scientia approbationis, in qua illi quasi sunt inscripti, qui præ aliis diliguntur. Cùm ergo reprobi non sint dilecti, sed neglecti; neque scientia reprobationis de peccatis reprobo rum sit scientia beneplaciti, sed permissionis tantùm, libri appellationem non sortitur.

§. II.

Certitudo & ordo reprobationis

5. CErtitudo reprobationis nititur illis fundamentis, quæ de præscientia & & providentia Divina superiùs collocavimus. Nititur, inquam, Decretis permissivis, in quibus peccata reprobi ad finalem impœnitentiam DEUS certò videt. Ideóque hæc certitudo non est causalitatis mediorum, sicut illa prædestinationis, sed logicæ illationis, eò quòd decreta permissiva non causant peccatum, uti econtrà decreta positiva & prædefinitiva causant meritum.

6. Ordinem reprobationis, imò œconomiam totius prædestinationis si desideras, paucis accipe. Post decretum ordinem naturæ & gratiæ, ad manifestandas Divinas perfectiones, sequitur prævisio peccati originalis, inde decretum de Incarnatione & Passione Christi ejúsque prædestinatio, & voluntas antecedens salvandi omnes homines: postea aliqui ex meritis Christi misericorditer eliguntur ad gloriam; alii in massa perditionis relinquuntur, & negativè reprobantur. In sequenti signo eliguntur media pro electis, & decernitur permissio peccatorum finalis pro reprobis. Sequitur ordo executionis, & scientia practica includens Decretum executivum præparat beneficia pro electis; permittit verò peccata pro reprobis. Post quem actum sequitur decretum executivum dandi gloriam electis, & infligendi pœnam æternam reprobis. Inde applicatio potentiæ executivæ, & ipsa executio illis in gloriam, istis in pœnam. Hic viæ terminus vel æternùm felix, vel miser. Nec ultrà tendo, aut aliquid tento, sed inscrutabile prædestinationis mysterium in illo claudo, à quo cæpi DEO uno, vivo & vero, qui sit

Benedictus DEUS in sæcula.

TRACTATUS II.
DE
DEO TRINO
PROLOQUIUM.

POst Unius DEI considerationem ad DEI Trini contemplationem Te invito, Amice Lector; non certè velut ad apricam, & multo sole irradiatam planitiem: sed velut ad antrum Sibyllæ, & sacrâ caligine obtectos calles. Quid enim, obsecro, ab humana ratione remotius, quid sublimius & abstrusius SS. Trinitatis Mysterio? Cæcum hîc sequitur ducem, qui lucem sequitur rationis naturalis; futurus semper in periculo, *Ne Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.* Proverb. 25. Nihilominùs ad istud caliginolum iter Te invito. Etsi enim laboriosum est, imò teste Augustino l. 1. de Trinit. c. 3. *Nec laboriosiùs aliquid quæritur*, tamen eodem attestante, *nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Totius hîc nostræ Fidei fundamentum, cujus cognitioni ipsâ per baptismum regeneratione addicimur & initiamur. Neque caliginem, aut lapsum metuas. Captivato in obsequium Fidei intellectu, lumen præfert fides Catholica. Si quid obscuritatis affundant Scholasticæ subtilitates, facem accendit Angelica D. Thomæ Aquinatis claritas. Cujus per omnia Doctrinam, & Doctrinæ ordinem sequi intendo. Ideo præmissis, quæ ad hujus mysterii existentiam & cognoscibilitatem pertinent, inprimis Divinas Processiones, tanquam nostro concipiendi modo fundamenta Relationum, tum Relationes, ceu constitutiva Personarum; demum ipsas Personas contemplationi Tuæ objicio, & cum S. Doctore in Missionibus earundem desino. Vale & fave.

DISPUTATIO XX.
DE
Veritate & cognoscibilitate mysterii SS. Trinitatis.

SS. Trinitatis mysterium, cui tota Christiana fides innititur, in eo consistit, quòd una indivisa & singularis essentia subsistat in tribus Personis, à se invicem realiter distinctis; & reciprocè, tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus S. à se invicem realiter distinctæ sint unius ejusdémque substantiæ. Contra quam veritatem, ut sanctam Catholicam fidem in ipsa radice opprimeret, varios hostes, & jam à primis Ecclesiæ temporibus excitavit pater mendacii. Ideo Theologi fungemur officio, si in præsenti Tractatu hoc principale mysterium nostræ S. fidei adversùs ipsius adversarios propugnabimus, eorum tela confringemus, atque abstrusas difficultates pro viribus elucidare conabimur: nunc relatas contra SS. Trinitatem hæreses referre, refellere, veritatem stabilire, objecta solvere, cognoscibilitatem quoque tanti mysterii disquirere, negotium erit.

ARTI-

ARTICULUS I.

De veritate & existentia hujus mysterii.

SUMMARIA.

1. *Triplex genus hæresum contra SS. Trinitatem.*
2. *Hæresis Ariana.*
3. *Ejus condemnatio, & Symbolum Nicænum.*
4. *Resuscitata per novatores.*
5. *Hæresis Sabelliana.*
6. *Hæresis Macedoniana & pneumatomachorum.*
7. *Veritas Catholica ex Conciliis & Symbolis.*
8. *Confessio SS. Trinitatis S. Gregorio Thaumaturgo revelata.*
9. *Argumenta ex veteri testamento, suadentia pluralitatem suppositorum in una natura.*
10. *Alia exprimentia Trinitatem.*
11. *Testimonia ex psalmis.*
12. *Ex trisagio Isaiæ.*
13. *Implantatum mysterium Trinitatis nomini tetragrammato.*
14. *Testimonia veteris testamenti indicantia processionem.*
15. *Testimonia novi testamenti.*
16. *Eliditur responsio adversariorum.*
17. *Textus Evangelici pro Verbi consubstantialitate.*
18. *Divinitas consubstantialis Spiritûs S. è scripturis.*
19. *Solvuntur objectiones hæreticorum.*

§. I.

Referuntur errores & hæreses contra SS. Trinitatem.

1. QUamvis complures hæreses, earúmque Authores numerari possint, qui adversùs SS. Trinitatis mysterium impia dogmata evomuerunt, in triplicem tamen classem commodè referri possunt. Quarum prima est Arianorum, Verbo & Filio Divino æqualitatem ac consubstantialitatem cum Patre directè (indirectè Spiritui S.) denegantium, eúmque proinde in temporalium creaturarum ordinem redigentium. Altera est Sabellianorum Arianismo oppositа; quæ omnem & substantialem distinctionem Personarum in Divinis tollit, ac Verbum & Spiritum S. non nisi denominativè & accidentaliter à Persona Patris distingui contendit. Tertia est Macedonianorum, quam excitârunt Discipuli Arii Macedonius & Apollinaris, qui præter alios errores directè (nam indirectè id ab Ario jam præstitum) Divinitatem Spiritûs S. oppugnârunt.

2. Arianismus igitur nomen & propagationem suam Ario debet; originem verò Origeni Adamantio, à quo blasphemam gradationem & inæqualitatem in mysterium Trinitatis introductam fuisse, quâ Patre Filius, Filio Spiritus S. sit naturâ, bonitate, dignitate posterior in libro περὶ ἀρχῶν, disertè perhibet S. Hieron. in epist. ad Avitum, & S. Epiphanius in epist. ad Jo. Hierosolimit. ubi Originem Arii patrem nuncupat; imò jam antè Hermogenes, ut habet Baron. ad an. 170. in similem impietatem erupit, ut creaturas necessariò & ab æterno productas, Filium verò & Spiritum S. liberè & in tempore à Patre productos assereret. Porro Arius in Libya natus, & à S. Petro Martyre Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus ordinatus, deinde ob Schismatis Miletiani communionem iteratò ab eodem D. Petro anathemate percussus fuit, qui & paulò ante martyrium Achillæ & Alexandro Presbyteris, pro Ario interpellantibus, edixit, sibi à Christo apparente revelatum, quòd Arius suam vestem, quæ est Ecclesia, conscidisset, ideóque monuit, ne, cùm sibi in Ecclesiæ Alexandrinæ regimine (ut divinitus agnoverat) successissent, Arium unquam in communionem admitterent. Summa Arianismi, ut apud Eminentissimum de Aguire testantur S. Athanas. orat. 2. & Alexander Episcopus Alexandriæ in epist. ad omnes orthodoxos, erat, Filium DEI *aliquando non fuisse*, proinde productum *ex non entibus*, h. e. ex nihilo, *mutationis, vitii & virtutis capacem, creaturam & opificium DEI*; quo *velut instrumento* Pater usus fuerit ad productionem aliarum creaturarum.

3. Ad hanc hæresin opprimendam sub Constantino M. coactum est ex toto orbe Concilium Nicænum, quod inter œcumenica primum numeratur; ubi præsidente per legatos B. Sylvestro Papa à trecentis & octodecim Patribus seu Episcopis, inter quos multi sanctitate & miraculis conspicui, hæresis Ariana condemnata & symbolo Apostolico præter alias particulas, vox *homousios*, seu *consubstantialis* Patri, addita fuit, quâ tanquam tesserâ Catholici ab Arianis dignoscerentur: isti enim tametsi Filium ὁμοιούσιον, homiusion, h. e. similem in substantia faterentur, ὁμοούσιον, tamen, hoc est, ejusdem substantiæ & consubstantialem esse negabant. Subscripsit quidem Nicænæ definitioni Arius, Episcopis quoque fautoribus ipsius in communionem receptis: sed interea venenum pectore coquens, & undique turbas movens, cùm per vim conaretur ab Alexandrino Episcopo Constantinopolit. communionem extorquere, divinâ ultione præventus infami morte è vita ejectus est. Nec inde tamen malorum finis; cùm pestilentissima hæresis totum non modò Orientem, sed & Occidentem, ope potissimum hæreticorum Imperatorum, plurimis annis vexaret.

4. Eandem demum hæresin multis sæculis oblivione sepultam resuscitare conatus est Michael Servetus, hac eadem de causa, & quidem ipsius Calvini suffragio à Genevensibus vivus flammis addictus. An verò non eodem suffragio sibiipsi Calvinus jus dixerit, viderint ipsius alumni, quando legunt in ipsius opusc. contra Gentilem editò an. 1566. *Nomen DEI per prærogativam propriè attribui Patri.* & approbantem illam hæreticam & olim ab Hermogene dissemiatam propositionem Valentini Gentilis: *DEVS potuit generare & producere, quia voluit.* ex quibus manifestè sequitur, Filium & Spiritum S. minùs propriè DEUM esse, adeóque in Divinitate Patri inæquales: item, non esse necessariò, sed liberè & contingenter productos, adeóque neque per es-

lentiam coæternos & immutabiles. Ibidem inquit, *Filii personam non nisi impropriè Creatorem cæli & terræ nominari.* Impropriam esse & duram orationem & illam Symboli Nicæni: *DEUS de DEO.* Illud quoque testimonium Jo. 10. *Ego & Pater unum sumus*, ex quo PP. Concilii Nicæni Christi Divinitatem & consubstantialitatem contra Arianos intulerunt, ad significandam voluntatum conformitatem juxta Arianorum interpretationem detorquet. Et in cit. opusc. pag. 1973. *Stolidam, vacuam, & profanam* vocat *eorum fidem, qui sentiunt credere in DEVM esse credere in Trinitatem.* Quorum plura similia vid. apud Gualterium in sæculo 16. c. 15. & Eminentiss. nostrum d'Aguire to. 2. c. 30. disp. 54. sect. 2. Nec melior Calvino Lutherus, qui apud Valentiam l. 1. de Trinitat. c. 7. *Animam meam odit vocabulum homousion*, in Germanicis Lytaniis an. 1543. editis expunxit illam invocationem: *S. Trinitas unus DEUS miserere nobis.* & ex ep. 1. Joa. c. 1. illa verba, quibus mysterium SS. Trinitatis disertè exprimitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.*

§. Sabellius etiam ex Libya oriundus circa annum Christi 257. asseruit, DEUM ut in natura, sic etiam singularem esse in personâ; quæ de Divinarum personarum distinctione in S. Scripturis legimus, ad diversas energias, munia, functiones referebat, dicens: unam eandémque trinominem personam appellari Patrem, prout est rerum omnium principium; Filium, prout est sapientia apparens & loquens in terris; Spiritum S. prout est Author Sanctitatis. Ejus verba fuere, quæ refert S. Athanas. orat. contra Arianos: *quemadmodum diversa sunt genera gratiarum, idem autem Spiritus, ita quoque Pater, cùm idem sit, dilatatur in Filium & Spiritum.* quem errorem sub aliorum Authorum nominibus jam præcessisse SS. PP. agnoscunt. Nam S. Hilarius l. 2. de Trinitate hunc errorem tribuit antiquissimis Ebionitis, dicentibus: Verbum in carnem delapsum nihil aliud fuisse, quàm sonum vocis. Cujus erroris confutandi gratiâ D. Joannes suum Evangelium edidit. Eâdem insaniâ delirârunt Patripassiani, quorum meminit S. Cyprianus ep. 73. sic dicti, quòd astruerent personam Patris, utpote à cæteris indistinctam, pro nobis fuisse passam & crucifixam. Eundem errorem, & confusionem 3. personarum in unum, docuit Praxeas quidam speciali libro refutatus à Tertulliano, à quo Praxeani, & Noëtus, à quo Noëtiani, prout fatetur S. August. in l. de hæresibus, ad quod vult DEUM.

Eandem impietatem effutiit Michaël Servetus cum suis asseclis, quem citatus Valentia propterea rectè appellat, *monstrum quoddam ex omnibus pene fabulis atque erroribus veterum hæreticorum compositum.* Nec multùm abluit Calvinus, quando l. 1. instit. c. 13. §. 16. definiit, personam esse *residentiam in essentia Divinâ.* Unde & Gualterius testatur, Doctorem Calvinianum à se interrogatum, quid de tribus personis divinis sentiret, audacter respondisse: *tres personas Divinas esse tria officia*, quomodo nec Sabellius suam impietatem breviùs aut meliùs expressisset.

Hæretici, qui Spiritûs S. Divinitatem impugnârunt, aut dignitatem depressérunt, universim vocantur pneumatomachi. Horum antesignanus fuit Simon Magus, ausus dicere se esse Spiritum S. Montanistæ quoque seu Cataphryges idem dicuntur asseruisse de suæ sectæ principe Montano; Origenes quoque teste S. Hieronymo loco cit. Spiritum S. honore & dignitate Patri, Filioque postposuit.

Post Nicænum denique Concilium, in quo, cùm nulla specialis disputatio de persona Spiritûs S. moveretur, etiam nihil specialiter de illa definitum fuit, teste tamen S. Athanasio in epist. ad Episc. Afric. per has ipsas voces post Filii divinitatem adjectas: (*Credimus & in Spiritum S. perfectam & plenam de S. Trinitate fidem, confessionémque absolvere voluerunt*) emersérunt Aëtius, à quo Aëtiani, Eunomius, à quo Anomæi, & Macedonius, à quo Macedoniani, qui omnes uno ore Spiritûs S. Divinitatem oppugnârunt, ut testatur S. Basil. epist. 78. & S. Gregor. Nazianz. ep. 1. ad Cledon. & orat. 37. Alius est error citra personam Spiritûs S. qui vocatur error Græcorum, non Spiritûs S. Divinitatem, sed processionem ex utroque negans, cujus refutandi infrà disp. 25. specialis locus erit.

Præter jam memoratos, jurati hostes Sacratissimæ Trinitatis in præsentem diem sunt Mahometani, qui cum Judæis & Arianis Filio DEI abrogant Divinitatem, Duce impiissimo Mahomete, qui suum Alcoranum è sentina superstitionum Hebraicarum, & Arianarum blasphemiarum congessit, usus magistris ex orco se dignis, uno Judæo, & altero Ariano.

§. II.

Veritas Catholica ex script. Conciliis, Patribus.

VEritas & fides Catholica expressa in Symbolo Athanasii est, ut *unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes,* quâ confessione paritet continentur fides trium hypostasum, duarum processionum, quatuor relationum, & quinque notionum in personis Divinis.

Et quidem adversus Arianos Divinitas & consubstantialitas Filii apertè definita fuit in Symbolo synodi Nicænæ; Divinitas Spiritûs S. verò, ejúsque consubstantialitas minùs apertè, eò quod de illa nondum oborta fuisset controversia: quam cùm posteà Macedoniani movissent, Symbolo Nicæno in Concilio I. Constantinopolitano, quod II. inter generales synodos numeratur, illæ voces fuerunt adjectæ: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit.* cúmque error Græcorum, negantium Spiritum S. à Filio procedere, invaleseret, voculam *Filioque* Latina Ecclesia posthimiò adjecit, atque in subsecutis Conciliis præsertim Lateranensi sub Innocentio tertio explicatissimè tradidit, ut habetur in C. firmiter. de SS. Trinitate.

Celebris quoque habebatur priscis Ecclesiæ temporibus illa fidei confessio, quam D. Gregorius Episcopus Neocæsariensis à magnitudine miracu-

raculorum thaumaturgus cognominatus, à DEIpara & S. Joanne Evangelista sibi apparentibus acceptam voce & scripto fidelibus commendavit; eamque teste Spondano ad an. C. 233. tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesia approbavit, & ut Sacrosanctum depositum cœlitus collatum religiosissimè custodivit. Illius apparitionis historia habetur descripta in quintâ Oecumenica synodo, fidei verò formulam à Gregorio Nysseno recitatam ex Spondano huc transcribere operæ pretium duxi: ita enimverò se habet: *Unus est DEVS Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, & Potentiæ & Figuræ æternæ. Perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, DEVS de DEO, Figura & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & Potentia Universæ Creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, visum effugiens, visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxii morte, & æternus æterni, Verus Spiritus S. ex DEO ortum & existentiam habens, quippe per Filium apparuit, videlicet hominibus: imago Filii perfecti perfecta; Vita, viventium causa, Fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur DEVS Pater, qui est super omnia & in omnibus, & DEVS Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloriâ, atque æternitate & regno non dividitur, neque abalienatur.*

9. Quamvis verò in Veteri testamento mysterium SS. Trinitatis, non tam clarè fuerit manifestatum, sicut in novo, prout dicetur in Tractatu de Fide, suppetunt tamen etiam argumenta multa & valida ex veteris testamenti pagina, per quæ veritatem SS. Trinitatis contra Judæos efficaciter probari SS. PP. agnoscunt. Nam primò S. scriptura præsertim in Genesi ita in Divinis exprimit pluralitatem suppositorum, ut iisdem pariter tribuat unitatem naturæ. Sic Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi Tò *faciamus*, & *nostram* exprimunt pluralitatem suppositorum creantium, Tò DEUS, & suam unitatem & solitudinem Divinitatis. Neque valet evasio Judæorum dicentium, DEUM tunc Angelos allocutum in creandi hominis Consilium adhibuisse; neque enim ad opus creationis Angelos concurrere potuisse aliunde suppono; *cùm enim sint creaturæ, non sunt conditores*, inquit S. Damascenus l. 2. fid. c. 3. & Athanas. se. 3. contra Arianos, per Tò verò *faciamus* concursus creativus exprimitur. Et c. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Gen. 11. v. 7. *Venite, descendamus & confundamus ibi linguas eorum, &c.* ubi utrobique pluralitas significatur; non DEOrum, ergo personarum.

10. Secundò sunt loca Vet. testamenti, quibus non tantùm exprimitur pluralitas, sed etiam trinitas personarum cum unitate Divinitatis, quæ prioribus addita tantò majus pondus probationis efficiunt. Sic D. Augustinus mysterium Trinitatis figuratum agnoscit in apparitione facta Abrahamo degenti in convalle Mambre. Gen. 18. *Apparuit ei Dominus* (sunt verba S. textûs) *in convalle Mambre; cúmque elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terra, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, &c.* In quem locum D. Augustinus l. 3. contra Maximin. c. 26. *Tres vidit*, inquit *& non Dominos sed Dominum appellat; quemadmodum Trinitas tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus DEVS.*

Idem repetit L. 2. de Trin. c. 11. & 12. quam interpretationem etiam amplectitur Ecclesia in responsorio quinquagesimæ: *Tres vidit, & unum adoravit*, sanctique PP. Hilarius l. 4. de Trinit. Cyrillus Alex. l. 1. contra Julianum & Athanas. dial. 3. de SS. Trinit. contra Macedon.

In illo quoque versu Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Trinitatem indicatam affirmat S. Hieron. *Trinitatis*, inquit, *majestas manifestissimè declaratur, Dominus, Verbum, Spiritus Domini.* Nec minùs in Versu 8. Psal. 66. *Benedicat nos DEVS, DEVS noster, benedicat nos DEVS. Benedicat nos DEVS Pater, inquit idem S. Pater, DEUS noster Filius, ipse enim DEVS noster. Et vocabis, inquit Isaias, nomen ejus Emmanuel. i. e. nobiscum DEVS. Benedicat nos DEVS, Spiritus S. Videte mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum.* Ne verò putaretur tres DEOS nominâsse, subjecit Psalmista in numero singulari: *& metuant eum omnes fines terræ.* 11

Celebertimus in Prophetiis locus est Isaiæ c. 6. v. 3. ubi Seraphim *clamabant alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEVS exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Ubi in To *Dominus DEVS Sabaoth* unitatem essentiæ, in trina repetitione Tò *sanctus* personarum trinitatem significatam non tantùm fatentur orthodoxi Patres, Cyrillus, Procopius, Ambrosius l. 3. de Spiritu S. c. 23. Augustinus l. 3 de fide ad Petrum c. 1. & Damasc. in Trisag. sed tota Ecclesia Catholica, quæ hoc sacrum Trisagion in singulis Dominicis post Pentecost. & Epiphan. decantat, & in V. synodo Generali, quæ fuit Constantinop. II. hanc interpretationem confirmat, DEUS quoque insigni prodigio illustravit, cùm ingens terræ motus post iteratum à populo Trisagion, *sanctus DEVS, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis* (quod puerulus in æthera abreptus ab Angelis decantari inaudiit, ac restitutus populum edocuit) Constantinopoli conquievit, de quo Baronius ad an. C. 446. Sed & ipsimet Rabbini, è quibus apud Galatin. l. 2. c. 1. Rabbi Simeon exponit prædictum locum, *sanctus hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus S.* idque ad sensum paraphrasis Chaldaicæ, in qua Rabbi Jonathas Uzielis filius ita legit: *sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus S.* quod ipsum Increatæ Triados mysterium in Deuteronomio c. 6. v. 4. à Moyse indicatum Rabbinos agnoscere testatur idem Galatinus, per illa verba: *Audi Israël, DEVS, DEVS noster, DEVS unus est.* 12

Ipsi quoque tetrogrammaton, & ineffabili DEI nomini Jehova implantatam fuisse expressionem SS. Trinitatis eruditè præter Galatinum observat Bonfrerius in Exod. c. 3. v. 14. constat quippe hoc nomen 4. litteris Hebraicis, iod, he, vau, he: quarum prima servilis est, & impertinens ad radicem hava, unde hoc nomen formatur, quòd- 13

quódque essentiam significat. Abjecta igitur litterâ servili iod, quæ non nisi formandi nominis gratiâ præponitur, remanent duo he, & unum vau, primum he significat DEUM Patrem, tanquam fontem, à quo essentia in Filium & Spiritum S. communicativè derivatur. Alterum he significat Filium, qui ex vi suæ originis per generationem procedit, ut imago & similitudo Patris. Littera vau, quæ est copulativa, denotat Spiritum S. qui ex personali propriatate est amor & nexus inter Patrem & Filium, & quia ex vi suæ originis non procedit formaliter in similitudinem naturæ, non dicitur exprimi per tertium he, sed per vau, quod personalem proprietatem & nexum duorum indicat; ideóque inter utrumque he, velut copula utriusque interjicitur.

Nec ipsa figura litterarum vácat mysterio, nam littera he, tempore Moysis scribebatur per lineam rectam, habentem tres lineolas transversales: & littera *vau*, scribebatur per unum calamum obliquum habentem tres cuspides, quæ sunt hieroglyphica trium personarum in unitate essentiæ. Chaldæi quoque volentes exprimere nomen tetragrammaton ponebant in forma triangulari tria *iod*, subjecto *camets*, & subinde etiam circumducto circulo, quo præter unitatem essentiæ, non tantùm distinctio personarum, sed etiam omnimoda æqualitas & æternitas signabatur.

41. Tertiò faciunt in confirmationem sacratissimi mysterii quidam textus Vet. testamenti, in quibus processiones & pluralitas personarum insinuantur, licèt Trinitas non exprimatur. Ita Genes. 19. v. 24. dicitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur à Domino de cælo.* ubi per Tò *Dominus à Domino* denotari Filium procedentem à Patre contendit S. Ignatius M. Epist ad Antioch. aliíque plurimi PP. allegati ab Eminentiss. Aguirre num. 20. imò, ut ibidem refertur, Concilium Sirmiense Can. 16. Anathema illi dixit, qui illa verba non de Patre & Filio dicta intellexerit.

Rursus distinctionem Filii à Patre probat efficaciter celebris locus Psal. 103. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* ex quo loco suam Divinitatem contra Judæos probat ipse Christus Matth. 22. & Petrus Act. 2.

15. Porro testimonia novi testamenti sunt ipsâ claritatis luce efficacissima. Trium Personarum identitatem & unitatem in substantia ostendit D. Joannes Ep. 1. c. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* quem versum tametsi jam olim Ariani & recenter Lutherus è Codice novi testamenti proscripserint, tamen in Ecclesia Catholica & quidem primitiva usurpatum, & pro Canonico agnitum fuisse eruditè probat Eminentiss. d'Aguirre loco cit. num. 30. & 31.

16. Opponunt quidem Adversarii: In eodem Epist. loco post v. 7. immediatè sequitur: *Et tres sunt, qui testimonium dant, in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*: sed ista non est unitas per identitatem: ergo neque in priori textu intelligenda est unitas per identitatem.

Respondeo primò: In Græco textu non haberi *hi tres unum*, sed *in unum sunt*: quod longè alium facit sensum, quàm (ut in præcedenti versu legitur) *hi tres unum sunt*: constat quippe etiam distinctissima, in unum tamen conspirare posse. Respondeo secundò ex D. Augustino l. 3. contra Maximin. c. 22. Evangelistam loqui de Spiritu, aqua & sanguine, tanquam de mysteriis significativis 3. Divinarum personarum: unde juxta subjectam materiam intelligendum esse hæc tria unum esse non entitativè, sed significativè: quia personæ Divinæ per hæc tria significatæ sunt unum in substantia; tria enim hæc ad significandam Trinitatem & unitatem personarum concurrerunt, quando Christus Dominus *in cruce tradidit Spiritum* & aperto latere *continuò exivit sanguis & aqua.* Respondent alii tertiò, significari, quòd sicut in morte Christi Spiritus, aqua & sanguis fuerunt unum in substantia humana Christi; ita 3. personæ sint unum in Divinitate. Et quartò alii, Joannem loqui de Sacramento baptismi, & significari, quòd sicut baptismus flaminis, fluminis & sanguinis sunt unum in ratione Sacramenti; sic Pater, Verbum & Spiritus S. in ratione Divinitatis.

Verbi Divini cum Patre consubstantialitatem specialiter probat (1.) ipsum initium Evangelii S. Joannis: *In principio erat Verbum & Verbum erat apud DEVM, &c.* quo, ut inquit D. Ambrosius l. 1. de fide Trinit. c. 5. *omnes hæreses excluſit piscator noster* (2.) Illud Joannis 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* quo tanquam fortissimo telo SS. Patres Arianam hæresin oppugnárunt: unde & Augustinus l. 5. contra Maxim num c. 14. exclamat: *quid est homousion, nisi ego & Pater unum sumus?*

Illo namque loco Christus intendit Judæis contestari suam æqualitatem & consubstantialitatem cum Patre: qua de causa increduli Judæi *sustulerunt lapides, ut lapidarent eum, dicentes: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, DEVM teipsum facis,*

Elegantissimè D. Augustinus Tract. 31. in Joannem: *Non dixit: Pater, ego sum: aut ego & Pater unum est, sed cùm dicit: Ego & Pater unum sumus, utrumque audi, & unum, sumus & à charybdi, & à scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quòd dixit, unum, liberat te ab Ario, quòd dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diversum: si sumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim non diceret de uno; sed unum non diceret de diversis.* (3.) Joannis c. 5. v. 17. Christus suam & Patris operationem facit indivisam, adeóque & potentiam ac naturam, *Pater meus*, inquit, *usque modò operatur, & ego operor; quæcunque enim ille fecerit, & Filius similiter facit. Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.* Quod bene intellexerunt Judæi, qui propterea *quærebant eum interficere*, quia *Patrem suum dicebat DEVM, æqualem se faciens DEO.* (4.) Jo. 14. *qui videt me*, inquit Christus, *videt & Patrem.* Ubi rursus indicatur naturæ identitas; non enim ex unius visione infertur visio alterius, nisi sint unius ejusdémque substantiæ. Unde Chrysost. h. 74. in Jo. *qui creaturam videt, non ideo videt DEI substantiam &c. Nemo, quid sit aurum nesciens, potest auri in argento videre substantiam.*

Ideo

Ideo Christus Philippo Patrem videre cupienti: *ostende nobis Patrem, &c.* non tantùm subjecit: *qui videt me, videt & Patrem meum*, supervacaneam ejus petitionem ostendens, sed insuper adjecit: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* quod fieri non posset, nisi esset una, eadémque utriusque substantia. (5.) Jo. 16. v. 15. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.* Et c. 17. v. 10. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Ubi iterum indicatur; quidquid perfectionis in Patre est, illud indivisim reperiri in Filio.

18. Cæterùm testimonia, quæ specialiter Christo Divinitatem tribuunt in Tract. de Incarnatione contra Nestorium & Arium proferemus. Spiritûs S. Divinitatem consubstantialem omnia Scripturæ testimonia probant, quibus tribuitur ipsi (1.) æqualitas & identitas cum Patre: ut 1. Joa. 5. *Hi tres unum sunt* (2.) virtus creativa, ut Psal. 109. *Emittes Spiritum tuum & creabuntur* (3.) sanctificatio, ut 1. Corinth. 6. *Justificati estis in Spiritu DEI nostri.* (4.) opus Incarnationis ut Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in te.* (5.) Opus miraculorum 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus.* (6.) Omniscientia, ut 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* (7.) Cultus latriæ, ut 1. Corinth. 6. *Nescitis, quia membra nostra templum sunt Spiritûs S glorificate, &c.* (8.) Gloria ultimi finis: ut 1. Pet. 7. *in quem desiderant Angeli prospicere.*

Distinctio quoque Spiritûs S. à Filio contra Sabellianos evincitur ex Joa. 5. ubi Christus de Spiritu S. loquens: *Alius est*, inquit, *qui testimonium perhibet de me.* Sed ubi est alius & alius, ibi est distinctio personarum. Sic rursus. Joa. 14. *Ego*, inquit, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.*

Eandem distinctionem probat Missio, quâ se Christus à Patre, & Spiritum S. à se & Patre missum vel mittendum testatur, de qua disp. 25.

Consignavit denique mysterii veritatem Verbum æternum, cùm formæ baptismi intexuit confessionem SS. Trinitatis: *In nomine* (quo unitas substantiæ astruitur) *Patris & Filii, & Spiritûs S.* ubi ponitur distinctio & æqualitas Personarum.

§. III.

19. *Objectiones hæreticorum.*

OBjiciunt hæretici, præsertim Ariani diversas Scripturas novi testamenti, quibus conantur evincere Verbum esse creatum. Nam primò Patri asseritur majoritas. Jo 14. *Pater major me est* (2.) Christus adnumeratur creaturis Colos. 1. *qui est primogenitus omnis creaturæ* (3.) Soli Patri tribuitur Divinitas. Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM vivum, & quem misisti Jesum Christum.* (4.) à Filio removetur omnipotentia: Jo. 5. *Non potest à se Filius facere quidquam.* (5.) Item omniscientia: *De die illa nemo scit, neque Filius hominis.* Marc. 13. (6.) tribuitur ipsi subjectio ad Patrem 1. Corinth. 15. *Cùm subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei.*

Respond. Hæc omnia rectè solvi unico dicto, & regulâ D. Athanasii in Symbolo: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.*

Cùm nempe in Christo sint duæ naturæ Divina & humana, ut evincitur è claris textibus Evangelii & Ecclesiæ definitionibus, Scriptura de Christo, & Christus de seipso aliquando tanquam de DEO, aliquando, tanquam de homine loquitur, quemadmodum & operationes Christi aliquando fuerunt Divinæ, ut resuscitatio Lazari, aliquando humanæ, ut lachrymatio, tristitia, &c. Ad prima igitur patet responsio ex Athanasio, nisi cum quibusdam PP. Græcis, & Hilario l. 9. de Trinitate, velis admittere majoritatem pro prioritate acceptam, quæ cum addito est majoritas originis, principii & Authoritatis, in quantùm Pater est principium, & quodammodò Author Filii. Ad 2. Resp. Christum etiam ut DEUM posse dici primogenitum omnis creaturæ, h. e. priùs genitum à Patre, quàm esset omnis creatura. Ad 3. Resp. Per exclusivam particulam *solum DEVM* excludi *aliam*, non *alind*, h. e. pluralitatem non suppositorum, sed naturarum. Ad 4. Respondet S. D. q. 42. a. 6. ad 1. quòd per hoc non *subtrahitur Filio aliqua Potestas, quam habeat Pater, cùm statim subdatur, quòd, quidcunque Pater facit, Filius similiter facit, sed ostenditur, quòd Filius potestatem habeat à Patre, à quo habet naturam.* Ad 5. Respond. Christum ibi de se etiam ut homine negare scientiam tantùm communicativam, & manifestativam, non quia diem illum extremi judicii non cognosceret, sed quia aliis cognitionem occultaret, ac instar ignorantis se haberet. Ita Hilarius l. 10 de Trinit. *Hæc nescitæ diei professio non est ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio.* Ad 6. Respond. Subjectionem & similia Christo tribui ratione assumptæ humanitatis.

Gentilium Philosophorum rationibus seq. mox articulo occurremus.

ARTICULUS II.

An mysterium SS. Trinitatis lumine naturali cognosci possit?

SUMMARIA.

1. *Diversitas sententiarum.*
2. *Principia naturalia in speciem contraria Trinitati.*
3. *Ostenditur mysterium Trinitatis non esse contra rationem naturalem.*
4. *Respondetur ad axiomata objecta.*

5. *Cur ista axiomata in Divinis non æque procedant, ut in creatis.*
6. *Ulterior ratio disparitatis.*
7. *Testimonia antiquorum Philosophorum pro Trinitate.*
8. *Testimonium Mercurii Trismegisti.*
9. *Testimonia Sybillarum.*
10. *Rationes naturales ad probandam Trinitatem.*
11. *Authoritas Apostoli & Anselmi.*
12. *Scriptura & PP. docent naturalem incognoscibilitatem Trinitatis.*
13. *Ratio Angelici Doctoris.*
14. *Ratio Divi Dionysii.*
15. *Ratio Scoti.*
16. *Neque datur probabile motivum naturaliter cognoscendi Trinitatem.*
17. *Ne quidem suppositâ aliquâ revelatione.*
18. *Congruentiæ quædam & vestigia Trinitatis explicativa hujus mysterii*
19. *Juxta Angel. Doctorem nemo Philosophorum agnovit Trinitatem.*
20. *Mercurium Trismegistum agnovisse probabile est; idque ex libris Moysis.*
21. *Sibyllarum oracula fuerunt ex revelatione.*
22. *Rationes in oppositum allatæ diluuntur.*
23. *Exponitur Authoritas D. Anselmi.*
24. *In statu puræ naturæ non daretur cognitio Trinitatis.*

1. QUadrifariàm diviſæ inveniuntur ſententiæ. Sunt, qui dicant, myſterium Trinitatis eſſe contra rationem naturalem, quæ tribuitur Holkot in 1. diſt. 3. Secunda è diametro oppoſita docet, lumine rationis naturalis demonſtrativè & evidenter cognoſci poſſe, quæ fuit ſententia Abaillardi impugnati à D. Bernardo, tribuitur quoque Raymundo Lullio, & ex parte Auguſtino Eugubino. Tertiò. Alii mediâ viâ incedentes exiſtimant, ſuppoſitâ aliqua prævia fide & revelatione poſſe lumine naturali certò deveniri in notitiam Trinitatis, cujus ſententiæ videtur fuiſſe Rich. à S. Victore. Quarta demum S. Anſelmi & D. Th. Aquinatis communisque DD. eſt, Rationem naturalem, ſive ſuppoſitâ, ſive non ſuppoſitâ revelatione non poſſe obtinere poſitivam & convincentem notitiam hujus myſterii.

§. I.

Myſterium SS. Trinitatis non eſt contra rationem.

2. TAm Gentiles polytheitæ, quàm hæretici Tritheitæ, Ariani, aliique oppugnant myſterium SS. Trinitatis, eò quòd repugnet lumini rationis naturalis. Nam primò ajunt, adverſatur illi notiſſimo principio Dialectico: *quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* & alteri huic affini: *quidquid affirmatur de uno, affirmatur etiam de altero identificato cum illo*, vel, *quod dicitur de omni, dicitur de quolibet contento ſub illo.* Quorum utrumque principium innititur illi irrefragibili veritati lumine naturæ & ex terminis notæ. *Quodlibet eſt, aut non eſt.* Vel, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera, vel falſa.*

In myſterio autem Trinitatis tres perſonæ ſunt idem cum eſſentia Divina, nec tamen ſunt idem inter ſe: neque quæ dicuntur de eſſentia, eadem verificantur de perſonis, cùm illa communicetur, perſonæ non communicentur. Rurſus: Lumine naturæ notum eſt, quòd, ubi eſt ordo originis & proceſſionis unius ab altero, ibi non ſit ſimultas naturæ: oppoſitum eſt in Trinitate, ubi non obſtante proceſſione unius perſonæ ab altera, nihilominus eſt ſimultanea omnium coæternitas & coexiſtentia. Non minùs cum rationis naturalis dictamine pugnat, eſſe, quod eſt in producto, non diſtingui ab eſſe, quod eſt in producente, & productum in ſuo eſſe non dependere à producente, quod tamen admittendum eſt in Trinitate perſonarum.

Sed vera & Catholica omnium DD. ſententia eſt, myſterium SS. Trinitatis nequaquam eſſe contrarium rationi naturali. Nam primò verum non repugnat vero, ſed veriſſimum eſt myſterium SS. Trinitatis; lumen quoque rationis naturalis, utpote mentibus à DEO infuſum eſt verum: ergo impoſſibile eſt, ut myſterium SS. Trinitatis ſit contra rationem naturalem, quamvis eandem infinitis paſſibus ſuperprediatur. Secundò, quæ ſibi contrariantur, intra ejuſdem ordinis limites contineri debent: ſed veritas SS Trinitatis longiſſimè excedit ordinem & limites rationis ac luminis naturalis: ergo ipſi contrariari non poteſt. Unde tertiò. Ut myſterium SS. Trinitatis eſſet contra rationem naturalem, deberet oſtendi aliquod principium irrefragabile, ex quo per legitimam conſequentiam deduceretur repugnantia ipſius; atqui nullum ejuſmodi principium & diſcurſus oſtendi poteſt, ut ex oppoſitarum rationum ſolutione patebit.

Igitur ad 1. Reſpondeo juxta dicta in primo Tractatu Diſput. 4. a. 3. illud axioma (quod fruſtra aliqui conantur vocare in dubium) non refragari myſterio Trinitatis: nam quæ ſunt eadem uni tertio adæquatè, & tam re, quàm ratione, tam formaliter, quàm virtualiter, ſunt eadem inter ſe, concedo; quæ ſunt eadem uni tertio inadæquatè & identitate reali formali, non autem rationis & virtuali, nego. Atqui Pater identificatur cum Divina eſſentia, ut non identificetur cum omni eo, cum quo eſſentia identificatur, nempe cum Filio & Spiritu S. quòd eſt inadæquate identificari, & identificatur cum ipſa formaliter, ut tamen ratione & virtualiter diſtinguatur. Ad 2. quoque & 3. Reſp. illa axiomata rationis naturalis non niſi de rebus creatis, materiæ & potentialitati immerſis verificari, quia ortum trahunt à rerum limitatione & potentialitate, neque ſub aliquo communiſſimo principio, vel termino tam enti increato quàm creato communi habere locum.

Si petas rationem, cur iſta axiomata in rebus creatis procedant, fallant verò in Divinis? & cur in creatis abſque limitatione valeat iſta regula: quæcunque ſunt eadem &c. in Divinis verò non niſi limitatè, *ſi ſint eadem adæquatè, re & ratione? &c.* Reſpondeo primò rationem eſſe, quòd hoc ſit præcipuum fundamentum Fidei

Fidei mysterium, quod omnem rationem transcendit, ideoque intellectui in obsequium Fidei captivato sufficere debeat, quòd & unitas Deitatis, & personatum ternarius nobis in SS. Scripturis sit revelatus.

Hâc responsione olim compescuére Arianorum importunitatem SS. PP. *Suscipimus* (inquit D. Augustinus l. 1. de Trinitate c. 1.) *eam ipsam, quam flagitant, reddere rationem, quòd Trinitas sit unus DEVS & solus & verus: & quàm rectè Pater & Filius & Spiritus S. unius ejusdémque substantiæ vel essentiæ esse dicatur, credatur, intelligatur.* Eleganter Hilarius l. 8. de Trinit. *Sapientiæ hæc veritas est, interdum sapere, quod nolis* Et graviter Tertullianus de præscript. *Qui fidem quærit, rationem non quærit. quid Athenis & Jerosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui monet DEVM in simplicitate cordis quærendum.* Optimè Cassianus l. 4. de Incar. c. 6. *Rationem quærimus? non reddo. Interim DEVS hoc dixit: DEVS locutus est mihi. Verbum illius summa ratio est.*

Respondeo secundò. Disparitatem inter DEUM & creaturam involui in ipsis terminis; quia DEUS est actus purus, simplicissimus, omnis autem creatura ens finitum, limitatum, & immersum potentialitati; unde regulæ & axiomata in rerum creatarum inductione fundatæ, in Divinis fallunt. Audi Nazianz. orat. 5. de Theol. Eunomii argumentis respondentem: *Profectò turpe est, nec turpe solùm, sed etiam admodum stultum & inane, ex humilibus & terrenis rebus superiorum simulacrum sumere, quodque Isaias ait, viventia in mortuis quærere.* Nempe: *Negat quodammodo DEVM, quisquis rationibus humanis DEVM metiri conatur.* inquit S. Zeno Veron. Sermon. de fide.

De his quoque regulis loquens Cyrillus Alex. l. 11. in Jo. ita tum Gentilium, tum hæreticorum argumenta refellit; *Si nihil inter nos & DEVM est discriminis, Divina nostris metiamur. Sin autem incomprehensibile est intervallum, cur naturæ nostræ defectus canonem & regulam, ac normam DEO præsumant ex iis, quæ nobis impossibilia sunt, necessitati subjicientes naturam omni necessitate potiorem?*

6. Declaratio ulterior potiùs, quàm ratio disparitatis est, quòd DEUS sit actus purus, infinitè simplex, cujus exemplum non reperitur in creaturis, hoc ipso quòd sint creaturæ. Est autem de ratione actûs puri habere omnem perfectionem & actualitatem, ac de ratione infinitæ simplicitatis, illam omnem sibi identificare, & esse totum, quod habet. Cùm ergo inter perfectiones aliæ sint absolutæ, aliæ relativæ, ut fœcunditas, productivitas, &c. consequitur, quòd DEUS in sua essentia per simplicissimam identitatem complectatur omnes perfectiones tam absolutas, quàm relativas, adeoque etiam earundem prædicata formalia & essentialia: atqui essentiale est perfectionibus relativis habere inter se oppositionem & distinctionem relativam realem, quod non est essentiale perfectionibus absolutis, nisi ratione adjunctæ limitationis; ergo DEUS in sua essentia ita sibi identificat omnes perfectiones tam absolutas, quàm relativas, ut in absolutis & relativis ad absolutas comparatis nulla sit nisi virtualis propter eminentē æquivalentiam, in relativis ad se mutuò comparatis sit actualis realis distinctio. Huc digitum intendit S. D. in 1. dist. 33. q. un. a. 1. ad 2. *In nulla re creata invenitur aliquid simile Divinæ simplicitati, ut habens sit id, quod habetur. Omnia enim similia, quæ possent induci, vel de punctis, vel de differentiis existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine, quam similitudine, &c.*

Hinc sapienter monet Eminentiss. noster de Aguirre, illud axioma: *quæcunque sunt eadem uni tertio, &c.* si sub communissima ratione abstrahente à creatis & increatis sit accipiendum, non nisi sub distinctione prius data admitti posse. *Si sint eadem adæquate, tam re quam ratione, tam formaliter quam virtualiter*, concedo; secùs, nego. Cætera verò præmissa axiomata Philosophorum, quia desumpta ex inductione rerum creatarum potentialitati immersarum ad Divina applicari non possunt, prout pluribus deducit Illustrissimus Reding. q. 11. a. 1. controvers. 2. à n. 11.

§. II.

Argumenta Suadentia existentiam vel possibilitatem Trinitatis ratione naturali evidenter aut probabiliter cognosci posse.

PRimum argumentum movet Eugubinus l. 1. 7. de perenni Philosophia ex testimoniis antiquissimorum Philosophorum, qui processionem Verbi Domini, imò ipsam Trinitatem scriptis consignârunt, non utique revelatione Divinâ, cujus erant expertes: ergo lumine naturali & instructione à Chaldæis in Ægyptios, ab his in Phœnices & Græcos derivatâ: concordat S. Cyrillus Alexand. l. 2. contra Julian. adducens Orpheum ita canentem.

Cælum adjuro te DEI Magni sapiens opus,
Vocem adjuro Patris, quam locutus est primùm,
Quando nondùm universum suis firmavit consiliis.

Ubi vox Patris aliud intelligi nequit, quàm Verbum divinum. Magi quoque Chaldæi Zoroastris posteri dixisse feruntur: *Omnia perfecit Pater, ac Menti tradidit secundæ, quam vocat primam omne hominum genus.*

Ex Græcis quoque sapientibus præpter Athanagoram Plato inducitur, qui tum alibi, tum in Phileto, Mentem, Græcè νοῦν à Bono (sic Patrem & primum principium appellabat) distinguens de illa sic loquitur. *Hunc igitur, inquam, vocare me dicito illius Boni fœtum, quem Bonum sibimetipsi proportione quâdam respondentem genuit.* Unde & postea Platonici duo distingebant rerum principia τὸ ἀγαθὸν, καὶ νοῦν. Bonum & Mentem.

Cumprimis verò allegatur Hermes seu Mercu- 8.
rius Trismegistus, h. e. ter maximus, ob sapientiæ præstantiam sic dictus, Sacerdos Ægyptius, Philosophorum facilè antiquissimus, quem aliqui Moyse antiquiorem tempore Abrahami vixisse contendunt. Suidas apud Eugub. l. 2. c. 17. affirmat, nomen Trismegisti eidem impositum ob enuntiatum Trinitatis mysterium, sic enim de ipso loquitur: *Mercurius ter Maximus is fuit sapiens Ægyptius. Floruit ante Pharaonem. Appellatus est ter Maximus, quoniam de Trinitate edidit*

edidit oraculum, dicens, in Trinitate unam esse Divinitatem, his verbis. Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale. Et erat semper Mens Mentis luminosa. Et nihil aliud erat, quàm horum unitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc non DEVS, non Angelus, non substantia ulla alia. Omnium enim Dominus & Pater, & DEVS, & omnia sub ipsum, & in ipso sunt. Nam verbum ejus perfectum, existens, & fœcundum & opifex lapsum in fœcunda natura, & aqua fœcunda prolificam fecit aquam. Celebratur præ aliis dictum ejusdem Trismegisti, quo Mysterium SS. Trinitatis haud obscurè significavit: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.*

9. Nec prætermittenda sunt vaticinia Sibyllarum, quæ non tantùm Incarnationis, sed etiam Trinitatis mysterium distinctis verbis indicârunt, iisque D. Justinus M. Clemens Alex. aliique Ecclesiæ PP. tanquam principiis admissis à Gentilibus contra eosdem Gentiles sæpe pro Christiana veritate pugnârunt. Sibyllæ Delphicæ adscribendum oraculum existimat Eminentiss. de Aguirre disp. 53. sc. 4.

Principio DEVS est, tum Sermo & Spiritus istis
Additur: Æquæva hæc sunt, & tendentia in
unum.

Non minùs exprimitur Trinitas in illo carmine, quod habetur l. 6. oracul. Sibyllinorum.

Æterni Magnum Natum cano pectore ab imo.
Cui solum Genitor tribuit supremus habendum,
Nondum progenito siquidem de corpore duplex
Extitit. Est autem perlutus fluctibus amnis
Jordanis, glauco cujus pede voluitur unda.
Et igne ex primo primus DEVS, qui & suavem
Spiritu factum albis alis columbæ, &c.

Ubi sermo habetur non tantùm de Genitore, & genito, de quo frequens mentio, & penè graphica descriptio in carminibus Sibyllinis, sed etiam de Spiritu S. in Christi baptismate apparente sub specie columbæ. Et ne quis existimaret, plures DEOS asseri in 3. personis etiam unitas habetur expressa in l. 8. illo versu:

Solus enim DEVS est, non est DEVS alter ab illo.

Cæterùm neque antiqui Philosophi, neque Sibyllæ mysterium SS. Trinitatis aliunde, quàm ratione naturali didicerunt; præsertim cùm D. Ambrosius in Comment. Ep. 1. Corinth. c. 11. expressè dicat, Sibyllas Diabolico potiùs, quàm Divino spiritu agitatas oracula edidisse.

10. Ex ratione quoque ducitur argumentum: Ratio naturalis dictat Ens actualissimum esse illimitatum: rursus, eadem ratio dictat, intelligentiam actualissimam esse sui intelligibiliter expressivam, & inclinativam in sui amorem: atqui Verbum procedit per expressionem intelligibilem, & Spiritus S. per amorosam inclinationem: ergo per rationem naturalem deveniri potest in cognitionem diversarum processionum, adeóque & mystetii totius SS. Trinitatis.

Secundò. Ratio naturalis dictat bonum esse sui communicativum: adeóque quantò majus bonum, tantò perfectius sui communicativum: sed eadem ratio dictat DEUM esse summum & infinitum bonum: ergo pariter dictat DEUM esse summo & infinito modo communicativum: sed ista infinita communicatio fit per processionem ad intra, quâ simul communicatur consubstantialitas naturæ, in quibus totum mysterium Trinitatis consistit: ergo ratione naturali mysterium Trinitatis deprehendi potest.

Tertiò. Gignere sibi simile est magna perfectio, DEO nequaquam deneganda, unde dicitur Is. 66. *qui alios parere facio, ipse non pariam? qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero?* ergo dari in DEO processionem generativam naturali lumine cognosci potest.

Quartò. Perfecta amicitia non datur sine personarum sese reciprocè amantium æqualitate; neque perfecta felicitas sine æqualium societate: sed neque perfecta amicitia, neque felicitas DEO deneganda est, ut lumen rationis dictat: ergo in illo admitendam esse æqualitatem plurium personarum dictat ratio naturalis.

Denique & S. Anselmi authoritas in hanc sententiam allegatur, qui exponens illud Rom. 11. *Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, dicit, nomine virtutis rectè intelligi filium, & nomine *Divinitatis* Spiritum S. uti & Cyrillus l. 1. Thes. c. 5. probat, per virtutem DEI in illo sacro textu significari Filium. Atqui hoc loco Apostolus redarguit antiquos Philosophos tanquam inexcusabiles, quòd cùm Veritatem Divinitatis lumine naturali cognovissent, non tamen ut par erat, DEUM glorificaverint: ergo agnoscit Apostolus distinctionem trium personarum à Philosophis naturali lumine agnitam fuisse.

§. III.

Resolutio negativa.

COmmunis tamen Catholicorum DD. sententia est in claro S. Scripturæ textu fundata, non posse ratione naturali, discursu vel evidenti, vel positivè probabili perveniri in notitiam SS. Trinitatis. Sic indicavit Christus Matth. 11. cùm dixit. *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* & c. 16. ad Petrum *caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, &c.* Apostolus quoque 1. Corinth. 2. v. 7. & 8. *Loquimur DEI sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit.*

Ita & SS. PP. loquuntur. D. Ambros. l. 1. de fide ad Gratianum: *Non potest homo suâ intelligentiâ æternæ generationis scire secretum: mens deficit, os silet, &c.* D. August. l. de Spirit. & c. 22. *Et his, quæ cognoscuntur à nobis, quædam sunt infra rationem, ut ea, quæ sensu percipimus: quædam autem secundum rationem, ut ea, quæ ratione percipimus; quædam denique supra rationem, quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed aut Divinâ revelatione comprehenduntur, aut Divinarum Scripturarum auctoritate creduntur: ut DEUM in una substantia esse personaliter trinum.* D. Anselmus noster monolog. c. 62. *Videtur mihi hujus tam sublimis rei secretum transcendere omnem intellectûs aciem humani, & idcirco conatum explicandi qualiter hoc sit, continendum puto.*

Probatur primò ratione ex Aug. Doct. q. 32. a. 1. desumpta. Non datur de DEO naturalis cognitio, nisi per creatos effectus, qui ratione suæ intrin-

intrinsecæ dependentiæ ducunt in cognitionem creatoris, à quo procedunt: sed effectus creati non procedunt à DEO, ut trino, & secundùm proprietates aut subsistentias relativas; sed ab ipso ut præintellecto relationibus, secundùm rationem omnipotentiæ & artis communem omnibus Divinis Personis: ergo naturali lumine Trinitas, ne quidem, ut possibilis cognosci potest. Nam si ut possibilis cognosceretur, cognosceretur etiam ut actu existens, cùm nihil DEO intrinsecum sit possibile, quòd non hôc ipsô sit in DEO.

Secundò. Præcipuum fidei nostræ mysterium & fundamentum lumini naturali non potest esse pervium, juxta citatum Apostoli textum. *Loquimur DEI sapientiam, &c.* sicut enim ipsa fides, sic vel maximè fundamētū fidei debet esse inevidens.

14. Tertiò probatur ratione desumptâ ex S. Dionysio c. 7. de Divin. nomin. Triplex est modus cognoscendi Divina: primus per detractionem, h. e. ablationem imperfectionum, quæ reperiuntur in creaturis, veluti cùm DEUM dicimus incomprehensibilem, immortalem, immutabilem &c. Secundus quasi per additionem & supereminentiam perfectionum, quo modo SS. PP. DEUM appellant supersapientem, superbonum, &c. quo significantur perfectiones, DEO nobisque analogicè communes modo infinitè perfectiori reperiri in DEO. Tertius per ascensum ab effectibus ad causam. Sed nullo ex his omnibus modis possumus naturaliter habere evidentem cognitionem Trinitatis: ergo. Non primô modô: quia Trinitas non affirmatur de DEO per remotionem alicujus imperfectionis repertæ & cognitæ in effectibus creatis: neque nobis naturaliter constare potest, an sit possibilis talis perfectio. Non secundò modô, quia per illum manuducimur ad cognoscendas perfectiones Divinas, quæ nobiscum sunt analogicè communes. Non tertiò modô, quia, ut dictum, SS. Trinitas non causat ista creata secundùm suas proprietates personales, sed secundùm perfectiones absolutas sapientiæ, artis, omnipotentiæ, &c.

15. Probatur quartò argumento subtilis Scoti. Prædicata, quæ per se propriissimè includuntur in conceptu subjecti, cognosci nequeunt illo lumine, quo obtineri non potest quidditativus & propriissimus conceptus subjecti: sed Trinitas personarum in unitate substantiæ est propriissima DEO, & incommunicabilis creaturæ: ergo lumine naturali, quo quidditativum DEI conceptum habere non possumus, nequit penetrari.

16. Quæ argumenta evincunt, neque positivam probabilitatem hujus mysterii naturali ratione obtineri posse; nam & ista principium habet à sensibus, sed ne probabilis quidem connexio alicujus creaturæ sensibus perceptæ cum relativis subsistentiis cognosci potest. Præterea omnis etiam probabilis discursus nititur illo principio, *quæcunque sunt eadem uni tertio, &c.* sed ratio naturalis potiùs oppositum deduceret ex hoc principio, quàm mysterium Trinitatis. Unde: illud virtute luminis naturalis cognosci non potest, quod transcendit prima principia ipsius: sed mysterium Trinitatis transcendit prima principia nostri intellectûs: nempe dictum de omni & nullo: quæcunque sunt eadem, &c. ergo.

17. Sed nunquid saltem suppositâ revelatione SS. Trinitatis potest intellectus invenire rationes evidenter aut probabiliter illativas ejusdem mysterii, vel ex alterius veritatis supernaturalis v.g. visionis beatificæ revelatione procedere ad inferendum SS. Trinitatis mysterium; sicut suppositâ revelatione rationalitatis in Christo, infert evidenti discursu, Christum esse risibilem? Sed ne hoc quidem est admittendum; non enim ulla revelatio facit, ut sit aliqua connexio hujus mysterii cum effectibus creatis, vel ut illud contineatur sub principiis nostri intellectûs, sed ipsum remanet primum principium indemonstrabile nostræ S. fidei: ergo neque factâ revelatione datur evidens vel positivè probabilis cognitio Trinitatis. Dixi: positivè probabilis; nam negativè datur evidentia Trinitatis, in quantùm solvi possunt omnia argumenta opposita contra Trinitatem, de quo hoc loco non est disputatio.

18. Præterea suppositâ revelatione dantur quædam congruentiæ, umbræ & vestigia Trinitatis in rebus creatis: quibus hujus mysterii credibilitas confirmari & declarari possit: quæ tamen, quia plus continent recessûs, quàm accessûs, dissimilitudinis quam similitudinis, ad veram probabilitatem adstruendam non sufficiunt.

Porro ejusmodi vestigia SS. Trinitatis cernuntur in ternario numero multifariàm rebus creatis insita. Nam (ut observat Contensonus) tres gradus essendi, videlicet esse, vivere & intelligere totam componunt creaturarum universitatem: 3 sunt rerum seu corporum naturalium principia apud Peripateticos, privatio, materia & forma; apud Chimicos, sal, sulfur, & mercurius. 3. genera entium, purè Spirituale, purè corporeum, & corporeo-Spirituale: tres hierarchiæ Angelorum, & cujuslibet hierarchiæ tres ordines: triplex animæ facultas, intellectus, memoria & voluntas: tres proprietates entis, tres corporis dimensiones, &c. unde nec mirum, quòd Gentiles ternarium numerum quasi sacrum in sacris suis observaverint, sive quâdam observatione naturæ, sive instinctu Diaboli Divinum cultum affectantis. quemadmodum & Peruanos 3. solis statuas adorâsse, refert cit. de Aguirre num. 16.

Nonnullas etiam idoneas similitudines ad exponendam Trinitatem refert D. August. ut Serm. 38 de V. D. quòd sicut *in* eodem *tempore simul sunt ignis, splendor & calor; ita & in æternitate simul sint Pater ignis consumens, Filius candor lucis æternæ, & Spiritus S. suo amore corda nostra calefaciens.* Et Serm. 1. de V. Ap. c. 53. adducit similitudinem solis, in quo uno sunt *cursus, splendor & calor.* l. 14. de Trinit. c. 8. Tres animæ operationes. *Mens*, inquit, *meminit sui, intelligit se; hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem DEVM, sed imaginem DEI.* Quæ omnia tamen, ut dictum, etsi tantum mysterium rudioribus aliquatenus adumbrent, tamen ad probativum medium non sufficiunt, cùm adhuc semper major disparitas quàm paritas cum summæ Trinitatis mysterio reperiatur.

§. IV.

Satisfit fundamentis in oppositum adductis.

19. AD argumentum è Scriptis antiquorum Philosophorum petitum universim respondet Angeli-

gelicus Doctor q. 32. a. 1. ad 1. Philosophos *non cognovisse mysterium Trinitatis per propria, quæ sunt paternitas, filiatio, & processio, sed secundùm quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis*, nempe potentiam, sapientiam & bonitatem. Speciatim de Platonicis respondet, quòd, cùm uterentur vocabulo *Verbi*, illud non intellexerint, *secundùm quod Verbum significat Personam genitam in divinis, sed secundùm quod per Verbum intelligitur ratio idealis, per quam DEVS omnia condidit, quæ Filio appropriatur*: imò quod *posuerint unum primum ens*, quod vocârunt *Patrem totius universitatis rerum*, deinde *aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, in qua erant rationes omnium rerum; non tamen ponebant tertiam substantiam, quæ videretur Spiritui S. respondere*: unde Plato non Trinitatem æqualium Personarum in unitate substantiæ, sed vel solùm principiorum dualitatem, vel ad summum triplicitatem agnovit, cùm inæqualitate & distinctione naturarum, ita ut summa natura esset in Patre, in cæteris verò inferior & dependens à Patre; qui (inquit rursum loco cit. S. D.) *fuit error Origenis, & Arii sequentium Platonicos*, quo ex capite Tertullianus Platonem *omnium hæreticorum condimentarium* appellavit. Trismegistum quoque D. Thomas sic interpretatur: *Cùm dixit*: Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem: *non est referendum ad generationem Filii, vel processionem Spiritûs S. sed ad productionem mundi. Nam unus DEVS produxit unum mundum propter suipsius amorem.* Ita Doctor Angelicus.

20. Non tamen eo inficias, SS. Trinitatis arcanum probabiliter à Mercurio Trismegisto cognitum & Scriptis traditum fuisse, siquidem ipsius testimonio antiqui PP. usi fuerunt adversus Gentiles, & Lactantius l. 1. divin. instit. c. 6. & l. 4. c. 6. & 7. *Non dubito, quin ad veritatem Trismegistus hâc aliquâ ratione pervenerit: qui de DEO Patre omnia, de Filio verò locutus est multa, quæ Divinis continentur arcanis.* Ergóne ad illius summi arcani cognitionem naturalis rationis ductu pervenit? Nequaquam: nam quidquid nonnulli sentiant de isthus Mercurii antiquitate, eúmque Moyse antiquiorem faciant; longè verosimilius est, Moysen juniorem fuisse, atque ex ejus tum dictis, tum scriptis veritatem Trinitatis hausisse, siquidem Moyses Inacho & Isidi, quam Ægyptiis litteras tradidisse, Græci suis fabulis inserverunt, ex D. Justini & Tertulliani mente coævus fuit; imò eundem Moysen non tantùm inter sacros, sed etiam prophanos scriptores primum fuisse, ac propter litterarum inventionem, modò sub Anubis, modò sub Mercurii schemate & nomine ab Ægyptiis pro DEO habitum & honoratum, eruditè probat Eusebius Nierenberg. de Orig. S. Scripturæ L. 3.

21. Quod ad Sibyllas attinet, constat eas supernaturali instinctu & revelatione futura didicisse; neque refert, quòd simul fuerint Gentilium Diis sacrisque addictæ: est enim prophetia gratia gratis data, quæ non requirit sanctitatem subjecti; voluitque DEUS ad majorem evangelii præparationem uti ministerio istarum Gentilium Virginum, ut ipsarum ore Gentiles Divino Verbo incredulos confunderet, suisque armis oppugnatos; quemadmodum & ipsi Dæmones Christi adventum enunciare è suis idolis coacti fuere.

Ad primam rationem Respondeo. Etiamsi natio naturalis dicat Ens actualissimum esse intellectivũ adeóque expressivum & prosecutivum sui expressione & amore essentiali, non tamen expressione & amore notionali cum distinctione personalium proprietatum in unitate essentiæ.

Ad 2. Respondeo. Intellectum sibi relictum contentum fore, quòd DEUS ceu bonum infinitum sit infinitè sui diffusivum per productionem & creationem è nihilo, quæ requirit virtutem infinitam, nulli creaturæ communicabilem. Ipsam, verò communicabilitatem ad intra non nisi revelatione potest cognoscere.

Ad 3. Respondeo. Abstrahendo à revelatione, gignere sibi simile non esse perfectionem gignentis; neque enim à natura intenditur propter perfectionem gignentis & individui, sed propter perfectionem & bonum speciei, ideóque non reperitur in Angelis, ubi non datur corruptibilitas & multiplicatio individuorum sub una specie. Porro Divinæ generationis arcanum cùm infinities superet generationem humanam, ab ista non est fas ad illam argumentari: unde & Isaias: *Generationem ejus quis enarrabat!* Sed neque cognitâ generatione sequitur cognosci identitatem naturæ in genito & processionem Spiritûs S. Adeóque nec admissâ cognitione generationis adhuc cognosceretur mysterium SS. Trinitatis.

Ad 4. Respond. Per rationis naturalis judicium nullam amicitiam & societatem quæ dari possit intra DEUM, quem infinitæ naturæ conditionem nemini parem esse fineret; cùm tamen perfecta amicitia & societas non nisi inter pares, aut similes inveniatur. Diceret quoque, amicitiam & societatem esse infirmitatis humanæ præsidia, quæ in DEUM transferri non debent, qui *bonorum astrorum non eget*, & soli sibi sufficit unus.

Ad ultimum ex D. Anselmo adductum. Respondeo ex S. D. supr. cit. antiquos Philosophos per ea, quæ facta sunt, cognovisse DEUM trinum, secundùm prædicata communia, ut sunt virtus, potentia, sanctitas, Divinitas, quæ tribus personis appropriantur, ita tamen, ut ejusmodi appropriationis peculiares rationes, & proprietates personales non cognoverint, adeóque nec DEUM ut Trinum, sed ut unum solummodò ex creaturis agnoverint.

Inferes ex dictis: si daretur status puræ naturæ, in illo nullam haberi posse cognitionem Trinitatis. Ratio est: quòd status puræ naturæ præscindat ab omni dono supernaturali; sed impossibile est sine lumine supernaturalis revelationis cognosci SS. Trinitatem, ut hucusque probavimus: ergo pariter est impossibile, ut in statu puræ naturæ cognoscatur mysterium SS. Trinitatis.

DISPU-

DISPUTATIO XXI.
DE
Divinis processionibus.
Ad q. 27.

PRæmissis in priori disputatione præliminaribus, nunc ad ipsius SS. Mysterii particularem expositionem progredimur; & quia Divinæ Personæ constituuntur relationibus; relationes vero fundantur in processionibus; ideo cum S. D. primò de processionibus, deinde de relationibus, disputabimus.

ARTICULUS I.

An, quæ, & quot sint processiones in Divinis?

SUMMARIA.

1. *Processio quid nominis?*
2. *Veritas Catholica de existentia processionum.*
3. *Ratio illarum.*
4. *Numerus processionum.*
5. *Quo sensu in Divinis sit Ens ab alio?*
6. *Nulla sequitur dependentia in persona procedente.*
7. *Disparitas de visione beatifica.*
8. *In Divinis non datur causa, aliud, alter, principiatum: datur alius, & principium.*

§. I.

Existentia & numerus processionum.

1. PRocessionis nomine intelligimus emanationem, sive originem unius ab alio tanquam principio producente, quæ considerata ex parte termini procedentis est & dicitur processio passiva, ex parte verò principii producentis est & dicitur processio activa. Quòdsi terminus productus sit extraneus producenti, vocatur processio transiens & ad extra; quo modo transeunter à DEO procedunt omnes effectus creati. Si sit intra producentem, vocatur processio immanens, & ad intra, de qua agitur in præsenti.

2. Est inprimis fide certum, dari in DEO reales processiones, ita pronuntiante Symbolo Nicæno, de Filio quidem per illa verba: *DEUM de DEO, lumen de lumine, &c.* ac de Spiritu S. *Qui ex Patre Filioque procedit.* In symbolo quoque Athanasii dicitur: *Filius à Patre solo est, non non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus S. a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Constat ex sacro textu, ubi de seipso & secunda Persona Christus Jo. 8. *Ego ex DEO processi.* Et Joa. 16. *Exivi à Patre & veni in mundum.* De Spiritu S. autem Jo. 15. *Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit.* Quæ verba de processione ad intra, non de extranea processione effectûs à sua causa (ut impiè interpretabatur Arius) accipienda esse docent alia Script. verba, quibus Filii cum Patre consubstantialitas asseritur: ut Jo. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Jo. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Atque ita definitum habetur verbis ejusdem Symboli Nicæni.

3. Ratio quoque est primò. Datur ex fide Trinitas Personarum, inter se realiter distinctarum: ergo etiam datur processio realis. Consequentia probatur. Nisi daretur oppositio relativa, non daretur realis distinctio Personarum; sed nisi daretur realis processio, non daretur realis distinctio Personarum: ergo. Major constat ex receptissimo axiomate Doctorum Catholicorum, quòd in Divinis nulla est realis distinctio, ubi non obviat relationis oppositio. Minor etiam est certa: quia relationes Divinæ fundantur in origine & processione unius ab altera.

Secundò. Processiones intelligibiles & immanentes depurari possunt ab omni imperfectione; atqui juxta Catholicum dogma cum intima communicatione essentiæ & consubstantialitate conjunctæ, in DEO arguunt infinitam perfectionem fœcunditatis: ergo sunt admittendæ in DEO.

4. Cæterùm ex his ipsis Scripturæ locis de numero processionum constare potest. Tot nimirum sunt processiones passivæ, quot sunt termini & Personæ procedentes; sed plures personæ procedentes ex memoratis Scripturæ locis non sunt, quàm duæ, Verbum videlicet & Spiritus S. ergo neque plures sunt processiones passivæ. Cúmque processionibus passivis respondeant processiones activæ; quemadmodum cuilibet termino producto respondet principium producens, totidem quoque sunt processiones activæ.

Præterea tot sunt processiones activæ, quot sunt actus immanentes, quibus aliquis terminus ad intra produci potest: sed actus immanentes sunt tantùm duo; actus videlicet intelligendi & volendi: quorum ille ut affectus notione & relatione paternitatis, vocatur *dictio*; iste verò ut affectus relatione Spiratoris vocatur *Spiratio*: ergo. Unde S. D. hic a. 5. *processiones in Divinis*, inquit, *accipi non possunt, nisi secundùm actiones, quæ in agente manent, hujusmodi autem actiones in natura intellectuali non sunt nisi duæ, scilicet intelligere, & velle, &c. Relinquitur igitur, quòd nulla alia processio possit esse in DEO, nisi Verbi & amoris.*

§. II.

Objectiones & corollaria.

5. OBjic. primò. Si darentur in DEO processiones, in DEO daretur ens ab alio: sed hoc repugnat: ergo & prius. sequela constat, quia Filius

lius est à Patre : Spiritus S. ab utroque. minor quoque est certa, quia esse à se pertinet ad constitutionem & distinctionem Divinitatis ab omni creatura.

Respondeo, distinguendo sequelam in DEO daretur ens ab alio, ut terminus ad intra productus in identitatem naturæ, concedo: ut effectus ad extra causatus à principio efficiente, nego. item: ens ab alio, ut à principio originis, concedo, ut à causa, nego. & ad probationem minoris Respondeo. Ad constitutivum Divinitatis pertinere rationem entis à se & principii improducti, ut excludentis omne principium causativum vel effectivum; sic enim dicit perfectatem independentiæ à principio efficiente & causante, non verò ut excludentis omne principium ad intra producens.

6. Objic. 2. Procedens dependet à producente; sed implicat dependentia in Divinis: ergo & processio. Major probatur. quod accipit esse ab alio, dependet ab illo, éstque naturâ posterius; sed procedens accipit esse à producente: ergo.

Confirmatur. Indigentia alicujus ad essendum importat dependentiam ab illo in essendo; sed persona procedens indiget ad essendum personâ producente; ergo dependet ab illa

Respondeo negando maj cujus probationem distinguo. quod accipit esse ab alio contingenter, distinctæ naturæ & per modum effectûs, dependet ab illo éstque naturâ posterius, concedo, quod accipit esse necessariò, ut non potuerit non esse, ejusdem naturæ, & per modum puri termini intranei, nego maj. sicque distinctâ minore, nego consequentiam. Ad confirmationem distinguo minorem, indiget personâ producente, si potuit non esse ab illa, concedo. Si non potuit non esse ab illa, nego: ut enim docet S. D. q. 10. de pot. a. 1. ad 13. esse ab alio recipere, tunc solùm significat indigentiam, quando recipiens aliquando non fuit, vel saltem potuit non esse in recepisse.

Cùm ergo persona procedens semper & necessariò fuerit in recepisse, sive in receptione esse Divini, nulla ex hoc indigentia, sed infinita perfectio Divinæ fœcunditatis & communicabilitatis arguitur, indicata Is 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? &c.* Neque urget, quòd Philosophus 9. Metaphys. dicat, *quod actio immanens non habet terminum.* Esto enim, quod illum non habet exigitivè, quemadmodum actio transiens; habet tamen permissivè, ut patet in verbo creato, quod juxta Thomisticam doctrinam ab ipsa cognitione producitur.

Objic. 3. Beati non formant Verbum mentis in beatifica visione: ergo neque Pater æternus in 7. sui comprehensiva & beatifica cognitione producit Verbum distinctum.

Respondeo negando consequentiam & patitatem. quia ne detur in visione beatifica creata species & verbum quidditativè repræsentans Divinam essentiam, facit nimia improportio entis creati & increati in esse intelligibili; est autem summa proportio, imò identitas & communicatio naturæ inter personam producentem, & procedentem; & insuper infinita fœcunditas ex parte producentis.

Colliges ex dictis, dari in Divinis rationem principii; non dari rationem causæ; causa enim p. in effectu importat alietatem, novitatémque substantiæ, & dependentiam alicujus ab altero (ut habet S. D. hic q. 33. a. 1.) dicitur enim causa, *quæ per se influit esse in aliud*, seu, *quæ dat esse alteri.* Porro ly *aliud*, (nisi addas terminum restringentem; V. G. *aliud suppositum*) sonat diversitatem essentiæ, sicut etiam ly *alter*: ideóque licèt in Divinis sit alius, conformiter ad illud Athanasii: *alia est enim Persona Patris, alia Filii, &c.* (*alius* enim plus non significat, quàm distinctionem Personæ) non tamen *aliud* in neutro genere Theologi in Divinis admittunt ob dictam rationem. Econtrà principium, ut inquit S. D. hic q. 33. a. 1. nihil aliud significat, quàm id à quo aliud procedit; unde nullam importat alietatem aut novitatem essentiæ, neque necessatio terminum productum à se in esse dependentem facit. Nomen tamen *principiati* (ut habet ibidem S. D.) eò quòd subjectionem & minorationem quandam significat, Personis procedentibus non tribuitur. Et hæc de modo loquendi, debemus enim, ut rectè Derkennis, in hac materia non tantùm rectè sentire, sed etiam rectè loqui. De quo inferiùs plura.

ARTICULUS II.

Quid, & quales sint Divinæ processiones?

SUMMARIA.

1. *Asseritur processionibus ratio actionis.*
2. *Probatur ex natura actionis & termini producti.*
3. *Amoventur imperfectiones.*
4. *Non ideo terminus productus dicendus est agi.*
5. *Disparitas à relatione creata.*
6. *Controversia de distinctione virtuali actuum notionalium ab essentialibus.*
7. *Sententia Scotistica affirmans distinctionem adæquatam.*
8. *Sententia Thomistica tantùm admittens distinctionem inadæquatam.*
9. *Respondetur ad fundamenta Scotistarum.*
10. *Processiones activæ cum relationibus principiorum identificantur inadæquatè.*
11. *Actus notionalis ab essentiali distinguitur ut includens ab incluso.*
12. *Inutilis divisio intellectûs & voluntatis in operantem & producentem.*

§. I.

An processio sit veri nominis actio?

DUbium inprimis est, utrùm Divinæ Personæ per veram quandam actionem productivam procedant, ut adeo processio activa sit veri nominis actio: vel utrùm per simplicem & puram emanationem resultent, quâ ratione proprietates ex essentia, & relatio ex fundamento resultat?

Dicen-

Dicendum est ad mentem S. D. hîc q. 27. a. 2. & 5. *procedere per veram actionem immanentem.* Ita certè cum proprietate salvantur & exponuntur verba tum S. Scripturæ, ubi Verbum Divinum dicitur *gigni*, *generari*, *egredi*, exire, &c. tum Angelici Doctoris, qui locis citatis dicit, *Verbum procedere per modum intelligibilis actionis, & processiones in Divinis accipi non posse, nisi secundùm actiones, quæ in agente manent.*

2. Ratio quoque est. Ut terminus substantialis sit per veram actionem productus, plus non requiritur, quàm ut immediatè & per se primò terminet sui productionem: ea quippe, quæ per puram emanationem & simplicem resultantiam ponuntur in rerum natura, solent ad alterius termini productionem consequi: sicut relatio creata ad positionem fundamenti & termini, proprietates ad productionem essentiæ, &c. sed Personæ Divinæ sunt termini substantiales, qui immediatè & per se primò terminant sui productionem: ergo per veram actionem procedunt.

3. Sed neque ulla imperfectio sequitur vel ex parte Personæ procedentis, vel Personæ producentis, si veri nominis actio admittatur. Non quidem ex parte producentis: quia formale prædicatum actionis immanentis in hoc salvatur, quòd sit *ultima actualitas immanenter operantis*: Hoc porrò prædicatum puram explicat perfectionem; imò majorem quàm virtus activa, quæ ne quidem ab actu secundo actionis virtualiter intrinsecè distincta admitti potest, juxta ea, quæ dixi in Tract. de DEO.

Non etiam ex parte personæ procedentis, quia de facto quælibet Persona procedens ex vi processionis activæ, seu actûs notionalis habet esse productum; sed ad hoc, ut per veram actionem procedant, sufficit, quòd hôc modô habeant esse productum: ergo absque imperfectione possunt per veram actionem procedere. Illæ imperfectiones egressionis, motûs, mutationis, dependentiæ, non nisi operationem transeuntem comitantur, quæ nempe est actus imperfecti, & ultima actualitas immanenter operantis.

4. Sed nunquid sicut *actio* suppositum denominat *agens*, ita terminum passivè denominat actum? Id porrò magnam diceret imperfectionem ex parte personæ productæ.

Resp. Quia per ly *agere & agi* propriè significatur effectiva productio, habens rationem causalitatis, quâ terminus de potentia redigitur in actum; ideo quamvis actio in creatis principio tribuat denominationem agentis, & termino denominationem acti; id tamen locum non habere in Divinis, ubi actio ab istis imperfectionibus separata invenitur. Unde melius dicimus terminum in Divinis actione produci, quàm agi, neque personas agentes ad intra, sed producentes nominamus.

Neque paritatem creatæ relationis objicias: etsi enim illa per simplicem emanationem resultet in sententia distinguentium, id tamen provenit ex imperfectione ipsius: cùm enim sit accidens diminutum & debilissimæ entitatis, nullius agentis intentionem vel actionem per se terminare potest. At verò Divinæ relationes sunt per se subsistentes; quæque notionalem per se primò terminant.

§. II.

An actus notionales sint virtualiter adæquatè ab essentialibus distincti?

6. CElebrior est controversia, num actus notionales, sive processiones activæ sint ab actibus essentialibus intelligendi & volendi virtualiter (nam aliud genus distinctionis implicat) adæquatè distincti: Processiones nimirum activæ sunt *Dictio*, quâ Verbum producitur, & *spiratio activa*, quâ producitur Spiritus S. quas etiam processiones *actus notionales* nominamus, eò quòd ad Personarum distinctionem pertineant. Neque dubium est, quin Dictio sit ab intellectu; & spiratio à voluntate.

Sola est controversia: utrùm actus isti notionales nominent & exprimant actualitates virtualiter distinctas ab actibus intelligendi, & volendi essentialibus, totique SS. Trinitati communibus.

7. Et Scotistæ quidem ponunt duplicem actum intellectûs, in DEO secundùm modum concipiendi distinctos, quorum unus est actus intelligendi, alter actus *dicendi*; ille est de genere qualitatis, & correspondet intellectui ut operativo; iste verò de genere actionis, & respondet intellectui ut productivo. Ille communis toti Trinitati; iste peculiaris Personæ Patris. Eodem modo distinguunt inter voluntatem, ut operantem, & ut producentem: operanti tribuunt volitionem essentialem, quæ sit de genere qualitatis; & producenti tribuunt Spirationem, quæ sit de genere actionis.

Porrò hos actus inter se distingui *probant primò*. Intellectio est perfectio simpliciter simplex, ut patet: econtrà dicere non est perfectio simpliciter: aliàs deesset aliqua perfectio Filio & Spiritui S. cùm istæ personæ non dicant, sed intelligant.

Secundò. In nostro intellectu dictio prior est, quàm intellectio; nisi enim intellectus producat Verbum, non habet, in quo intelligat, & cognoscat objectum: ergo dictio non est formaliter idem cum intellectione.

Tertiò. Alius est modus tendendi, quo dictio, & alius, quo intellectio attingit objectum: illa quippe producendo; ista verò contemplando in ipsum fertur.

8. Oppositum sentiunt Thomistæ, è quorum mente & doctrina sit.

CONCLUSIO. *Processiones Divinæ sive actus notionales non sunt virtualiter adæquatè distincti ab actibus essentialibus intelligendi, & volendi*: unde *dictio*, formaliter consistit in ipso actu intelligendi, eique solùm superaddit relationem Patris, sive *Dicentis*: spiratio verò activa consistit formaliter in Amore essentiali, eique solùm superaddit relationem *Spiratoris*.

Ratio primæ partis est. Relatio superaddita absolutæ perfectioni non facit illam virtualiter adæquatè distinctam : sed dictio V. G ab intelligere essentiali non differt, nisi ratione superadditæ relationis (idem proportionaliter dicendum de spiratione activa respectu amoris essentialis) ergo ab illo virtualiter adæquatè non distinguitur. Major probatur.

Quod est extra lineam intelligibilem, & operationis vitalis, non potest constituere operationem vitalem in linea intelligibili virtualiter distinctam : sed relatio est extra lineam intelligibilis & vitalis operationis (utpote purè terminus naturæ Divinæ) neque quidquam relatione intelligit, aut vivit : Dictio verò & productio verbi est operatio vitalis intellectiva : ergo. Minor etiam probatur. Quidquid aliud præter relationem assignas virtualiter distinctum ab intelligere essentiali, vel etiam est intellectio, vel quid aliud diversæ rationis. Non primum : quia non dantur in Divinis plures actualitates ejusdem lineæ virtualiter inter se distinctæ (ut in Tract. de DEO observavimus) propter cujuslibet lineæ infinitatem. Neque etiam secundum : quia secunda Persona procedit, ut *Verbum*, ut *Imago*, ut *Sapientia genita*, ut *terminus repræsentativus*, & *intelligibilis*, adeóque per intellectionem.

Secunda pars conclusionis facilè patet : quia intelligere non est productivum, nisi prout est in Patre : neque Amor est spirativus, nisi prout est in Patre & Filio : sed ut sic jam superaddunt, & per modum complementi connotant relationes. Dictio quidem seu intelligere notionale relationem paternitatis, & amor notionalis relationem spiratoris.

9. Neque movent fundamenta Scotistica sup. num. 3. relata. nam ad 1. Resp. Dictio & spiratio non est simpliciter perfectio, quantùm ad id, quod dicunt in recto, sùntque ipsi, actus essentiales intelligendi & volendi, nego ; quantùm ad complementum relativum, quod connotant in obliquo : sic concedo. Neque ex hoc rectè intuleris. Ergo aliqua perfectio non est in Filio, quæ est in Patre : nam id, quod Dictio dicit in recto, quódque solùm exprimit perfectionem, reperitur in omnibus Personis ; id verò quod connotat in obliquo, éstque complementum relativum præscindens à perfectione, & sine quo intellectio non est dictio, non reperitur nisi in Patre, ideóque ipsum solum intellectio *Dicentem* denominat.

Ad 2. Resp. Dictio inadæquatè accepta est in nostro intellectu prior cognitione, concedo. Si adæquatè sumatur, nego. Nam Dictio adæquatè sumpta est cognitio productiva Verbi, quæ secundùm munus inadæquatum producendi potest præintelligi & præsupponi sibiipsi, ut est contemplativa illius.

Ad 3. Resp. Modus tendendi in objectum, quem habet dictio, est materialiter diversus à modo, quem habet cognitio, concedo. formaliter diversus, nego. Nam sub eádem ratione formali, in esse videlicet repræsentativo, & intelligibili, tam dictio, quàm cognito attingit objectum : & cognitio in ratione dictionis dando esse repræsentativum objecto subordinatur sibiipsi, quatenus in ratione cognitionis in illo esse repræsentativo quiescit.

§. III.

Corollaria.

COlliges ex dictis primò : Processiones activas non adæquatè identificari cum relationibus principiorum : e. g. Dictionem non identificari adæquatè cum relatione paternitatis. Ratio est : partim quòd in sola relatione non salvatur conceptus actionis : partim, quod hinc sequeretur, processiones activas adæquatè distingui ab actibus essentialibus, siquidem linea relativa à linea intellectiva & volitiva adæquatè distinguitur : hoc autem est contra dicta superiùs.

Colliges secundò. Distinctionem tamen aliquam intercedere inter actum notionalem & essentialem, inadæquatam nimirum, & tanquam *includentis ab incluso*. Quia actus notionalis ad actum essentialem connotativè superadit complementum relativum, in quo virtualiter distinguitur ab actu essentiali.

Colliges tertiò. Frustraneam imò nullam esse divisionem Divini intellectûs & voluntatis, *in operantem & producentem*. Quia producens, ut ab operante distincta vel habent idem objectum formale cum operante, vel non. Si haberet, jam non esset virtualiter distincta ; si non haberet, tunc vel daretur in linea intellectiva aliud objectum, quàm verum ; vel intellectus essentialis & absolutus non attingeret in sua linea omne verum ; quorum illud est contra naturam, istud contra infinitatem Divinæ intellectionis.

ARTICULUS III.

Quodnam sit principium Divinarum processionum?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Sententia & fundamenta Durandi.*
3. *Oppugnatur authoritate.*
4. *Et ratione.*
5. *Durandi fundamenta solvuntur.*
6. *Sententia rationem principii constituens in absoluto rejicitur.*
7. *Quia idem produceret seipsum.*
8. *Et æquè in Filio esset potentia generativa, quàm in Patre.*
9. *Respon-*

9. *Respondetur ad fundamentum oppositum.*
10. *Sententia relationem statuens pro adæquato principio probatur authoritate.*
11. *Et ratione.*
12. *Impugnatur.*
13. *Exponuntur authoritates objectæ.*
14. *In Divinis sufficit distinctio inadæquata inter virtutem productivam & terminum productum.*
15. *Generare convenit Soli Patri per principium formale absolutum, non ut absolutum, sed ut appropriatum.*
16. *Ad principium quo Divinarum processionum requiritur forma absoluta in recto, & relativa in obliquo.*
17. *Principium quo principaliter est assimilativum.*
18. *Ideo relationem tantùm per modum complementi importat.*
19. *Natura est principium radicale processionum.*
20. *Proximum formale sunt intellectus & voluntas.*
21. *Non ideo sequitur, quòd essentia generet.*
22. *Nec rectè infertur distinctio virtualis intrinseca inter actum primum & secundum.*
23. *Est adhuc lata differentia inter processionem Filii, & Spiritûs S.*
24. *Processio Verbi cur prior origine, quàm processio Spiritûs S.*
25. *Cur Filius & Spiritus S. non generent?*
26. *In Divinis nulla distinctio inter actum communicativum & productivum.*
27. *Datur potentia ad actus notionales; non nisi virtualiter extrinsecè distincta.*

§. I.

Sententia Durandi rejicitur.

1. LOquimur in sensu & abstractione metaphysica, suppositâ ex Tract. de DEO Uno distinctione virtuali partim intrinsecâ, qualem admittimus inter intellectum seu essentiam & voluntatem DEI, partim extrinsecâ, qualem solam agnoscimus inter actum primum & secundum, potentiam & operationem, de cujus principio nunc inquirimus: Certum est, *Principium* quod Divinarum processionum esse Personas producentes: accipimus enim denominationem principii per analogiam ad res creatas; sed in rebus creatis principium quod est suppositum producens: ergo & in Divinis. De *Principio quo*, quod per eandem analogiam ad res creatas, est vel proxima ratio agendi seu producendi, si est proximum; vel remota & radicalis, si est remotum principium, diversæ sunt opiniones.

2. Et inprimis Durandus in 1. dist. 6. q. 2. docet, utramque Personam, & Filii & Spiritûs S. non immediatè per intellectum & voluntatem, sed ex natura fæcunda intellectui ac voluntati præsuppositâ procedere. Cujus fundamentum est primò, ex SS. Hilario & Augustino, qui dicunt, quòd *Verbum sit Filius DEI naturâ.* Secundò, quòd in creatis, è quorum analogia de rebus Divinis loquimur, natura fæcunda reperiatur præsuppositivè & independenter ab intellectu & voluntate, ex qua fæcunditate habent virtutem proximam generandi.

Verùm hæc singularis sententia communi Theologorum calculo malè audit, & variis DD. censuris vapulat. Contra ipsam enim est primò. Quòd in hac doctrina non est assignabilis differentia, & ratio, cur secunda Persona in Divinis appelletur *Sapientia* Prov. 8. *ex ore Altissimi prodiens.* Ecclesiastici 24. *Verbum* Jo. 1. & 1. Joa. 5. Cur à SS. PP. eadem Divina Persona appelletur *imago, Veritas, Sermo, notitia Patris.* Tertia verò Persona Spiritûs S. appelletur *Amor, Charitas, dilectio, nexus?* quo tamen modo passim appellant; nominatim S. Augustinus 15. d. Trinitate c. 6. *Illic intelligendo conspicimus tanquam dicentem & Verbum ejus, i. e. Patrem & Filium, atque inde procedentem charitatem utrique communem*, scilicet Spiritum S. Et lib. 9. d. Trin. c. 12. *sicut DEI Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat, ita Charitatem esse Spiritum Sanctum.* 3.

Contrà est secundò. Quòd non esset ratio, cur processio Verbi sit generatio, non autem processio Spiritûs S. ut ex sequenti §. amplius patebit. Cur non producerentur plures Personæ; quàm duæ? cùm enim vires infinitæ fæcunditatis non exhauriantur in productione fecundæ Personæ: cur exhauriri deberent in productione Personæ tertiæ? cur processio Filii sit origine prior, quàm processio Spiritûs S. & cur potiùs Spiritus S. à Filio, quàm Filius procederet à Spiritu S. ut magis ex decursu patebit. 4.

Contra est tertiò. Verbum dicendo gignitur, Spiritus S. ceu amor personalis amando producitur: sed dicere est actus intellectûs; amor verò est actus voluntatis: ergo personæ Divinæ immediatè per intellectum & voluntatem, non autem per naturam procedunt.

Ad fundamenta Durandi facilis est responsio. 5.
Nam ad 1. Resp. *Verbum dici Filium DEI naturâ.* Non quòd sit à natura, tanquam immediato principio; sed quòd sit Filius consubstantialis per naturam; non adoptivus per gratiam. Vel secundò, quòd Filius non liberè, sed necessariò (quo sensu ly *per naturam* sæpe accipitur) sit productus.

Ad 2. Resp. quamvis creaturis non conveniat fæcunditas substantialis per intellectum, propter earundem imperfectionem, ex qua necessitantur ad productionem termini solùm accidentalis: convenire tamen fæcunditatem accidentalem in prædicta productione termini h. e. verbi accidentalis: unde enti increato propter oppositam infinitam perfectionem convenit per intellectum fæcunditas substantialis in productione Verbi sibi consubstantialis.

Adde, quòd neque creatura materialis & corporea suam fæcunditatem immediatè habeat à natura, sed mediante potentiâ generativâ superadditâ, ex quo vides infirmitatem contrarii fundamenti.

Alii principium Divinarum processionum tam remotum, quàm proximum constituunt in aliquo absoluto; idque probant tum authorit. & rationibus, pro prima parte nostræ conclusionis infrà §. 4. referendis; tum ex eo; quia relatio non po- 6.

est pertinere ullo modo ad principium quo productivum in Divinis: ergo principium quo debet salvari in aliquo purè absoluto. antecedens probatur. Si relatio pertineret ad principium productivum, tunc sequeretur, quòd fundaretur in se ipsa, nam fundamentum Divinarum relationum est productio & potentia sive principium productivum.

7. Verùm contra istam opinionem pugnat primò. Quòd idem produceret se ipsum, saltem ut quo; quia absoluta in Divinis identicè sunt communia: sed hoc implicat: ergo. Neque placet responsio Arriagæ, dum disput. 45. num. 34. dicit, nullam esse contradictionem, quòd idem producat se ipsum, si aliunde supponatur existens: præterquam enim, quòd ejusmodi productionem tanquam essentialiter superfluam & causativam oppositionis ejusdem ad seipsum melior Philosophia repudiat, per hanc quoque responsionem totum SS. Trinitatis Mysterium, ac distinctio personarum revocari posset in dubium, & Sabellius denuò argumenta Catholicorum, quibus Divinarum Personarum distinctionem ex oppositione relativa propugnant, facili negotiò posset eludere, si responderet, non obstante productione eandem esse Personam Patris & Filii, sed sub qua ratione est producens, sic appellari Patrem; subqua ratione verò est producta, sic Filium nuncupari.

8. Contrà est secundò. Quòd absoluta sint omnibus Personis communia. Cur ergo non æquè potentia generativa esset in Filio quàm Patre; adeóque ut Pater Divinus Filium; ita Filius alium quoque Filium generaret, cùm ideo possit Spiritum S. spirare, quia eandem habet virtutem spirativam cum Patre.

9. Ad fundamentum hujus sententiæ Resp. Relatio fundaretur in se ipsa, secundùm conceptum relationis, nego, secundùm rationem inadæquatam formæ hypostaticæ, concedo. ut enim infrà §. 3. dicemus, eadem relatio Divina duplex præstat inadæquatum munus, relationis & formæ hypostaticæ, sive subsistentiæ, & ut habet rationem formæ hypostaticæ, præsupponitur sibi ipsi, ut dicenti *esse ad*, & conceptum inadæquatum relationis.

§. II.

Relatio sola non potest esse principium.

10. ALiorum celebrior doctrina, quam sequitur Alarcon, Veckenus, Bernal, disp. 6. sect. 1. vult, adæquatum principium quo proximum, sive virtutem productivam Divinarum Personarum consistere in sola relatione producentis. Ad cujus probationem utuntur inprimis authoritate SS. PP. Athanasii. Dial. 1. *de Trinit.* ita de Patre æterno loquentis: *hypostasi gignit, & mandato condit.* Ambrosii l. 4. de *fide.* c. 4. dicentis: *generatio paterna proprietatis est, non potentiæ.* Videtur quoque S. Doctor apertè favere huic sententiæ in 1. dist. 7. q. 1. a. 2. in c. ubi dicit: *Essentia secundùm quod est paternitas, est principium hujus actûs, qui est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur.* Et rursus ibi dist. 11. q. 1. a. 3. in c. *Generatio non egreditur ab essentia, in quantùm essentia, sed in quantùm est Paternitas: & sic ista duo, scilicet essentia & Paternitas differunt in Divinis, egrederetur ab utraque generatio, sed a Paternitate immediate* (adeóque tanquam principio proximo quo) *& ab essentia, sicut a primo principio.*

Probant etiam secundò illâ universali ratione: Quòd sicut idem non potest producere seipsum; ita neque potest esse ratio producendi seipsum. Sed nisi principium proximum constituatur in aliquo relativo, idem erit ratio proxima producendi seipsum; quandoquidem in absolutis perfectionibus est simplicissima identitas: ergo.

Probant tertiò. Actus ab omnis alterius suppositi actu distinctus, non inest, nisi per principium formale ab omnis alterius suppositi principio distinctum; sed generare v. g. convenit soli Patri: ergo convenit per principium soli Patri proprium. Sed hoc non est, nisi proprietas relativa: ergo.

Sed contrà est primò, Relatio vel esset ratio & virtus producendi, prout dicit exercitium referendi, & habitudinem ad terminum, vel prout habet rationem formæ hypostaticæ. Non primum, quia sic ratione nostrâ est posterior productione, in qua fundatur. Non etiam secundum; quia ut sic est forma quasi individualis personam constituens, non virtutem agendi, ut habet S. Doct. in terminis hîc q. 41. a. 5. dicens. *Forma individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est, quo generans generat: alioquin Socrates generaret Socratem. Unde neque paternitas potest intelligi, ut quo Pater generat, sed ut constituens Personam generantis: alioquin Pater generaret Patrem.* Hæc S. Doctor.

Contra est secundò. Quod in productione univoca producens assimilat sibi terminum non solùm in principio remoto, sed etiam proximo, velut ignis assimilat sibi ignem productum, non solùm in forma substantiali ignis, sed etiam in calore, qui est virtus proxima: atqui Persona producta non assimilatur producenti in relatione, sed potiùs dissimilatur: ergo relatio non est adæquata virtus proxima producendi. Audi rursùs S. D. cit. loc. ad 1. *Id, quo generans generat, est commune genito & generanti, & tanto perfectiùs, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cùm Divina generatio sit perfectissima, id, quo generans generat, est commune genito & generanti, & idem numero, non solùm specie, sicut in rebus creatis.*

Ad 1. ab authoritate ductum argumentum; Resp. quòd *Pater hypostasi gignat, & generatio sit proprietatis paternæ*, non formaliter, sed connotativè, & sic intelligendos esse SS. PP. Authoritari S. D. è sent. lib. petitæ oppono alias ex summa ipsius modò allegatas authoritates, & communem responsionem Thomistarum, vel quòd S. D. tantùm locutus fuerit de paternitate connotativè, non autem formaliter. Vel secundò, ut vult Cajetanus, quòd S. D. sententiam in lib. sent. traditam in summa loc. cit. retractaverit.

Ad 2. Respondeo. Inter virtutem producti-
va-
m, & terminum productum sufficere distinctionem realem inadæquatam. Si peras rationem, cur in Divinis sufficiat inadæquata distinctio, cùm tamen increatis inveniamus adæquatam distinctionem inter virtutem generativam & terminum gene-

genitum? Respondeo. Id provenire ex illimitatione Divinæ productionis, & limitatione generationis creatæ. Ex limitatione quippe creatæ generationis provenit, quòd terminus non producatur in identitatem, sed solam similitudinem naturæ, eique non eadem numericè, sed specificè natura communicetur. Econtra ex infinitudine & illimitatione Divinæ productionis venit, quòd terminus non solùm in similitudinem sed etiam identitatem naturæ producatur: eique non tantùm specificè, sed numericè eadem natura communicetur. Quo ipso virtus productiva adæquatam distinctionem cum termino producto excludit.

15. Ad 3. Respondeo, concessâ primâ consequentiâ, negando subsumptum, & dico, tale principium etiam posse esse quid absolutum, non quidem ut absolutum, sed ut appropriatum: ita nimirum, ut proprietas personalis non quidem sit ipsa formalis ratio, & virtus producendi; sit tamen necessaria conditio & complementum ipsius.

Dices: Forma, quæ dat esse, dat etiam posse operari, sed Paternitas Patri æterno dat esse: ergo etiam ipsi dat posse operari. Resp. majorem esse veram de forma, quæ dat esse specificum, vel quasi specificum; non autem de forma, quæ dat esse subsistentiæ, & quasi individuale. Proprietates verò personales dant esse subsistentiæ relativæ, & quasi individuale, juxta superiùs dicta.

§. III.

Principium processionis est forma absoluta per relationem completa.

16. COnstat ergo principium quo Divinarum processionum, cùm neque in solo absoluto, neque in solo relativo consistere possit, ex utroque tam relativo, quàm absoluto debere consurgere. Sed quô modô? An, ut utraque forma tam absoluta, quàm respectiva in recto æqualiter importetur? ita, ut forma absoluta sit principium communicativum, relatio productivum, velut placet Derkenni & Alarcon? Sed præplacet negativa; sit proinde.

Conclusio. *Principium quo productivum divinarum processionum formaliter consistit.* (1.) *In forma absoluta, importata in recto.* (2.) *Quæ in obliquo per modum complementi intrinseci relationem connotat.* (3.) *Unde remotum principium quo est Divina natura.* (4.) *Proximum verò intellectus & voluntas.* Ita communis Thomistarum ex S. D. suprà cit.

17. Ratio primæ partis est: Principium *quo* id principaliter & in recto importat, in quo producens cum producto assimilatur, sed hoc est forma aliqua absoluta, ut patet: ergo.

18. Eadem ratione in paulò latiorem discursum deductâ probatur secunda pars conclusionis. Id solùm principaliter & in recto importari potest ex parte principii *quo*, in quo agens suam primariam intentionem assequitur: primaria quippe intentio operantis fundatur in principiis operandi: sed hanc non assequitur in respectivo: quia intentio operantis saltem univoci non fertur in distinctionem (quamvis ista per modum necessariæ conditionis omnem productionem comitetur) sed in assimilationem termini omni possibili modo faciendam. Atqui assimilatio obtinetur per formam absolutam; per respectivam verò solùm distinctio. Ergo operans primariam suam intentionem non nisi in aliquo absoluto assequitur.

Confirmatur. Si æquè principaliter relatio, quàm forma absoluta importaretur, sequeretur primò, quod inter *principium quod*, & *principium quo non esset distinctio.*

Secundò. Quòd generatio Verbi Divini non esset adæquatè univoca, quia terminus in *principio formali quo*, non esset adæquatè similis generanti. Quorum utrumque est inconveniens.

Accedit expressa authoritas S. D. hîc q. 41. a. 5. dicentis: *Potentia generandi significat in recto naturam Divinam, sed in obliquo relationem.* & Joannis Theologi, qui in Concil. Florent. Sess. 18. ita loquitur: *Principium, quo ipsa Persona generat, est id, quòd solùm communicabile est*: Sed hoc est quid absolutum.

19. Pars tertia constat ex S. D. primùm relato, & hâc ratione. Natura Divina per analogiam ita se habet in Divinis, uti forma substantialis in creatis: sed in creatis forma substantialis est principium remotum & radicale operationis substantialis, eò quòd terminus producenti assimiletur in forma substantiali, & in ea virtus proxima operandi radicetur: ergo similiter ob eandem rationem natura Divina est principium radicale remotum Divinarum processionum.

20. Quarta pars liquet ex iis, quæ suprà contra Durandum sunt dicta. Nempe Verbum Divinum & Spiritus S. non procedunt per solam naturam, sed per intellectum & voluntatem; non utique tanquam per principium remotum: nihil enim inter illa & terminos productos intercedit, quàm actus ipsi notionales generandi & spirandi: ergo tanquam per principium proximum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

21. OBjicies primò. Si natura Divina est principium radicale processionum, ex vero dici poterit: *essentia generat*: sed hoc est contra Concil. Lateran. *in Cap. firmiter.*

Respondeo ex S. D. qui loco suprà cit. a. 5. explicat S. Damascenum dicens: *Generatio est opus naturæ, non sicut generantis; sed sicut ejus, quo generans generat.* Falsa est igitur sequela, quia generare tanquam actio, ad suppositum, non ad principium pertinet.

22. Objicies secundò. Si intellectus & voluntas sunt principia proxima actuum notionalium, sequitur primò, quòd intellectus & natura Divina virtualiter distinguantur. Secundò, quòd detur in Divinis ratio principii & potentiæ in actu primo, ab actu secundo virtualiter intrinsecè distinctæ, quorum utrumque est contra illa, quæ in Tract. de DEO Uno diximus.

Respondeo negando utramque sequelam. Quia ad explicationem præsentis difficultatis sufficit distinctio virtualis extrinseca, & secundùm modum concipiendi, nec requiritur intrinseca.

23. Objicies tertiò. Si natura est principium radicale spirationis, sequitur, quòd Spiratio seu processio Spiritûs Sancti non minùs sit generatio, quàm processio Verbi: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Illa actio est generatio, per quam terminus productus in natura & principio radicali assimilatur cum suo producente: sed si natura est principium remotum spirationis, per spirationem assimilatur Spiritus S. in Natura Divina cum Patre & Filio, ergo. Major videtur certa: quia generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ. Minor est nostra: non enim aliud est fundamentum, cur principium quo principaliter constituamus in absoluto, quàm quia per formam absolutam producens assequitur suam intentionem, quæ est assimilatio termini cum suo principio producente.

Respondeo pariter negando sequelam. Cujus probationem distinguo: Illa productio est generatio, quæ terminum in natura assimilat producenti formaliter ex vi productionis, concedo. materialiter & ex aliquo concomitanter conjuncto, nego. Sed spiratio terminum productum in natura assimilat suo producenti, ex vi spirationis formaliter, nego. ex aliquo concomitanter conjuncto ex eo videlicet, quòd sit productio termini Divini & infiniti, qui proinde est necessariò consubstantialis, concedo minorem & nego consequentiam. Unde generatio non est quomodocunque in *similitudinem naturæ*, sed *formaliter*, prout sequenti disp. latiùs expendemus.

Hinc etiam patet responsio ad probationem minoris. Ideo nempe natura est principium quo, quia per ipsam producens assequitur suam intentionem, hoc est, assimilationem termini cum principio producente: distinguo, assequitur intentionem vel formaliter, vel materialiter inclusam in productione, concedo, tantùm formaliter nego. In productione Filii igitur natura est principium radicale, quia intentio sibi terminum productum assimilandi in natura formaliter continetur in illa productione. In processione verò Spiritûs S. natura est principium radicale, quia intentio terminum in natura assimilandi non nisi materialiter & concomitanter in illa continetur. Formaliter quippe tantùm assimilatio in amore & linea volitiva intenditur; sed quia in Divinis ille ipse amor non potest non esse & subsantialis & consubstantialis ob termini infinitatem; ideo terminus etiam in identitatem naturæ producitur, ac proinde naturam ceu principium radicale quo exigit.

§. V.

Corollaria.

COlliges ex dictis primò rationem, cur processio Verbi sit origine & virtualiter prior processione Spiritûs S. Nimirum quia linea intellectiva virtualiter prior est in Divinis, quàm linea volitiva: sed processio Verbi pertinet ad intellectum; processio Spiritûs S. ad voluntatem: ergo. Item processio Spiritus S. supponit adæquatum principium spirandi, quod est Pater & Verbum: ergo supponit processionem Verbi, per quam Verbum accipit virtutem spirativam communicatam à Patre.

Colliges secundò rationem, cur solus Pater producat Filium; non autem Filius, vel Spiritus S. quia nimirum intellectus & intelligere est in solo Patre, sicut in principio, neque intellectus est potentia & virtus generativa, nisi quatenus est affectus relatione paternitatis; Filio verò intellectus *& intelligere convenit ut verbo procedenti*, inquit D. Angelicus q. 37. a. 1. ad 4. Et similiter Spiritui S. intelligere convenit ut termino spirativæ processionis, quæ tam ipsam intellectivam & generativam processionem, quàm adæquatum ipsius terminum virtualiter præsupponit. Ita neque Spiritui S. (loc. cit. S. D.) *convenit, quòd spiret amorem, quia diligit essentialiter, ut amor procedens, non ut à quo procedit amor.*

Colliges tertiò. In Divinis non aliam effectivam actionem communicativam, & aliam productivam, & consequenter neque principia communicandi & producendi distinguenda esse. Eâdem quippe actione, quâ producitur terminus, eâdem assimilatur agenti, sed assimilatur per communicationem: ergo eâdem actione, quâ terminus producitur, eâdem ipsi communicantur praedicata communicabilia.

Colliges quartò. *Sicuti ponuntur actus notionales in Divinis, ita necessariò ibi poni potentiam respectu hujusmodi actuum, cùm potentia nihil aliud significet, quàm principium alicujus actûs.* S. D. loc. cit. a. 4. Nec ideo tamen existimes, inter potentiam & actum notionalem admittendam fore distinctionem virtualem intrinsecam. Non enim ex ejusdem S. D. ibidem mente & ore distinguuntur, nisi secundùm modum intelligendi & significandi tantùm, prout diversimodè significatur intellectus & intelligere.

DISPUTATIO XXII.

Cur Processio Verbi Divini sit generatio, non autem Processio Spiritus Sancti?

VIdimus processiones in genere: nunc easdem specificè attingimus, & quidem differentiam inter Verbi & Spiritûs S. processionem discutiendam suscipimus, modis procedendi ex intellectu & voluntate ad specialem cujusque Personæ procedentis considerationem tantisper dilatis.

ARTI-

ARTICULUS I.

An communicatio naturæ fœcundæ salvet differentiam inter generationem Filii, & processionem Spiritûs S.

SUMMARIA.

1. *Veritas Fidei.*
2. *Status controversiæ.*
3. *Sententia Zunigæ exponitur, &*
4. *Probatur multiplici ratione.*
5. *Similitudo & æqualitas in Divinis non est petenda ex prædicatis notionalibus.*
6. *Propter virtutem spirandi Filius procedit ut spirator.*
7. *Similitudo naturæ salvanda est in gradu specifico.*
8. *Natura secundùm Patres & Concilia est communis omnibus Personis.*
9. *Virtualis distinctio sufficienter fundat differentiam inter generationem Filii & processionem Spiritûs S.*
10. *Tò natura non significat primariò fœcunditatem.*
11. *Fœcunditas est de essentia Filii physicè, non metaphysicè accepta.*
12. *Quomodo de ratione Filii sit esse spiratorem?*
13. *Fœcunditas in creatis tantùm pertinet ad gradum genericum.*

§. I.

Fundamenta sententiæ affirmantis.

1. GEneratio viventis (quæ sola in Divinis locum habet) rectè definitur 2. d. *anima*: *Origo viventis à vivente, ut principio conjuncto in similitudinem naturæ specificæ.* Addunt aliqui majoris explicationis gratiâ *formaliter*, seu *ex vi processionis*, quâ definitione suppositâ, Fidei articulus est, Verbi Divini processionem, eamque solam esse veram generationem: Spiritûs verò S. processionem non esse generationem. Ita docent cuncta Fidei nostræ Symbola, Concilia & Scripturæ, in quibus Verbum DEI, *Filius, ante sæcula genitus unus, unigenitus, non factus nec creatus, sed genitus*; Spiritus verò Sanctus, *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens* appellatur. Neque difficile est rationem dare, cur Verbi processio sit generatio; si quidem est verissima *Origo viventis à vivente* (demptâ imperfectione mutationis, quam non nisi in creatis involuit) *sicut enim in se ipso Pater vitam habet, ita dedit & Filio*, Joan. 5. est quoque à *principio conjuncto*: quæ enim major possit esse conjunctio, quàm identitas in natura? qualem habet cum Filio Pater, juxta illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Est in *similitudinem naturæ*, quia, ut modò dictum, Filius à Patre naturam accipit, non tantùm eandem secundùm unitatem specificam, sed etiam secundùm identitatem numericam. Est tandem *ex vi processionis*, quia est processio per intellectum, qui habet ex sua natura producere Verbum, quod sit similitudo & imago expressiva objecti cogniti.

2. Difficultas tamen valde celebris est in assignanda ratione diversitatis, cur non etiam processio Spiritûs Sancti per voluntatem & amorem sit, & dici debeat generatio, cùm prædicta definitio generationis ipsi quoque non difficilè accommodari possit? ubi relictis quorundam antiquorum expositionibus communiter rejectis, tres hoc sunt tempore celebriores responsiones, quæ in hoc quidem conveniunt, quòd radicalis ratio diversitatis sit, eò quòd Filius per intellectum; Spiritus S. verò procedat per voluntatem: in proxima tamen ratione diversitatis discrepant.

3. Prima igitur expositio est, quam post Richardum Victorinum, Alensem, D. Bonaventuram, doces Zuniga hic disp. 2. dub. 20. membro 9. & 10. Et Derckennis disput. 4. c. 3. §. 3. in hoc consistere differentiam utriusque processionis, quòd licèt uterque tam Filius, quàm Spiritus S. ex vi suæ processionis accipit DEitatem; Filius tamen eam accipiat ut *fœcundam*, & productivam alterius personæ, adeóque cum similitudine etiam notionali; quo modo illam non accipit Spiritus Sanctus, quippe qui aliam Personam non producit.

4. Fundamentum hujus responsionis est primò. Ratio Filii debet fundari in *aliquo*, quo secunda Persona reipsâ, & non tantùm secundùm nostram rationem differt à Persona Spiritûs S. sed nihil aliud reale est assignabile, in quo Persona Filii differat realiter à Persona Spiritûs S. quàm quòd illa accipiat naturam fœcundâ, & ulteriùs communicabilem; non autem ista: ergo. minor patet, quòd enim essentia Divina consistat in intelligere, vel quòd terminus intellectualis potiùs habet rationem imaginis, quàm terminus voluntatis (quæ sunt aliorum expositiones) sunt conceptus metaphysici, provenientes ex distinctione rationis, qui ad explicandam realem diversitatem inter Personam Filii & Spiritûs S. nihil conducunt.

Secundò. Ex eo sufficienter distinguitur Verbum Divinum in ratione Filii à Persona Spiritûs Sancti, ex quo habet similitudinem naturæ, ut est natura propria viventium, quam similitudinem non habet Spiritus S. sed ex eo, quòd accipit naturam fœcundam, accipit similitudinem naturæ, ut est propria viventium, quàm non habet vel accipit Persona Spiritûs S. ergo. Major est clara, quia de ratione Filii est, quòd ex vi processionis procedat in similitudinem naturæ; minor, in qua est difficultas, probatur. Natura propriè significat principium operationis: Unde illud accipit simile naturam, quod accipit simile principium operationis, maximè, si operatio illa sit propria viventium: sed generare & communicare alteri naturam est operatio propria viventium; imò natura dicitur à *nascendo*: ergo, qui accipit naturam fœcundam & communicativam alteri suppositi, accipit similem naturam, & propriè habet rationem Filii.

Tertiò. Tunc Filius per fœcunditatem sufficienter distinguitur in ratione Filii à Spiritu S. quando fœcunditas est de essentia Filii: sed est de ipsius

ipsius essentia: ergo. minor probatur. Si per impossibile Filius non acciperet naturam fœcundam à Patre, non esset idem Filius, qui nunc est: ergo fœcunditas est de essentia Filii.

Confirmatur primò. Si Spiritus S. non esset à Filio, per locum intrinsecum Filius non esset idem numero Filius: ergo virtus spirativa est de essentia Filii.

Neque dicas. Quòd tunc Filius esset alterius rationis. Nam contra est: quod quidquid est de ratione hujus Filii Divini, est etiam de ratione Filii Divini ut sic, sicuti, quod est de ratione hujus numero DEI, est etiam de essentia DEI ut sic, cùm singularitas sit de quidditate ipsius, & repugnet alius numero DEUS: ergo cùm fœcunditas sit de ratione hujus Filii DEI, etiam est de ratione Filii Divini ut sic.

Confirmatur secundò. Nomen Filii à creatis, quibus per prius fuit impositum, extenditur ad Divina: ergo si in creatis fœcunditas est de essentia Filii, erit etiam in Divinis: Atqui in creatis est de Essentia Filii: nam Filius creatus est animal genitum simile producenti in forma substantiali, sed sine fœcunditate non esset simile producenti in forma substantiali; quippe cùm de essentia formæ sentientis sit, esse principium radicale communicandi naturam.

§. II.

Impugnatio hujus sententiæ

5. Displicet tamen hæc sententia primò, quia similitudinem naturæ, in definitione generationis significatam, collocat in aliquo notionali, quod est contra S. D. q. 35. a. 2. ubi dicit: *sicut secundùm relationes in Divinis non attenditur neque æqualitas, neque inæqualitas (ut Augustinus dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis.* Melior quoque Philosophia relationibus similitudinem denegat.

6. Displicet secundò. Quia ex communicata sibi virtute spirandi Filius non constituitur formaliter in ratione Filii, sed spiratoris: & si per impossibile Spiritus S etiam acciperet vi suæ processionis virtutem spirandi, vel aliò modò distinctam Personam producendi, non ideo tamen procederet ut Filius, sed ut spirator & principium. Priùs quoque Filius ratione nostrâ concipitur constitutus in ratione Filii, quàm in ratione spiratoris, quia Filiatio, per quam formaliter constituitur, est virtualiter spiratione prior, & radix ipsius. Unde tametsi per impossibile nec Pater, nec Filius spirarent, atque ita tantùm essent duæ Personæ productæ, adhuc salvaretur formalis ratio Filii.

7. Displicet tertiò. Quòd dissimilitudo naturæ inclusa in definitione generationis, non significat similitudinem in quocunque gradu generico, sed specifico, unde pro majori claritate in definitione generationis diximus: *Naturæ specificæ*. hæc enim est similitudo, quæ per se primò à generante intenditur: atqui fœcunditas sive formalis sive radicalis, cùm sit omnibus animalibus communis, non convenit ipsis, nisi secundùm gradum genericum: ergo per assimilationem in fœcunditate seu formali, seu radicali non bene salvatur definitio generationis.

Unde quartò. Hæc explicatio displicet, tanquam modo loquendi SS. PP. & Conciliorum parum consona, apud quos ly *natura* significat substantiam & essentiam, quæ est eadem in Personis, & in qua non tantum Filius Patri, sed omnes Personæ sibi similes sunt & coæquales.

§. III.

Solvuntur argumenta adversantium.

AD 1. in contrarium, retorqueo inprimis argumentum: nam per Adversar: radicalis ratio distinguendi processionem Verbi à processione Spiritûs Sancti, est, quòd illa fit per intellectum, ista per voluntatem: & tamen Derckennis ne virtualem quidem distinctionem inter utrumque admittit. Respondeo *secundò*. Ratio Filii debet fundari in aliquo, quo Persona Filii reipsâ differt à Persona Spiritûs Sancti, reipsâ vel formaliter vel virtualiter, concedo, tantùm formaliter, nego. Distinctio enim virtualis sicut sufficit ad verificandas has propositiones: *Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus non per intellectum, sed voluntatem*; ita etiam est sufficiens radix ad verificandas sequentes: *Processio Verbi est generatio, Processio Spiritûs Sancti non est generatio*: præsertim cùm ex parte termini producti relatio realiter distincta connotetur.

Ad 2. nego minorem. ad probationem minoris. Respondeo: quamvis ly *natura* significet principium actûs, non tamen principium intrinsecum conjunctum, à quo oritur aliud suppositum vivens: aliàs neque cæli, neque Angeli proprie haberent naturam. Adde, quòd hæc significatio tantùm explicet proprietatem gradûs generici, non ipsum gradum specificum, qui per ly *similitudinem naturæ* requiritur.

Ad 3. Respondeo, vel negando minorem vel. distinguendo majorem. Tunc fœcunditas distinguit Filium, quando est de essentia ipsius metaphysica, & secundùm explicitam ac reduplicatam rationem Filii, concedo, de essentia physicè acceptâ, & secundùm rationem implicitam, nego majorem. sed fœcunditas est de essentia Filii in sensu physico & implicito, concedo, metaphysico, & explicito, nego minorem & consequentiam. Ad probationem minoris concesso antecedente distinguo. consequens: ergo est de ratione Filii, ut Filius est, quòd accipiat virtutem spirativam, nego, De ratione ipsius, ut hic Filius & simul spirator est, concedo consequentiam.

Ad 1. confirmationem. Rursus distinguo consequens. Virtus spirativa est de essentia Filii, in quantum numericè est distinctus à Spiritu Sancto, concedo, in quantum præcisè Filius est, nego consequentiam. Ideóque Filius in illa hypothesi impossibili esset alterius rationis, quam nunc est, quia esset tantùm Filius & non spirator.

Ad replicam dico, quidquid est de ratione hujus Filii Divini, est etiam de ratione Filii Divini ut sic: vel ut pertinens ad explicitam, vel ut ad implicitam rationem Filii, concedo. tantùm ad explicitam nego. Est ergo fœcunditas de ratione Filii Divini, quantùm ad rationem implicitam spiratoris, non verò quantùm ad rationem explicitam Filii.

Ad

Ad secundam confirmationem gratis distinguo minorem. In creatis fæcunditas est de essentia filii, quantùm ad gradum genericum & materialem essentiæ, qui non est de primaria intentione generantis, transeat, quantùm ad gradum specificum essentiæ primariò intentum à generante, nego. Nam in fæcunditate genitum non nisi in proprietate generica assimilatur generanti. Addo: quòdsi à creatis valeat argumentum, Filius Divinus non spirativam, sed generativam virtutem à Patre deberet accipere, ut ipsi foret notionaliter similis: siquidem Patri non modò spirativa, sed etiam generativa communicatio naturæ Divinæ convenit.

ARTICULUS II.

An propter rationem imaginis processio Verbi sit generatio?

SUMMARIA.

1. *Proponitur sententia Vasquez.*
2. *Ejus patrocinium ab authoritate.*
3. *Refutatur: nam etiam Spiritus S. procedit in similitudinem.*
4. *Et consequenter ut imago Patris.*
5. *Tantùm evincitur ratio imaginis intentionalis, non naturalis.*
6. *Respondetur ad rationem Vasquii.*
7. *Proponitur sententia & fundamentum Veckeni.*
8. *Authoritas D. Augustini.*
9. *Incidit hæc opinio in fundamenta & refutationem prioris expositionis.*
10. *Ratio Divi Thomæ, quia Processio per intellectum est formaliter assimilativa.*
11. *Authoritas D. Anselmi pro eadem sententia.*
12. *An hinc evincatur similitudo naturalis?*
13. *Ratio formalissima, quia in DEO esse intelligibile non distinguitur ab esse naturali.*
14. *Formalissime idem est esse similem in esse intelligibili, & in esse naturali.*
15. *Quomodo in Divinis intendatur productio similis?*
16. *Spiritus S. ex vi suæ processionis procedit ut amor subsistens.*
17. *An bona consequentia? Spiritus S. ex vi processionis est DEVS spiratus: ergo ex vi processionis est DEVS.*
18. *Nulla distinctio virtualis inter Verbum & Filium.*
19. *Distinctio processionum.*
20. *Rejicitur sententia dicentium, Spiritum S. liberè produci.*
21. *Quomodo in sano sensu possit admitti Personam Divinam voluntariè produci?*
22. *Divinæ processiones quomodo sint ex aliquo?*

§. I.

Discutitur & rejicitur sententia Vasquez.

1. ALtera est expositio Vasquii Disp. 113. c. 3. Alarcon & aliorum dicentium, ex eo processionem Verbi esse generationem, quia cùm sit per intellectum, hoc ipso formaliter termino seu Verbo producto tribuit rationem imaginis. Spiritus verò Sanctus, quia per voluntatem procedit, quamvis ex vi suæ processionis eandem naturam accipiat, non tamen ex illa habet rationem imaginis, sed amoris.

Patrocinium hujus explicationis petunt inprimis ab authoritate S. Augustini l. 7. d. Trinit. c. 2. dicentis: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* & tr. 48. in Joan. *Verbum DEI semper cum Patre, & semper Verbum: & quia Verbum, ideo Filius.* Subsumunt: sed Filius ideo est Verbum, quia est imago Patris; ergo ex hoc capite etiam est Filius. 2.

Probant & ratione. Filius est essentialiter Imago Patris: ergo ex quo secunda persona habet, quòd sit Imago Patris, ex eo quoque habet, quòd sit Filius Patris: sed ex vi suæ processionis intellectualis habet formaliter, quòd sit Imago Patris: hoc autem Spiritus S. non habet ex vi suæ processionis: ergo non Spiritus S. sed Verbum ex vi suæ processionis procedit ut Filius.

Hæc tamen explicatio deficit inprimis, quia definitio generationis exigit, terminum produci in similitudinem, non in imaginem. Ergo si processio Spiritûs S. non minùs est in similitudinem, quàm processio Filii, non est ratio, cur magis processio Filii sit generatio, quàm processio Spiritûs S. 3.

Et secundò. Ideo Filius est Imago Patris, quia procedit in similitudinem ipsius: ideóque ratio imaginis præsupponit similitudinem cum producente; ad eamque necessariò sequitur; ita quidem, ut sit impossibile, aliquod vivens procedere ab altero cum similitudine ad ipsum, quin hôc ipsò illud repræsentet, sitque imago illius. Sed ex mente Adversi. Spiritus S. procedit à Patre in similitudinem naturæ ipsius. Non ergo minùs procedit ut Imago Patris, quàm Filius. Unde & Græci Spiritum S. appellant Imaginem Patris. 4.

Tertiò. Imago & ratio Verbi quantumvis comprehensivi, ex vi intellectionis ab essentia Divina virtualiter distinctæ, non plus exigit, quàm rationem Imaginis repræsentativæ & intentionalis; quæ non sufficit ad rationem Filii, cùm iste debeat esse Imago naturalis & consubstantialis, sed per Adversi. essentia Divina est virtualiter distincta ab intellectione: ergo ex vi intellectionis Verbum plus non accipit, quàm rationem imaginis repræsentativæ & intentionalis. 5.

Cæterùm Vasquez ratio non admodum urget: facilè enim Resp. Filius essentialiter est imago Patris naturalis, & quæ sequitur similitu- 6.

litudinem in natura, concedo, intentionalis, sic nego. Sed ex vi processionis per intellectum Filius habet rationem imaginis in esse intelligibili, concedo, in esse naturali, nego minorem & consequentiam.

§. II.

Discutitur & impugnatur explicatio Veckeni.

7. NOn longè à Vasquez discedit Veckenus, quamvis aliam viam conetur ingredi. Dicit ergo, ex eo, quòd processio secundæ Personæ per intellectum est formaliter *dictio* & *locutio*, ideo esse generationem, ac Personam productam procedere ut Filium, quia procedit ut Verbum comprehensivum totius Deitatis. Idque explicat ac confirmat hoc ferè discursu: Pater æternus non tantùm dicit & loquitur Verbum Divinum, sed & ipsum ceu Personam alloquitur, conformiter ad illud Psalm. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius Filius meus es tu.* & Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Jo. 8. v. 26. *Et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Sed loqui est communicare alteri suam notitiam: ergo DEUS Pater dicendo Verbum, communicat ipsi suam notitiam. Atqui scientia, quam Pater æternus Verbo loquitur & communicat, non tantùm identicè, sed formaliter est eadem cum sua essentia, eò quòd sit scientia comprehensiva suæ Deitatis; quæ per nullam repræsentationem à se distinctam adæquari potest. Ergo ex vi dictionis & locutionis Pater communicat Verbo suam Divinam essentiam.

8. Videtur huic modo loquendi favere S. Augustinus tum loco paulò antè citato dicens: *Eo Filius, quo Verbum.* tum libro 15. d. Trinit. c. 14. *Tanquam seipsum dicens Pater gignat Verbum sibi, æquale per omnia. Non enim se integrè perfectéque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quàm in ipso.* Et rursus. *Ideo Verbum hoc veritas est, quoniam quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est, quod autem in ea non est, nec in ipso est.*

9. Sed & ista expositio patum, nisi in modo proponendi differt à Vasquii mente, eandémque patitur difficultatem. Verbum enim habens comprehensivam notitiam Patris, eius dictione communicatam, quid aliud est, quam comprehensiva Imago Patris? nisi ergo illam communicatam notitiam & scientiam, nobiscum metaphysicè identificas cum Divina essentia (quod tamen Veckeno displicet) sed tantùm identicè & ratione subjecti, non formaliter & ex vi processionis Verbo natura Divina communicatur; neque ex vi processionis, ut imago naturalis, sed intentionalis procedit. Dictio quoque hoc modo explicata est formaliter in communicationem notitiæ; sed, si notitiam collocas extra lineam essentiæ, communicatio notitiæ non est formaliter communicatio & similitudo naturæ: ergo etiam dictio non est formaliter in similitudinem & communicationem naturæ: neque proinde dictio est formaliter generatio. Prima verba S. Augustini mox in rem nostram explicabimus. Reliqua probant quidem æqualitatem Verbi cum dicente, non autem formalem rationem Filii,

§. III.

Vera Thomistica ratio differentiæ.

OPtima tandem & ex S. Doctore q. 27. a. 4. petita responsio est; processionem Filii ideo esse generationem, quia est per intellectum, de cujus ratione est, assimilare sibi terminum: Processionem verò Spiritûs S. non esse generationem, quia est per voluntatem, de cujus ratione non est assimilare sibi terminum. Verba ipsius accipe: *Processio, quæ attenditur secundùm rationem intellectûs, est secundùm rationem similitudinis. Et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundùm rationem voluntatis, non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis, & moventis in aliquid.* Habetur ergo prima ratio differentiæ, cur Verbum procedat ut Filius, non autem Spiritus S. quia ille per intellectum, iste procedit per voluntatem. Nam Persona Divina, quæ ex vi processionis procedit similis Patri, est genita, sed Verbum vi processionis intellectivæ procedit, ut Persona similis Patri: ergo Verbum procedit ut Persona genita. minor constat ex prædicta formali ratione intellectionis: *intellectus enim fit in actu propter hoc, quòd res intellecta est in intellectu secundùm suam similitudinem.* Persona verò Spiritûs S. quia ex vi processionis non procedit ut similis Patri, etiam non procedit, ut genita.

Hanc differentiam processionum intellectivæ S. Anselmus in Monolog. cap. 8. dicens: *Verbum mox ut consideratur se prolem esse ejus, a quo est, evidentissimè probat; promptam præferendo Patris imaginem. At amor aperte se prolem negat; quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, ejus, ex quo est, similitudinem. Quamvis ipsum consideratæ rationi docet, omnino idipsum esse, quod est Pater & Filius.*

Si dicas. Hinc tantùm evinci similitudinem intentionalem, non naturalem. Respondent aliqui. Si intelligens sit in supremo gradu perfectionis, ut est DEUS, evinci similitudinem substantialem. Sed planè nisi rationem naturæ Divinæ in linea intellectiva constituas, similitudo substantialis non ex vi intellectionis & formaliter, sed tantùm concomitanter, & ex vi infinitatis infertur, quo modo amor, ex quo Spiritus S. procedit, est etiam substantialiter unitivus, quia est à voluntate infinitè perfectâ.

Melius ergo Respondeo, ex vi intellectionis Verbum procedere in similitudinem naturalem & ut consubstantialem Patri, quia essentia seu natura Divina est formalissimè ipsum intelligere DEI, juxta ea, quæ in Tract. de DEO Uno sunt dicta.

Unde quod Verbo dat rationem similitudinis intelligibilis, dat etiam formaliter rationem similitudinis naturalis: sed processio per intellectum dat Verbo formaliter rationem similitudinis intelligibilis: ergo dat ipsi quoque formaliter rationem similitudinis naturalis: ut secundùm Augustinum sit *eo Filius, quo Verbum*, h. e. ex vi ejus-

ejusdem intellectivæ processionis formaliter tam naturalis quàm intelligibilis Imago Patris, ut nulla etiam virtualis distinctionis umbra inter rationem Verbi & Filii intercedat.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

14 Objicies primò. Amor in Divinis non minùs formaliter tendit in identitatem naturæ; quàm intellectio: ergo Spiritus S. ex amore procedens non minùs procedit in similitudinem naturæ; quàm Verbum. Consequentia patet: cùm enim in Divinis alia similitudo non detur, quàm identica, hòc ipsò, quòd aliqua Persona procedit formaliter in identitatem, etiam formaliter procedit in similitudinem naturæ. Antecedens verò probatur. Non minùs amor Divinus est infinitè unitivus; quàm intellectio Divina sit repræsentativa & assimilativa: ergo sicut ex eo, quòd intellectio sit infinitè assimilativa, ipsius terminus procedit formaliter in similitudinem naturæ, etiam ex eo, quòd amor sit infinitè unitivus, terminus hujus amoris unitivi formaliter procedit in identitatem naturæ. Consequentia rursùs probatur. Sicuti nulla assimilatio, quæ non est in identitatem naturæ, est infinitè perfecta; ita nulla unio, quæ non est in identitatem cum unito, est infinitè perfecta: utique enim unio per identitatem major est omni aliâ unione. Ergo sicuti intellectio infinita formaliter exigit terminum identicè similem in natura: ita etiam amor infinitus exigit terminum identicè similem in natura.

Respondeo negando antecedens. Cujus probatio illos forsan urget, qui Divinæ naturæ constitutivum extra lineam intellectivam inquirunt, aut adæquatam rationem similitudinis consubstantialis in perfectissima assimilatione collocant. Nobis exiguum negotium facessit. Nam Respondeo, negando primum membrum consequentis, & causalem illius. Ratio quippe, cur terminus intellectionis Divinæ formaliter procedat in similitudinem naturæ, non est, quia est infinitè assimilativa; sed quia in Divinis intelligere ex vi propriæ lineæ est ipsamet natura Divina; unde hòc ipsò, quòd Verbum ex vi suæ processionis habet, quòd sit simile in esse intelligibili, habet etiam, quòd sit simile in esse naturali. At verò identitas & similitudo naturæ est extra lineam amoris & voluntatis; unde amor infinitus ex vi propriæ lineæ non habet, quòd sit unitivus substantialiter, sed tantùm affectivè; ex conceptu verò implicito & conditione termini producti (quia videlicet tendit in productionem entis ac termini infiniti) habet, quòd etiam tribuat identitatem naturæ. Unde si per impossibile ratio impulsûs infiniti posset esse separata, vel realiter distincta à natura Divina; Spiritus S. non procederet, ut idem in natura, sed præcisè ut impulsus & nexus affectivus duorum.

15 Sed contra hæc instas & objicis secundò. Agens intendit producere sibi simile tam in virtute radicali, quàm proxima; sed virtus radicalis tam producendi Spiritum S. quàm Verbum, est natura: ergo Pater & Verbum in productione Spiritûs S. intendunt illum sibi assimilare etiam in natura.

Respondeo distinguendo majorem; agens, quod agit virtute proximâ per se primò destinatâ ad communicationem naturæ, concedo, quod non agit virtute proximâ destinatâ ad communicationem naturæ, nego, vel subdistinguo majorem: tunc intendit sibi assimilare terminum in principio radicali, concomitanter, transeat, formaliter nego majorem. Sed principium radicale in productione Spiritûs S. est natura; ita tamen, ut principium proximum non sit destinatum ad communicationem naturæ, concedo; secùs, nego minorem & consequentiam, vel subdistinguo consequens: ergo Pater & Verbum intendunt sibi assimilare Spiritum S. concomitanter, concedo, formaliter, nego consequentiam.

16 Adhuc instas & opponis tertiò: Spiritus S. formaliter procedit, ut Persona Divina: ergo procedit formaliter in similitudinem naturæ. Consequentia est manifesta, quia Persona Divina essentialiter includit naturam Divinam. Antecedens verò probatur primò, quia Spiritus S. vi suæ processionis habet, ut sit distinctus à Patre & Filio; sed est distinctus, in quantum est Persona Divina: ergo. Secundò, Quia ex vi processionis procedit, ut est, sed est Persona Divina: ergo. Tertiò Spiritus S. ex vi processionis habet relationem tanquam constitutivum Personæ; ergo ex vi processionis etiam habet, quòd sit Persona.

Respondeo negando antecedens, non enim ex vi processionis procedit, ut subsistens in natura; sed ut subsistens in amore; sive *ut amor subsistens*. Unde ad primam probationem distinguo minorem. Ex eo, quod est Persona, est distinctus à Patre & Filio, tanquam ex ratione quasi materiali, concedo, tanquam ex ratione formali, nego. Ad secundam probationem Respondeo. Ex vi processionis procedit, ut est, & secundùm omnem rationem quâ est, nego. secundùm aliquam, concedo. Ad tertium Respondeo negando antecedens: habet enim relationem ex vi processionis tanquam modificativam amoris: ipsam verò ut modificativam naturæ & constitutivam Personæ, etsi habeat per processionem, non tamen ex vi processionis.

§. V.

Corollaria.

17 Colliges ex his primò, falsam esse hanc consequentiam. *Spiritus S. ex vi processionis est DEVS spiratus: ergo ex vi processionis est DEVS.* Quia in antecedente terminus reduplicans afficit ly *spiratus*, & facit hunc sensum: quòd formalis terminus spirationis activæ sit ratio impulsûs & amoris spirati. In consequente verò afficit terminum Deitatis, quæ tamen non formaliter ex vi processionis, sed concomitanter tantùm communicatur. Unde mutatur appellatio, & fit transitus à sensu composito termini complexi ad sensum divisum termini incomplexi.

18 Colliges secundò: rationem *Verbi* & *Filii* non distingui virtualiter intrinsecè in Divinis; quia etiam dictio & generatio virtualiter intrinsecè non distinguuntur. Neque refert, quòd Christus ut homo à supposito Verbi constituatur in ratione Filii

Filii naturalis, quin tamen constituatur in ratione Verbi; quia ad hæc contradictoria salvanda sufficit distinctio virtualis extrinseca, veluti in Tract. de DEO uno observavimus.

19. Colliges tertiò. Omnes quatuor processiones à se invicem formaliter; solas tamen activas à passivis, & passivas inter se realiter distingui. Ratio primi est. quia habent principia & terminos formaliter distinctos. Ratio secundi est: quia in Divinis ibi solùm reperitur realis distinctio; ubi invenitur realis oppositio; sed hæc tantùm reperitur inter processiones activas cum passivis, aut passivas inter se comparatas: ergo. Generatio igitur activa realiter distinguitur à generatione passiva, sive æterna nativitate Verbi Divini. Similiter spiratio activa Patris & Filii realiter distinguitur à spiratione passiva Spiritûs Sancti, ob mutuam oppositionem relativam; cujus defectu generatio activa à spiratione activa realiter non distinguitur. Rursus: generatio passiva Filii est realiter distincta à spiratione passiva Spiritûs Sancti: quia licèt non immediatè, mediatè tamen & virtualiter sibi opponuntur. Nam ex eo, quòd Filius per suam processionem accipit omnia à Patre, in quibus ipsi relativè non opponitur, accipit quoque virtutem spirandi, ac proinde generatio ipsius est radix spirationis activæ; quæ formaliter & immediatè spirationi passivæ opponitur.

20. Colliges quartò. Nullam esse rationem differentiæ inter processionem Filii & Spiritûs S. quam tradit Faventinus in 1. disp. 40. eamque ut veriorem amplectitur Lalemandet hîc Disput. 1. part. 3. memb. 1. Nempe, ideo processionem Verbi esse generationem, quia productio Filii est naturalis, eò quòd sit per intellectum, tanquam principium naturaliter inclinatum ad agendum. Spiritus S. verò procedat liberè, eò quòd procedat per voluntatem, tanquam per principium solùm liberè inclinatum ad agendum. Nulla inquam hæc est ratio differentiæ, primò, quia falsò supponit, Spiritum S. liberè produci: Certè si Spiritus S. liberè produceretur, posset non produci, ac proinde foret creatura. Negant quidem Adversarii sequelam, & dicunt Spiritum S. liberè produci libertate, quæ opponitur coactioni, non autem libertate, quæ opponitur necessitati. Verùm hæc divisio libertatis pugnat contra essentiam ipsius, essentialis quippe conceptus libertatis, juxta ea, quæ in Tract. de DEO Uno diximus, dicit indeterminationem & indifferentiam sive activam, sive passivam, quam non solùm coactio, sed etiam antecedens necessitas tollit. Stante quoque hâc divisione Calvini sententia non everteret humani arbitrii libertatem, siquidem Calvinus non docet, homines à DEO cogi ad operandum, sed tantùm necessitari; ita ut spontanè quidem operentur, non operari tamen in eorum potestate non sit. Adeóque tametsi homines non haberent libertatem à necessitate; adhuc tamen liberè operarentur, quia haberent libertatem à coactione.

Contra eandem sententiam est secundò. Quòd multæ sunt actiones per naturam, quæ tamen non sunt generationes viventis. Ergo per hoc, quod Verbum naturaliter procedat, non sequitur, quòd sit genitum.

Contrà est tertiò. Quòd neque Verbum procedit coactè, siquidem procedit cum infinita complacentia voluntatis: ergo etiam principium productivum Verbi esset liberum à coactione.

Contra est quartò. Intellectus non est naturaliter inclinatus, nisi ad producendam similitudinem intentionalem, ergo ex ejus naturali productione non rectè infertur generatio Filii.

Contra est quintò. Verbum non alia ex causa coactè produceretur, quàm, quia cogeretur à natura fœcunda: sed fœcunditas Divina non tantùm est ex parte intellectûs; sed etiam ex parte voluntatis; ergo etiam Spiritus Sanctus coactè procederet.

Colliges quintò. Quo sensu dici possit: Divinas Personas voluntate vel voluntariè fuisse productas. Potest nimirum ly *voluntate vel voluntariè* tripliciter accipi. Primò concomitanter, hoc est, cum complacentia voluntatis, & sic de utraque Persona Filii & Spiritûs S. verificatur, ipsas voluntariè, seu voluntate fuisse productas. Secundò causaliter, hoc est, à voluntate, tanquam principio, & hoc sensu non nisi tertia Persona Spiritûs S. est voluntate producta. Tertiò voluntariè accipiendo pro liberè, & tunc neutra Persona voluntariè est producta.

Colliges sextò. Divinas Processiones non esse ex nihilo, sed ex aliquo, & de aliquo, Non sunt ex nihilo, quia ratione intrinsecæ & imparticipatæ æternitatis nunquam potuerunt non esse. Sunt autem ex aliquo & de aliquo, non quòd sint ex aliquo subjecto (quo modo Philosophi ly *ex* in rigore accipiunt) sed ab alio principio producente, in quo secundùm prioritatem originis naturam sibi communicatam supponunt. Unde dicitur in Symb. *DEVM de DEO, Lumen de Lumine. Qui ex Patre Filióque procedit.* Et Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.*

DISPUTATIO XXIII.
DE
Divinis relationibus.
Ad q. 28.

POst considerationem Divinarum processionum, subnectitur consideratio Relationum, quæ ratione nostrâ in iis processionibus fundantur. De quibus universaliter prænotamus, ea, quæ Philosophi de relatione tradere solent, demtis imperfectionibus, Divinis relationibus accommodari. Unde quemadmodum illi in Relatione distin-

distinguunt *esse ad*, ab *esse in*, & illud quidem, hoc est, habitudinem ad terminum dicunt esse de formali & explicito conceptu Relationis; istud verò, hoc est, inexistentiam in subjecto ipsi cum aliis accidentibus communem, dicunt esse solùm de conceptu Relationis implicito; ita etiam in Divinis relationibus distinguimus *esse ad* ab *esse in*, & illud dicimus habitudinem ad terminum, in quo explicita ratio relationis consistit; istud verò intimam inclusionem essentiæ secum identificatæ, quæ pertinet ad implicitam rationem ipsius.

ARTICULUS I.

An, & quot sint relationes in DEO?

SUMMARIA.

1. *Relationum Divinarum realitatem docet Fides.*
2. *Probat ratio & authoritas.*
3. *Etiam secundùm esse ad.*
4. *Probatur quaternarius numerus relationum.*
5. *In quo tantùm tres realiter distinguuntur.*
6. *Distinctio formalium terminorum in Divinis non infert realem distinctionem relationum.*
7. *Filiatio spirationi passivæ opponitur mediatè.*
8. *Inter relationes & essentiam tantùm datur distinctio rationis ratiocinatæ.*

§. I.

Existentia relationum.

1. DAri reales relationes in DEO est de Fide; siquidem Divinæ Personæ in Sac. Script. Matth. ult. Jo. 1. relativis nominibus Patris, Filii, Verbi, Spiritûs S. efferuntur, è quibus Pater & Filius sunt correlativa. Verbum dicit habitudinem ad dicentem, Spiritus ad spirantem. *Ratio est primò.* Reale fundamentum relationis comitatur realis relatio: atqui in DEO est reale fundamentum relationis, realis nempe productio & processio, veluti in disput. præcedenti ostensum est: ergo.

2. Secundò. Quod realiter constituit, & distinguit, est reale; sed relationes constituunt & distinguunt realiter Divinas Personas: ergo sunt reales. Minorem habet Concilium Toletanum secundum *in fidei professione* dicens: *Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est: similiter & Spiritus S. non ad se, sed ad Patrem & Filium relativè refertur.* Item SS. PP. Augustinus Tract. 39. in Joan. *Hoc solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt, non quòd ad se sunt.* Anselm. l. de process. Spiritûs S. *Pluralitas relationem sequitur, & unitas ibi est, ubi non obviat aliqua relationis oppositio.* Boët. l. d. Trinit. *Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

3. Quæ authoritates & rationes ostendunt, Divinas relationes non tantùm secundùm rationem inadæquatam, & quoad *esse in*, sed secundùm omnem & adæquatam rationem, & secundùm *esse ad* reales esse. Neque enim Divinæ Personæ per *esse in*, sed per *esse ad* Relationum & habitudinem ad se invicem constituuntur, opponuntur, distinguuntur.

§. II.

Numerus relationum.

4. QUatuor ejusmodi relationes numeramus: Paternitatem, quâ Pater; Filiationem, quâ Filius constituitur: spirationem activam, ex parte Patris & Filii, & spirationem passivam ex parte Spiritûs S. Quem numerum probant Divinæ processiones ceu proximæ rationes fundandi.

Quælibet enim productio, in qua tam producens, quàm productum sunt ejusdem ordinis, fundat duplicem relationem, unam in producente, & alteram in producto; sed in DEO est duplex processio, & in qualibet illarum producens & productum sunt ejusdem ordinis: ergo utraque processio fundat duplicem relationem: processio nempe intellectiva, relationes Paternitatis & Filiationis: processio verò volitiva relationes spirationis activæ & passivæ.

Non ideo tamen existimes, omnes enumeratas 5.
relationes, uti sunt reales, ita ab invicem realiter esse distinctas. Hinc enim sequeretur, in DEO non Trinitas, sed quaternitas rerum ac Personarum, damnata in Concil. Florentino & Lateranensi. Tres igitur tantummodò relationes inter se realiter distinguuntur: Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva: ibi enim est realis distinctio, ubi est relativa oppositio secundùm ordinem originis; sed inter prædictas relationes invenitur oppositio secundùm ordinem originis: ergo & realis distinctio.

Porrò spiratio activa, quamvis ob eandem oppositionem & ordinem originis à spiratione passiva realiter distinguatur; à Paternitate tamen & Filiatione defectu ejusmodi oppositionis non est realiter distincta. Nam juxta Divi Anselmi regulam à Theologis universim receptam, *omnia in Divinis sunt idem, ubi non obviat aliqua relationis oppositio.*

Dices. Quot sunt termini relationum formales & adæquati; tot sunt realiter distinctæ relationes: sed in Divinis quatuor sunt termini formales & adæquati relationum: ergo totidem sunt relationes realiter distinctæ. 6.

Respondeo, majorem tantùm habere locum in relationibus creatis, non increatis; creata quippe relatio ex nativa sua limitatione habet, ut ad plures terminos formales & totales nequeat terminari: neque solùm titulo oppositionis, sed etiam limitationis ab alia relatione distinguitur. Cùm ergo in Divinis relationibus nulla possit esse limitatio; ideo sola totalium terminorum diversitas ad realem ipsarum distinctionem non sufficit, nisi insuper oppositio relativa accedat.

Sed *inquis.* Filiatio realiter distinguitur à spi- 7.
ratione passiva; nec tamen eidem relativè opponitur: ergo oppositio relativa non est ne-

cessatium fundamentum realis distinctionis in Divinis.

Respondeo, tametsi Filiatio spirationi passivæ non opponatur directè & immediatè, opponi tamen indirectè, & mediatè. Ex eo enim, quòd secunda Persona procedit ut Filius; procedit etiam ut principium amoris habens eandem virtutem spirativam cum Patre; sicque ipsa Filiatio radicaliter est activa spiratio, quâ mediante spirationi passivæ opponitur. Econtrà spiratio activa nec mediatam, nec immediatam, neque directam neque indirectam habet oppositionem cum Paternitate, & Filiatione; ideóque non nisi ratione ratiocinatâ ab utraque distinguitur.

8. Eadem distinctio rationis ratiocinatæ intercedit inter relationes & essentiam Divinam, exclusâ semper omni distinctione reali actuali, & admissâ solâ distinctione virtuali intrinsecâ ante mentis operationem. Ratio primæ & tertiæ partis est, quòd de relationibus & essentia prædicentur contradictoria realia, primòintentionalia, quæ proinde in modo concipiendi distinctionem rationis, ex parte rei conceptæ verò radicem verificativam illius distinctivi conceptûs requirunt. Ejusmodi porrò radix est una & sola distinctio virtualis; non aliqua strictè realis, quippe quæ simplicitatem Divinam læderet, nec Trinitatem, sed quaternitatem inferret in DEUM: non etiam formalis ex natura rei, aut distinctio realis in tertio, cùm illa sit impossibilis; ista verò insufficiens ad salvanda contradictoria, quemadmodum in priori Tractatu ostendimus, quæ hîc non repeto.

ARTICULUS II.

Utrùm essentia Divina includatur formaliter in conceptu relationum, & vicissim relationes in conceptu essentiæ?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Ex doctrina S. D. ostenditur essentiam formaliter includi in conceptû relationum.*
3. *Rationes pro eadem assertione.*
4. *Probatur formalis inclusio relationum in essentia.*
5. *Refellitur acceptio essentiæ sub conceptu transcendentali.*
6. *Includuntur relationes in essentia per modum termini essentialis.*
7. *Inclusio fit secundùm conceptum implicitum.*
8. *Quo sensu hæc prædicatio, DEVS est Pater, non sit per se formalis.*
9. *Non sequitur, quidquid essentialiter prædicatur de essentia, posse similiter prædicari de relationibus.*
10. *Filiatio prædicatur de Divinitate per modum termini inadæquati.*
11. *Constitutivum per modum simplicitatis potest implicitè totum continere, quod est in re constituta.*
12. *Cur possint concedi tres entitates, non tres essentiæ?*

§. I.

Astruitur inclusio essentiæ in conceptu relationum.

1. SI loquamur in sensu physico, haud dubiè tam essentia, & natura Divina erit de quidditate relationum; quàm relationes de quidditate naturæ Divinæ; siquidem ad physicam rei quidditatem pertinet, quidquid à parte rei identificatur cum illa. Sed loquimur in sensu metaphysico, in quo illa solùm formalitas dicitur esse de quidditate alterius, quæ ab ipsius objectivo conceptu cum fundamento in re perfectè præscindi, & per rationem separari non potest. Quo modo differentiæ, proprietates, & modi entis includuntur in Ente, suntque de quidditativo, quamvis implicito, conceptu entis.

Econtrà neque gradus genericus animalitatis, neque gradus individualis singularitatis est de quidditate rationalitatis in homine, quia uterque ab objectivo conceptu rationalitatis perfectè præscindi, & animalitas quidem per rationalitatem in compositionem metaphysicam trahi: singularitas verò per modum accidentis Logici & metaphysici essentiæ sic constitutæ advenire potest. Unde prædicationes istæ, *Animalitas est rationalitas vel rationalitas est singularitas*, licèt in sensu physico & identico veræ sint; in sensu tamen formali & metaphysico sunt falsæ. Quæritur ergo, num essentia Divina sit essentialiter inclusa in relationibus; & rursus: an relationes essentialiter includæ sint in essentia? Ubi duæ opiniones sunt extremæ, una negans de utroque, quam tenent Vasquez, Ysambertus, Molina; altera de utroque affirmans, quam tenent Suarez l. 4. de Trinit. c. 7. Cajetanus, Joan. à S. Th. Godoyus, Gonet, & communior Thomistarum. Tertia mediam sequitur viam, & dicit, essentiam esse de conceptu relationum, non autem vicissim relationes de conceptu essentiæ. Hanc tenent Zumel. Granad. Arrubal, Martinon.

CONCLUSIO I. *Essentia Divina actu formaliter includitur in conceptu relationum.* Videtur mens expressa S. D. pluribus argumentis. Primò. Secundùm doctrinam S. D. in DEO, ex parte rei significatæ nihil dicit concretum, quod non etiam dicit abstractum, quamvis in modo significandi sit diversitas, sed concretum DEI actu formaliter includitur in concreto relativo Patris: ergo etiam abstractum Divinitatis, hoc est, Divina essentia & natura actu formaliter includitur in abstracto relationis. minor est S. D. q. 31. a. 3. ad 1. ubi de prædicatis essentialibus dicit: *Illa includuntur in conceptu propriorum: in intellectu enim Personæ Patris intelligitur DEVS.*

Secundò. Juxta eundem S. Doctorem attributa Divina essentialiter prædicantur de proprietatibus seu relationibus: ergo etiam essentia Divina. Consequentia patet ex identitate rationis: antecedens habetur à S. D. 1. ad Annib. dist. 33. q. un. a. 1. ad 4. ubi sic loquitur. *Attributa essentialia possunt significari in abstracto, vel in concreto. Si in abstracto; sic essentialiter prædicantur, & de essentia, & de proprietate in abstracto acceptis. Dicimus enim, quòd essentia Divi-*

Divina, vel etiam Paternitas est bonitas vel sapientia DEI.

Tertiò ex eodem S. Doct. hîc q. 28. a. 2. sicuti in creata relatione *esse in* est ipsius esse inhærens & accidentale; ita in relatione increata *esse in* est ipsius esse subsistantiale: sed relatio creata suum *esse in* inhærentiæ accidentalis habet essentialiter, quamvis implicitè: ergo etiam relatio increata suum *esse in* subsistantiale habet, & includit essentialiter, quamvis implicitè tantùm.

Quarto. Eædem rationes, quibus in Tract. de DEO uno ostendimus, essentiam Divinam esse de conceptu formali cujuslibet attributi, probant eandem essentiam esse de formali ratione cujuslibet relationis. Nimirum de ratione actûs puri & infiniti formaliter est, ut formaliter reperiatur in omni linea entis nullam involvente imperfectionem, magis, quàm sit de ratione entis, ut inveniatur inclusum in suis differentiis, & proprietatibus: sed essentia Divina est formaliter actus purus & infinitus: ergo debet formaliter in omni linea etiam relativa inveniri.

Præterea si daretur in Divinis distinctio excludentis & excluſi (quæ sequitur ex sententia Adversariorum) daretur in DEO cum fundamento in re conceptus compositionis, vel metaphysicæ ex genere & differentia; vel physicæ ex subjecto & forma: quia relatio compararetur ad essentiam, tanquam forma ab extrinseco superaddita, eamque contrahens ad esse relativum: at consequens est absurdum, ut supponitur ex priori Tractatu: ergo.

§. II.

Astruitur inclusio formalis relationum in essentia.

4 CONCLUSIO II. *Etiam vicissim Divinæ relationes includuntur in essentia.* Hanc probant eadem fundamenta & rationes, quibus priorem assertionem firmavimus. Nam primò ex S. D. ad Annibald. primùm vidimus paternitatem essentialiter prædicari de attributis essentialibus: ergo etiam potest essentialiter prædicari de essentia, & consequenter in essentia formaliter includitur.

Secundò. Nisi essentia Divina actu includeret relationes, non esset actus purus formaliter, & infinitus in omni linea. Ac tertiò posset concipi, ut informabilis per formam ab extra superadditam.

Quartò. De essentiali conceptu naturæ Divinæ est, communicari ad intra: ergo etiam termini intrinseci & essentiales istius communicationis sunt de essentia Divinæ naturæ.

5 Neque existimes: prædicta tantùm probare de essentia Divina, sub conceptu essentiæ omnes Divinas perfectiones transcendentis, uti cum Jo. à S. Th. vult Petrus Labat tract. 2. dub. 3. non autem sub conceptu naturæ, ut virtualiter ab attributis distinctæ. Nam primò, supervacaneam & inutilem esse hanc distinctionem essentiæ à natura ex transcendentalitate illius petitam. patet ex dictis in Tractatu de DEO Uno; præsertim cùm inter essentiam & naturam nulla distinctio virtualis admittatur ab Adversariis.

Secundò. Quia hæc distinctio videtur nugatoria: quid enim aliud est inferiora transcendere quàm in ipsis actu formaliter includi, uti patet in ente, quod ideo est transcendens, quia formaliter includitur in suis inferioribus. Dicere ergo, essentiam Divinam sub ratione transcendentis formaliter includi in relationibus, est dicere; essentiam Divinam ut formaliter inclusam, includi in inferioribus; quod est nugari & petere principium.

Tertiò: quia ratio actûs puri, & infiniti formaliter non minùs competit naturæ, ut natura est, quàm essentiæ Divinæ, sed ratio formalis inclusionis est infinita actualitas: ergo.

Quartò non minùs repugnat naturæ sub conceptu naturæ distinctio excludentis & excluſi, & compositio physica, vel metaphysica cum suis proprietatibus, quàm repugnet Divinæ essentiæ: ergo non minùs includit relationes, ab iisque includitur, quàm essentia Divina.

Quintò ly *natura*, quod ponitur in definitione Personæ, significat naturam strictè sub ratione naturæ: ergo ut sic includitur in personalitate.

Sextò. Attributa juxta S. D. in abstracto essentialiter prædicantur de relationibus: ergo & radix attributorum, hoc est natura sub conceptu naturæ: ergo & formaliter includitur.

Cæterùm duo in præsenti diligenter sunt ad- 6.
vertenda. Primum est: Relationes Divinas in essentia non includi per modum prædicati constitutivi, aut quidditativi, sed per modum termini essentialis & inadæquati. Non per modum prædicati constitutivi, quò modò aseitas includitur in essentia; quia relationes non sunt id, quòd primò in DEO intelligitur, sed Divinam essentiam jam constitutam supponunt. Non etiam per modum prædicati quidditativi: hæc enim tam latè patent, quàm essentia, suntque omnibus Personis communia. Quidquid enim est essentia Divina, æternum, immensum, infinitum est &c. Non ita relatio, neque enim, quidquid est essentia Divina, paternitas est, cùm essentia Divina sit etiam filiatio, quæ realiter à paternitate distinguitur. Includuntur itaque relationes in essentia, ceu termini essentiales & inadæquati, in quibus natura Divina petit essentialiter fieri incommunicabilis.

Secundum est. Essentiam seu naturam Divi- 7.
nam, ut inclusam in relationibus, & similiter relationes, ut inclusas in essentia amittere expressionem conceptûs expliciti; adeóque naturam inclusam in relatione exprimi per modum relationis: & econtrà relationes inclusas in natura exprimi per modum naturæ: quia videlicet ut sic trahuntur ad aliam lineam, à sua linea virtualiter distinctam.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò authoritatem S. D. de pot. q. 8. 8.
a. 2. ad 6. negantis hanc propositionem esse per se formalem. *DEVS est Pater.* Item D. Augustini 3. de Trinitate c. 6. & Boëtii de Trinit. negantium, *relationes dici de DEO substantialiter, vel essentialiter.*

Respon-

Respondeo, negari à S. D. has propositiones esse *formales* formalitate expressionis, vel constitutionis, quasi relatio se haberet ad modum prædicati quidditativi; non tamen negat esse formales formalitate inclusionis, aut terminationis essentialis, ut satis apertè colligitur ex eodem S. D. supr. cit. q. 33. a. 3. ad primum.

Negant quoque SS. PP. relationes dici *substantialiter*, hoc est, *per modum substantiæ*, & prædicati quidditativi, ut explicat S. Augustinum S. D. hic q. 28. a. 2. ad 1. Negant dici *essentialiter*, in quantum ly *essentiale* in Divinis opponitur *proprio*, seu *notionali*, & sumitur pro prædicato adæquato, absoluto & communi omnibus Personis. Non verò prout ly *essentiale* opponitur *accidentali*, & accipitur pro eo, quod intrinsecè pertinet ad quidditatem rei.

9. Objic. secundò. Ex quidditativa inclusione relationum in essentia, sequitur hoc magnum absurdum, quòd quidquid prædicatur essentialiter de essentia, possit etiam prædicari de relationibus, & vicissim quod dicitur de relationibus, dici possit de essentia, adeóque veræ forent istæ propositiones: *Paternitas est communicabilis: Essentia est incommunicabilis*; *Essentia est producta: Filiatio est improducta, &c.* quod tamen nemo dixerit, nisi qui definitionibus Conciliorum contradixerit.

Respondeo negando sequelas adductarum propositionum, earúmque fundamentum distinguo. quidquid prædicatur essentialiter de essentia, prædicatur etiam essentialiter de relationibus, & è converso: si prædicatum essentiale conveniat pro statu reduplicato conceptûs expliciti & distinctionis virtualis, nego. pro statu conceptûs impliciti, concedo. Itaque falsæ sunt omnes propositiones adductæ, quia ly *cõmunicabile & improductum* convenit essentiæ, ut virtualiter distinctæ à relationibus: & pro statu conceptûs expliciti; ac rursus ly *productum & incommunicabile* convenit relationi, ut virtualiter distinctæ ab essentia; neque proinde vel *communicabile & improductum* de relationibus, vel *incommunicabile & productum* de essentia absolutè dici potest.

Dixi *absolutè*. Si enim fiat repetitio & specificatio conceptûs impliciti, prædictæ propositiones cum addito verificari possunt. Si videlicet dicas: *Essentia est Filiatio producta & incommunicabilis. Filiatio est essentia improducta & communicabilis.* Tunc enim significabis, hæc prædicata subjecto non ex vi, & pro statu conceptûs expliciti (quod simpliciter prolata significarent) sed ex vi & pro statu conceptûs impliciti convenire.

10. Objic. tertiò. Quidquid essentialiter prædicatur de Divinitate, prædicatur essentialiter de singulis Personis; sed Filiatio non prædicatur essentialiter de singulis Personis: ergo nec prædicatur essentialiter de Divinitate.

Respondeo permissâ consequentiâ, quæ vitiatur ex ly *essentialiter* æquivocè accepto, distinguendo majorem. Si prædicatur per modum prædicati quidditativi & convertibilis, concedo, per modum termini inadæquati & inconvertibilis, nego. Similiter distinguo consequens: non prædicatur essentialiter de Divinitate per modum prædicati adæquati & convertibilis, concedo, per modum termini inadæquati & inconvertibilis, nego consequentiam.

Objic. quartò: Constitutivum non potest dicere & formaliter continere illud totum, quod est in re constituta: Divinæ relationes constituunt Personas: ergo non possunt continere formaliter hoc totum, quod continet Persona: sed Persona præter relationem etiam continet & dicit naturam: ergo.

Respondeo. Constitutivum per modum compositionis non potest dicere illud totum, quod est in re constituta (quia tunc se habet per modum partis) concedo. constitutivum per modum simplicitatis, nego, vel subdistinguo. Non potest dicere totum, quod est in re constituta, explicitè, concedo. implicitè, nego.

Objic. quintò. Nunquid relationes adveniunt essentiæ? quo pacto ergo continentur in illa? Respondeo. Adveniunt quoad conceptum tam explicitum, quàm implicitum, ut animalitas advenit rationalitati, nego: tantùm quoad conceptum explicitum, concedo.

Dices. Quia entitas Divina essentialiter includitur in relationibus, ideo ad multiplicationem relationum etiam entitas multiplicatur: ergo si etiam essentia Divina essentialiter in iisdem relationibus est inclusa, tot erunt essentiæ, quot relationes, quod est contra fidem.

Respondeo distinguendo causalem antecedentis, quia essentialiter includitur, ita, ut sit etiam prædicatum commune relationibus, communitate prædicationis & rationis, concedo, communitate tantùm reali, nego. & similiter distinguo causalem consequentis. Si Divina essentia sit inclusa in relationibus, tanquam communis communitate rationis & prædicationis concedo, communitate tantùm reali nego consequentiam. Constat autem Divinam essentiam non esse prædicatum commune communitate rationis & prædicationis, quia non præscindit à relativo & absoluto, sicut entitas; sed tantùm est communis per realem & formalem identitatem. Unde licèt in Divinis admitti possint tres entitates, non tamen tres essentiæ concedi possunt.

ARTICULUS III.

Utrùm Divinæ relationes dicant perfectionem secundùm explicitam rationem relationis?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Relationes secundùm esse ad nullam dicunt perfectionem.*
3. *Perfectio est de absolutis juxta S. D.*
4. *Si esse ad relationis diceret perfectionem, esset & non esset infinita perfectio.*
5. *Personæ essent inæquales.*

6. *Patet*

6. *Pater etiam sine filiatione formaliter habita est infinitè perfectus.*
7. *In quantum Personæ opponuntur, non exprimunt perfectionem.*
8. *Sequerentur plures distinctæ perfectiones.*
9. *Impugnatur responsio Jo. à S. Th.*
10. *Authoritates contra multiplicationem perfectionum in Divinis.*
11. *Evasiones refelluntur.*
12. *Tolleretur æqualitas Personarum.* Cuna.
13. *Plures Personæ essent aliquid perfectius, quam*
14. *Non qualibet Persona esset perfectus DEVS.*
15. *Responsio de relatione transcendenti ali rejicitur.*
16. *Impugnatur infinitudo generis relativi.*
17. *Impugnatur responsio de perfectione eminenter & radicaliter habitâ.*
18. *Impugnatur responsio de circuminsessione.*
19. *Impugnatur responsio de inæqualitate extensiva.*
20. *Respondetur ad objecta testimonia SS. PP.*
21. *Tria alia difficiliora testimonia.*
22. *Exponitur Damascenus.*
23. *Quomodo mysterium Trinitatis pertineat ad perfectionem.*
24. *Exponitur, in quo sensu Pater major sit Filio.*
25. *Occurritur testimoniis è S. D. desumptis.*
26. *Nihil deest Divinis relationibus in suo genere nullum exprimente actum.*
27. *Bonum non æquè perfectè est prædicatum transcendens, sicut ens, res & unum.*
28. *Diluitur argumentum Contensoni.*
29. *Divinæ relationes ut propriæ lineæ non continent perfectionem hypostasis creatæ secundùm utrumque ejus munus.*

§. I.

Sententia negativa eligitur.

1. SI Divinæ relationes completè & adæquatè accipiantur, tam secundùm *esse in*, quàm secundùm *esse ad*, dicunt haud dubiè infinitam perfectionem, cùm *esse in* Divinarum relationum sit earundem esse substantiale infinitè perfectum. Quæ causa est, quòd relativæ subsistentiæ adorandæ proponantur *in præfatione Ecclesiæ, ut in Personis proprietas, & in majestate adoretur æqualitas.* Sexta quoque Synodus act. 18. tribus relativis subsistentiis perfectionem tribuit, dicens: *credimus unam substantiam, in tribus subsistentiis Trinitatem, propter subsistentiarum perfectionem.*

Sola nec levis est *controversia*, utrùm relatio secundùm *esse ad*, & rationè habitudinis ad terminù dicat aliquam perfectionem, quam tractant Interpretes S. Th. super hanc q. 28. a. 2. & q. 42. a. 3. Pro affirmativa stant Aureolus in 1. d. 19. q. 2. a. 3. Bachon. in 1. dist. 19. Suarez. l. 3 d. Trin. cap. 9. Zuniga de Trin. Disput. 5. dub. præter complures RR. cum quibus ex parte consentit ex Thomistis Joan. à S. Th. disp. 13. a. 3. & Contensonus. Negativam tuentur Scotus quodl. 5. & in 1. dist. 2. post q. 5. §. *Ad 1. quæstionem dico.* Capreol. us. Cajetanus, Salmantic. Gonet. Godoyus Eminentissimus Agvirre to. 2. disp. 73. sc. 2. 3. 4. & ex RR. Elparza q. 40.

2. CONCLUSIO. *Divinæ relationes secundùm explicitam rationem habitudinis ad terminum à perfectionibus absolutis virtualiter distinctam nullam exprimunt perfectionem.*

Probatur primò authoritate & rationibus Angelici Doctoris, quia non modò juxta doctrinam ipsius, sed etiam Scoti, relatio, ut præcisè dicit respectum ad terminum, sic neque perfectionem, neque imperfectionem exprimit. Perfectum quippe dicitur tale vel ab actu existendi, vel ab habitudine ad ipsum: *secundùm hoc enim aliquod dicitur perfectum, secundùm quod est in actu.* q. 4. a. 1. Et. *in tantum est perfectum unumquodque, in quantum est in actu.* Ubi S. D. per Tò *actu* intelligit præcipuè actum existendi: sed relationes præcisè secundùm *esse ad* non dicunt ullum actum existendi, vel habitudinem ad ipsum: ergo ut sic nullam dicunt bonitatem.

Rursus ex ejusdem S. D. mente infrà q. 42. a. 4. 3.
ad 2. *dignitas seu perfectio est de absolutis*; adeóque dicit habitudinem ad subjectum vel quasi subjectum, quod perficit, éstque actus ipsius, cui inest: atqui relatio secundùm propriam rationem relativam non dicit habitudinem ad subjectum, tanquam illud perficiens; sed meram habitudinem ad terminù: ergo formaliter non dicit perfectionem, sed ab ipsa præscindit. Ideo S. Thomas relationes ab illis accidentibus discriminans hic q. 28. ad 2. dicit. *quòd relationes secundùm id, quod relationes sunt, inveniuntur esse assistentes, non intrinsecùs affixæ.* Et q. 8. d. pot. a. 2. citat Philosoph. 5. metaphys. dicentem. *Quòd scientia, in quantum est relatio, non est scientia, sed scibilis.*

Probatur secundò ratione. Si *esse ad* relationis 4.
foret perfectio, esset & non esset infinita perfectio. Esset ex hypothesi: non esset, quia perfectio formaliter infinita formaliter continet omnem perfectionem: sed relatio secundùm esse respectivum non continet formaliter omnem perfectionem, eò ipsò quòd oppositam relationem (quæ etiam supponitur esse perfectio) à se formaliter & realiter excludit. Quo etiam ex capite non esset perfectio simpliciter simplex, quia hæc non debet formaliter, multo minùs realiter excludere perfectionem æqualem, aut meliorem se, sed relatio Divina v. g. paternitas excludit filiationem æquè infinitam in perfectione, quàm sit ipsa paternitas: ergo.

Probatur tertiò. Implicat, ut una Divina Persona 5.
non habeat perfectionem, quam habet altera: sed si relatio in conceptu relativo sit perfectio, una Persona non habebit perfectionem, quam habet altera: ergo. Major Probatur. Quia hac ratione Divinæ Personæ non essent infinitè perfectæ, siquidem cuilibet ipsarum deesset aliqua relativa perfectio. Sed neque forent æquales in perfectione: quia secundùm meliorem sententiam Philosophorum, formæ & essentiæ rerum se habent ut numeri, in quibus æqualitas cum specifica differentia stare non potest. Si ergo una Persona haberet perfectionem essentialiter diversam à perfectione relativa alterius Personæ, etiam in perfectione non esset æqualis cum illa.

Probatur quartò. Illa forma non est formaliter 6.
perfectio, quâ formaliter non habitâ, nihilominùs formaliter habetur & possidetur omnis perfectio: atqui Pater æternus v. g. sine filiatione, quam non habet, nec habere potest, nihilominus habet & formaliter possidet omnem perfectionem: ergo forma filiationis formaliter non est perfectio. Minor probatur. quia Pater sine filiatione est formaliter infinitè perfectus & actus purissimus: ergo non potest ipsi deesse ulla formalis perfectio, prout ampliùs constabit ex dicendis §. seq.

Confirmatur. Si relatio formaliter esset perfectio; tunc essentia Divina accepta unà cum filiatione formaliter habità esset perfectior, quàm ut seorsim, & præsuppositivè ad filiationem accepta: sed consequens est absurdum: ergo & antecedens. Minor probatur: quia sequeretur, quod Pater non haberet essentiam formaliter infinitè perfectam.

7. Probatur quintò. Relationes Divinæ secundùm eam rationem non possunt exprimere perfectionem, secundùm quam exprimunt oppositionem in Personis: sed secundùm formalem rationem respectûs & habitudinis ad terminum exprimunt oppositionem relativam inter personas: ergo secundùm formalem rationem respectûs & habitudinis ad terminum, perfectionibus absolutis virtualiter superadditam, non possunt exprimere perfectionem. Minor est certa. Major probatur. Implicat, ut in actu puro infinitè perfecto reperiatur oppositio, adeóque etiam exclusio perfectionum: ergo in quantum exprimitur oppositio, implicat exprimi perfectionem. Sed hæc ratio roborabitur ex §. sequenti.

§. II.

Implicat multiplicatio perfectionum in Divinis.

8. MAgnum robur præmissæ nostræ assertioni accedit ex hac ratione. Si Divinæ relationes formaliter dicerent & adderent perfectionem supra perfectionem essentiæ, darentur actu in DEO plures realiter & formaliter perfectiones: sed hoc est absurdum: ergo & id, ex quo sequitur. Ad hoc argumentum oppositæ sunt, & è diametro adversæ responsiones Adversariorum. nam Vasquez & Joan. à S. Th. negant sequelam majoris; econtrà Contensonus aliique plures concessâ sequelâ plurium perfectionum relativarum, negant absurditatem in minori subsumptam. Itaque contra priorem responsionem.

Sequela majoris probatur. Ea, quæ competunt Divinis relationibus ex formali & differentiali ratione suæ lineæ, illa multiplicantur in Divinis: sed juxta Adversarios perfectio & bonitas competit Divinis relationibus ex formali & differentiali ratione lineæ relativæ, absolutis perfectionibus virtualiter superaddita: ergo perfectio quoque & bonitas multiplicatur. Major ostenditur. In quibus Divinæ relationes & personæ sibi mutuò opponuntur, illa realiter multiplicantur, sed in iis, quæ sunt propria relationibus, & formaliter pertinent ad lineam relativam, Divinæ relationes & personæ sibi mutuò opponuntur: ergo illa realiter multiplicantur. Sic quia hypostasis DEO convenit ex proprietate & ratione lineæ relativæ; ideo hypostasis & personæ realiter multiplicantur.

9. Unde non eluctaris difficultatem, si dicas cum Joan. à S. Th. Ideo non multiplicari perfectiones relativas, quia relatio non exprimit perfectionem sub ordine ad terminum, sed sub ordine ad subjectum, quod cùm unicum sit, nempe essentia Divina, etiam una tantùm potest esse perfectio.

Contrà enim est primò. quòd Divinæ relationes non per ordinem ad terminum, sed ad naturam, quam terminant, & ad personam, quam constituunt, induunt rationem hypostasis, formæ hypostaticæ, & personalitatis; & tamen quia istæ rationes pertinent ad lineam relativam, habéntque summam & formalem connexionem cum *esse ad* ipsarum relationum, atque habitudine ad terminum, idcirco realiter multiplicantur in Divinis: ergo pariter si perfectio habeat formalem ejusmodi connexionem cum *esse ad* relationis, ac pertineat formaliter ad lineam relativam, multiplicabitur in Divinis, tametsi dicatur per ordinem ad essentiam.

Contrà est secundò. Linea relativa, non nisi propter *esse ad* à perfectionibus absolutis virtualiter distinguitur: sed per Adversarios perfectio competit Divinis relationibus secundùm formalem vel explicitum conceptum lineæ relativæ, ut virtualiter distinctæ à perfectionibus absolutis: ergo perfectio competit Divinis relationibus secundùm *esse ad* & ordinem ad terminum.

Minor quoque principalis argumenti, quòd multiplicatio perfectionis in DEO sit magnum absurdum, probatur primò authoritate SS. Augustini, & Thomæ Aquinatis: nam ille l. 5. d. Trinit. c. 8. negat dari *tres magnos*, & *tres magnitudines* in DEO his verbis: *Quemadmodum cum DEVS est Pater, Filius DEVS, & Spiritus S. DEVS est; ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus S. non tamen tres magni, sed unus magnus.* & ad finem cap. *Sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam, & unam magnitudinem* Item l. 7. d. Trinit. c. 1. *Non alio magnus, alio DEVS: sed eo magnus, quo DEVS: quia nonaliud est magnum esse, & aliud DEVM esse.* Et cap. 2. seq. *Hoc illi est esse, quod bonum esse.* Et in l. 1. de Doctr. Christ. c. 5. *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, hoc est, dignitas & perfectio.* Et Aug. Doctor. infra q. 42. a. 4. ad 2. *Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est filiatio.* Rursus q. 2. de pot. a. 4. ad 14. dicit: *Sicut Paternitas in Patre, & Filiatio in Filio sunt una essentia, ita & sunt una dignitas & una bonitas.*

Sed quid aliud est perfectio, quàm dignitas, bonitas, majestas, magnitudo? cùm enim in DEO non detur nisi quantitas virtutis, idem est DEO magnum esse, atque perfectum: ergo cùm non sint admittendæ tres magnitudines, majestates, bonitates, dignitates, neque tres relativæ perfectiones sunt admittendæ.

Respondent: hæc testimonia loqui de magnitudine & dignitate absoluta, non de relativa.

Sed contrà est primò: si præter magnitudinem absolutam daretur etiam relativa, non posset cum veritate negari, dari tres magnos, & tres magnitudines, sicuti quia præter rem & entitatem absolutam datur etiam relativa, non potest cum veritate negari dari plures res & entitates in DEO, consequens autem repugnat allegatæ authoritati: ergo.

Contrà est secundò. D. Augustinus comparat magnitudinem cum essentia & omnipotentia; sed in his nulla est multiplicatio: ergo neque in magnitudine. Vel certè non esset ratio, cur non eodem modo liceret dicere, esse tres æternitates, omnipotentias, &c. relativas, sicut dicitur esse tres perfectiones relativas.

Con-

Contrà est tertiò. Quòd S. Augustinus non efficaciter probâsset æqualitatem personarum contra Arianos, siquidem præter magnitudinem absolutam, forent tres magnitudines relativæ, in quibus Divinæ personæ forent necessariò inæquales. Unde

12. Probatur secundò eadem minor ab absurdis. Si darentur tres relativæ magnitudines & perfectiones, tolleretur æqualitas inter Personas: consequens repugnat doctrinæ fidei, traditæ in Symbolo Athanasii, *in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Sequela probatur. Inter ea, quæ specie differunt, non est æqualitas, sicut neque inter numeros specie diversos; sed illæ tres magnitudines, bonitates, perfectiones relativæ specie differrent, sicut & ipsæ relationes & proprietates personales differunt: ergo non essent inter se æquales; præsertim cùm rerum inæqualitas plerumque desumatur à specifica diversitate virtutis, bonitatis, perfectionis.

13. Præterea sequeretur, quòd duæ vel tres personæ facerent complexum perfectius, quàm singulæ; nam in singulis una tantùm, in omnibus verò omnes perfectiones relativæ formaliter reluceret, est autem perfectius, habere plures perfectiones formaliter, quàm pauciores: atqui hoc iterum repugnat summæ & infinitæ tum actualitati & perfectioni, tum æqualitati Divinarum personarum.

14. Demum sequitur, quòd nulla persona sit perfectus DEUS; consequens iterum repugnat doctrinæ Fidei in Conciliis & PP. expressæ: ubi D. Athanasius in Symbolo de Filio dicit. *Perfectus DEUS, perfectus homo.* & D. Anselmus in monolog. c. 14. *Est autem perfecte summa essentia Pater, & perfecte summa essentia Filius: Pariter ergo Pater perfectus per se est, & pariter perfectus Filius per se est; sicut uterque sapit per se.*

Sequela probatur. Si Filius esset perfectus DEUS, tunc acciperet à Patre Divinitatem secundùm omnem perfectionem, quæ formaliter in illa reperitur: sed perfectio relativa paternitatis, quæ tamen esset perfectio simpliciter simplex melior ipsa, quàm non ipsa, & formaliter afficiens Divinitatem, à Patre non communicatur Filio, quippe qui secundùm definitionem Conciliorum. *Pater omnia dedit, præter esse Patrem*: ergo Filius non esset perfectus DEUS.

§. III.

Responsiones Adversariorum refelluntur.

15. RElpondent Adversarii primò ad oppositas authoritates. Quidquid sit de relatione prædicamentali, saltem relationem transcendentalem dicere perfectionem. Ita Derkennis cap. 3. §. 1. sed nihil ad rem: quia Divinæ relationes formaliter terminatæ ad terminum correlativum, & habentes oppositionem relativam magis se habent ut relationes prædicamentales, quàm ut transcendentales.

16. Respondent secundò. Quamvis relatio non sit infinita in omni genere; esse tamen infinitam in genere relationis, quia non potest dari perfectior paternitas in ratione paternitatis, quemadmodum etiam natura in ratione & linea naturæ, intellectus Divinus in ratione intellectûs est infinitus, absque hoc, ut exprimat perfectionem alterius lineæ. Ita Vasquez. Tann. Vecken. disp. 33. cap. 6.

Sed contrà est primò, quòd instantia proposita est solvenda ipsis Adversariis; licèt enim natura & intellectus ut subsint nostro modo concipiendi, non exprimant perfectionem & infinitatem alterius lineæ v. g. volitivæ; tamen actu formaliter à parte rei perfectio naturæ est perfectio voluntatis, & omnis alterius lineæ: idque exigit realis formalis infinitudo ipsius: at verò una relatio à parte rei actu excludit alteram; adeóque suppositâ hac responsione non haberet infinitatem perfectionis. Sanè D Augustin. per hoc infinitatem Divinam explicat, quòd omnia prædicata Divina in se invicem infinitè includantur. Audi ipsum l. 6. de Trinit. cap. 10. pulcherrimè differentem: *omnia in se infinita sunt, & singula in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

Contrà est secundò. Quòd S. D. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. dicit: *eadem dignitas numero, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio.* Sed per Adversar. alia esset dignitas & infinitas perfectionis in paternitate, quàm in filiatione.

Contrà est tertiò: Quòd tota SS. Trinitas esset tam intensivè quàm extensivè perfectior, quàm quælibet persona seorsim sumpta; siquidem formaliter haberet omnem infinitudinem relationum, quam non habet quælibet persona singulariter accepta.

Respondent tertiò ad oppugnationem æqualitatis. Nullam sequi inæqualitatem in Personis, 17. neque quòd una Persona careat perfectione, quam habet altera: quia licèt Pater v. g. non habeat perfectionem filiationis, vel Filius perfectionem Paternitatis, habet tamen illam radicaliter, sive eminenter, in quantum habet identitatem cum essentia, in qua Paternitas radicaliter continetur.

Sed contra est primò. Perfectior est modus habendi perfectionem formaliter, quàm tantùm radicaliter, ubi modus formaliter habendi est absolutus ab imperfectione: sed in ente infinitè perfecto debet esse modus habendi perfectiones infinitè perfectus: & ideo DEUS per simplicitatem possidet omnes suas perfectiones: ergo non tantùm radicaliter, sed etiam formaliter debet continere omnem perfectionem relativam, cùm iste modus habendi sit absolutus ab omni imperfectione.

Secundò. Aliter se habet perfectio, ut in se ipsa formaliter perficiens, quàm prout continetur in causa, vel radice: ergo aliter perfectio paternitatis esset in Filio, qui ipsam tantùm continet radicaliter, quàm in Patre: qui eandem habet formaliter, & consequenter in perfectione non essent æquales.

Tertiò. Ideo virtutes temperantiæ, fortitudinis, &c. non sunt formaliter, sed eminenter in DEO, quia sunt perfectiones habentes admixtam imperfectionem: sed perfectiones relativæ nullam habent admixtam imperfectionem: ergo deberent Divinis Personis formaliter inesse.

Quartò. Quantumvis attributa Divina Sapientiæ, veritatis, &c. à Filio DEI hoc ipso emi-

nenter possideantur, quia in essentia tanquam virtuali radice continentur; si tamen per impossibile illa non haberet etiam formaliter, non esset infinitè perfectus: ergo pariter tametsi perfectionem Paternitatis habeat eminenter & radicaliter in essentia habita; non tamen erit infinitè perfectus, quia eandem non habet simul formaliter.

18. Respondent quartò. Ut quælibet Divina Persona in perfectione alteri sit æqualis in perfectione, sufficere circuminsessionem, quam Græci περιχωρησιν appellant; vi cujus est Pater in Filio, ut Principium in termino, & Filius in Patre ceu terminus in principio. prout videtur sensisse D. Anselmus in Monol. c. 57. dicens. *Jucundum est intueri in Patre & Filio, & utriusque spiritu, quomodo sint in se invicem tantâ æqualitate, ut nullus alium excedat.* Ita censet Isambertus.

Sed contrà est: quòd ratione circuminsessionis Persona Divina non formaliter, sed terminativè solùm relativam perfectionem haberet: sed hòc ipsò non haberet modò perfectissimo omnem perfectionem: quia habere aliquam perfectionem formaliter intrinsecè melius est, quàm illam solùm habere extrinsecè per modum termini, vel principii, & ideo adhuc sequeretur, quòd essentia Divina & tota Trinitas formaliter continens omnes perfectiones relativas essent quid melius & perfectius, quàm Personæ singillatim acceptæ.

Et confirmatur instantiâ supr. adductâ. Si per impossibile Filius non haberet formaliter aliquam perfectionem absolutam, quam habet Pater, quantumvis illam haberet per circuminsessionem, tamen non esset æqualis Patri, nec esset perfectus DEUS: ergo idem sequitur, si formaliter non habeat omnem perfectionem relativam.

19. Respondent quintò: Tantùm sequi, quòd daretur in Divinis inæqualitas, vel majoritas extensiva perfectionum; non autem intensiva, quam relationes ex propria ratione non exprimunt, sicuti *DEVS homo* est complexum tantùm extensivè perfectius, quàm DEUS solùm. Sic Arriaga d. 49. sect. 3. Lugo, aliique.

Sed contrà est. Essentia unà cum attributo sapientiæ v. g. est etiam intensivè perfectior, quia ipsi superadditur perfectio alterius lineæ virtualiter distincta: sed etiam relatio addit essentiæ perfectionem lineæ relativæ virtualiter distinctam: ergo pariter essentia Divina, vel tota Trinitas unà cum omnibus relationibus constituunt aliquid melius & perfectius formaliter, quàm singulæ Personæ seorsim sumptæ. Antecedens claret: aliàs quippe, si per impossibile deesset Filio aliqua perfectio attributalis, nihilominùs haberet omnem infinitam perfectionem intensivè, quod est manifestè absurdum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

20. OBjiciunt primò varia testimonia acervatà in primis ex Conciliis. Nam præter locum VI. Synodi Gener. etiam in Concil. Nicæno dicitur, Verbum esse *Personam perfectam ex perfecta*: & *Filium perfectum, sicut Patrem.* & quòd sit *Trinitas simplex ex tribus perfectis.* & in II. Synodo Gen. *in tribus perfectissimis hypostasibus, sive in tribus perfectissimis Personis.* quæ testimonia Græcè & Latinè reddita videre est, apud nostrum Eminentiss. de Aguirre.

Respondeo cum Eodem, ex his & similibus testimoniis nihil adversùs nostram sententiam evinci. præterquam enim, quòd hypostasis apud Græcos concretè sumatur pro ipsa persona, adeòque non secundùm abstractam rationem subsistentiæ quà relativæ: quo sensu utique quælibet persona nominat perfectionem propter inclusam perfectionem naturæ Divinæ & esse subsistentis: plus non sequitur, quàm quòd omnes hypostases & personæ sint perfectæ unicâ perfectione essentiæ & esse Divini diffusâ per omnes, adeòque sint tres Personæ perfectæ, & tres perfecti non substantivè, sed adjectivè: quemadmodum in Symbolo Athanasii dicitur: omnes esse sibi coæternos & coæquales (nimirum adjectivè, esse tres Personas habentes eandem æternitatem) cùm tamen prius dicatur: *& tamen non tres æterni* (nimirum substantivè) *sed unus æternus.*

Igitur eodem sensu sunt tres perfecti adjectivè, non substantivè: & tam parum ex isto modo loquendi infertur multiplicatio relativæ perfectionis, quàm parum ex altero modo loquendi infertur multiplicatio relativæ æternitatis.

Similiter quàm parum inferri potest multiplicatio relativæ Divinitatis, cùm dicitur in Symbolo Nicæno, *DEVM de DEO, Lumen de Lumine*; tam parum infertur multiplicatio relativæ perfectionis, cùm dicitur *perfectus ex perfecto*, sed indicatur solummodò ordo processionis, quâ Filius â Patre uti Divinitatem, sic pariter accipit perfectionem.

Eandem expositionem admittunt plurima testimonia SS. PP. præsertim Græcorum, quæ in sum favorem Adversarii agglomerant. Certè cùm eorundem scopus foret summam Personarum æqualitatem contra Anomæos & Arianos asstruere, non poterant tres relativas perfectiones intelligere, utpote quibus se ipsos potiùs, quàm Arianos oppugnâssent. Triplicia tamen sunt testimonia difficilioris expositionis: primum est Damasceni, qui l. 1. fidei c. 11. videtur hanc interpretationem excludere, cum dicit: *secundùm causam & causale, & personalem perfectionem, id est, existentia modum differentiam intelligimus.* at qui differentia Personarum non sumitur ex absoluto, sed ex relativo: ergo personalis perfectio, de qua loquitur S. Doctor, non est ex aliquo absoluto, sed ex relativo, adeóque propria singulorum, non una omnium.

Secundò. Patres passim inculcant (inquit Contensonus) Deitatem non esse perfectam sine personis & relationibus, & mysterium Trinitatis pertinere ad supremam DEI perfectionem, quâ elevatur DEUS supra omne à creaturis imitabile. Unde & Cyrillus l. 2. thes. c. 1. *Non potest esse perfecta Divinitas, nisi Filium habeat.*

Tertiò SS. PP. agnoscunt dignitatem, authoritatem & magnitudinem in Patre, quæ non est in Filio: sed hæc nomina pertinent ad perfectionem secundùm sup. dicta: ergo SS. PP. agnoscunt perfectionem in Patre, quæ non est in Filio, & consequenter datur perfectio personalis. Antecedens pro-

probatur. Nam D. Athanasius in Epist. de Decretis Nicænæ Synodi. *Patrem appellat verticem & principem, in quem consummatur Trinitas.* D. August. tract. 59. in Joan. *In eo, qui mittitur, commendatur mittentis authoritas.* Et tam prædictus D. Augustinus in qq. vet. ac novi testam. q. 121. quàm plures è Græcis PP. (quos refert præcitatus de Aguirre num. 61.) textum illum Jo 14. *Pater major me est*, exponunt de majoritate non tantùm respectu naturæ humanæ, sed etiam Divinæ in Christo; ac proinde aliquam personalem magnitudinem, imò majoritatem in Patre agnoscunt. Unde & Basil. l. 3. contr. Eun. fatetur *Filium esse dignitate secundum à Patre.*

22. Respondet ad 1. ex Damasc. Eminent. Aguirre, perfectionem accipi hoc loco pro integritate: sic enim sæpe perfectum dicitur, cui in suo genere nihil deest; quam utique perfectionem Divinis relationibus denegare non possumus: non autem sumi pro dignitate & æstimabilitate formali, de qua controvertitur. Verùm pace tanti Viri, nimis hæc videtur exigua perfectionis acceptio, ut de illa S. Damascenus exponi debeat; sic enim est æquivoca, & æquè non entibus, imò etiam malo & peccato, in sua specie completo, quàm entibus applicari potest. Igitur concessâ majori propositione ex S. Damasceno, distinguo minorem: differentia personarum non sumitur ex absoluto, sed relativo, implicante tamen & includente aliquid absolutum, concedo, excludente, nego minorem: ergo personalis perfectio est ex aliquo relativo, ut omnino præscindente ab absoluto, nego, ut includente & implicante, concedo consequentiam. Quem sensum eruo ex ipsismet verbis D. Damasceni, *secundùm causam & causale, & personalem perfectionem:* nam quod nos Latini in Divinis principium, Græci ἀρχὴν, hoc est, causam nominant; atqui ratio principii non dicit solam relationem perfectionibus absolutis virtualiter superadditam, sed insuper perfectionem absolutam naturæ, uti sup. in disp. 21. a. 3. §. 4. dictum: ergo cùm S. Pater dicat, differentiam in Divinis accipi secundùm causam & causale, & perfectionem personalem; in neutra voce absolutam perfectionem excludisse censendus est: præsertim cùm relationes, secundùm quas Divinæ personæ differunt, involvant rationem formæ hypostaticæ, quæ secundum aliquod munus inadæquatum includunt absolutam perfectionem juxta infer. dicenda.

23. Ad 2. Respondeo. Ex eo nihil contra nostram sententiam inferri, quia mysterium Trinitatis non consistit in solis relationibus & proprietatibus personalibus; sed in distinctione trium Personarum in unius unitate essentiæ, adeóque ipsam essentiam necessariò involuit. Secundò, quia ipsæ relationes & hypostases etsi non formaliter in linea relativa, arguitivè tamen dicunt perfectionem, in quantum arguunt diversarum processionum & potentiarum ad intra producentium infinitam perfectionem, & actualitatem: unde rectè dicitur, quòd non esset *perfecta Divinitas, nisi Filium haberet*, quia deesset ipsi natura fœcunda & infinitò modò productiva ad intra.

24. Ad 3. Respondeo primò. Etiam Adversariis solvendum esse contra Arianos, quomodo Pater possit esse major Filio, si majoritas significet perfectionem. Igitur secundò.

Respondeo. Juxta communem PP. Latinorum & Ecclesiæ sensum, expressum in Symbolo Athanasii; majoritatem Patris apud Joannem nominatam, tantùm dici comparativè ad humanitatem Christi: si quando verò PP. etiam acceperunt de majoritate secundùm Divinitatem; aliter intelligere non potuisse, quàm de majoritate notionali originis & fontalis principii, ut sic non exprimente perfectionem, cùm alias incidissent in Arii impietatem à se tantopere damnatam: Filius quoque non alio sensu dicitur *dignitate secundus à Patre*, nisi quòd in accipiendo naturam & dignitatem à Patre sit origine posterior. Porrò mens D. Augustini sufficienter eluescit ex l. 8. de Trin. apud Mag. in 1. dist. 19. §. *Sciendum, tantam esse æqualitatem in Trinitate, ut ait Augustinus l. 8. de Trinit. ut non solùm Pater non sit major, quàm Filius; sed nec Pater aut Filius simul aliquid majus sunt, quàm Spiritus S.*

25. Objicitur ulteriùs Authoritas Doctoris Angelici, quem veluti indubitatum suæ sententiæ Patronum allegat Contensonus q. 8. de pot. a. 1. dicentem: *Divina essentia, quia comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet relationem in ea inveniri.* quæ causalis nihil inferret, nisi relatio ex proprio genere perfectionem adderet; sicut malè inferres, intellectum esse in DEO, quia in illo reperitur omnis perfectio, si intellectus ex propria & explicita ratione non diceret perfectionem. Et q. 9. a. 5. ad 23. *Ad perfectionem Divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in Divinis; ut scilicet sit ibi, à quo alius, & ipse a nullo, & aliquis, qui est ab aliquo:* sed isti modi existendi sunt relationes.

Respondeo ad 1, negando subsumptum; ad hoc enim ut ex infinita DEI actualitate omnium generum perfectiones complectente rectè colligatur, quòd aliqua forma sit in DEO, sufficit, quòd ex conceptu implicito vel ex parte substrati perfectionem accipiat, prout in priori Tractatu de simplicitate DEI dictum est, quæ præscindendo à suo substrato nullam exprimit perfectionem & rantùm dicit modum habendi suas perfectiones incompositum; eáque nihilominùs formaliter reperitur in DEO.

Ad secundum patet ex dictis, hæc ideo dici, quia ex proprietatibus personalibus arguitur infinita perfectio naturæ fœcundæ, & infinitus modus ad intra se communicandi. ad quod sufficit, quòd absoluta perfectio essentiæ & esse Divini per formalem identitatem in ipsis intimè imbibatur.

Si dicas. Illud est perfectio, quo ablato tolleretur à DEO perfectio: sed ablatâ relatione & proprietate personali tolleretur à DEO perfectio; sicut dicit D. Athanasius orat. 2. *Res conditæ, si non sint in rerum natura, non diminuunt Conditorem. Proles autem, si non coæternaliter coexistat, detrimentum affert perfectitudini illius substantiæ.*

Respondeo distinguendo majorem. Si illo ablato formaliter & à priori tollitur perfectio, concedo majorem, si arguitivè & ex consequenti, nego majorem. & pariter distinctâ minore, nego consequentiam. Ita rectè dices, ablatis relatio-

nibus Divinam essentiam non fore sufficiens motivum Divinæ visionis; malè tamen ex eo interes, quòd relationes ex propria linea pertineant ad objectum motivum visionis. Et hinc patet solutio ad Authoritatem D. Athanasii.

26. Objicies quartò ex ratione. Juxta Aristotelem perfectum est, cui in suo genere nihil deest, sed Divinis relationibus in suo genere nihil deest: ergo in suo genere, adeóque ut virtualiter ab essentia distinctæ dicunt perfectionem.

Responderi posset cum Eminent. de Aguirre: est perfectum perfectione nominante solùm integritatem, concedo perfectione nominante specialem formalem æstimabilitatem & præstantiam, nego majorem. sicque distincto consequente nego consequentiam Verùm quia etiam malum & peccatum in suo genere ita potest esse completum, ut nihil ipsi desit, neque tamen nisi æquivocè perfectum, multò minùs bonum dici potest: idcirco.

Respondeo secundò cum Godoyo. Perfectum est, cui in suo genere exprimente actum, nihil deest, concedo majorem, nullum exprimente actum, nego majorem: sed nihil deest Divinis relationibus in suo genere nullum exprimente actum, concedo. exprimente, nego minorem & consequentiam. Rursus. Cui nihil deest, est perfectum negativè, transeat, positivè nego.

Si dicas. Hoc ipsum vertitur in quæstione, utrùm linea relativa exprimat perfectionem: ergo sic respondendo petis principium.

Respondeo cum Godoyo. Vertitur in quæstione, & fuit gravibus fundamentis probatum, concedo, & non fuit sufficienter probatum, nego. Ergo petitur principium, nego consequentiam: Adversario quippe incumbit evincere, quòd genus relativum exprimat perfectionem: cujus contrarium multis ostendimus.

27. Objicies quintò: Non minùs bonum est transcendens & convertibile cum ente, quàm sit res & unum: sed quia quælibet personalis proprietas est ens, rectè admittuntur tres entitates, realitates, unitates in Divinis: ergo pariter admitti debent tres bonitates transcendentales in Divinis.

Respondet Eminentiss. d'Aguirre: concedendo tres bonitates transcendentales acceptas pro rei integritate, non verò pro speciali valore & æstimabilitate. Verùm quia malum peccati potest esse in suo genere integrum, ita ut tamen ipsi repugnet in hoc genere esse bonum, ac proinde conceptus integritatis non evincit conceptum bonitatis, qui debet accipi per ordinem ad appetitum, integritas quoque tam in privativis, quàm positivis reperiri potest. Propterea

Respondeo. Bonum non æquali & tam perfecto modo esse prædicatum transcendens, sicut Ens, res, & unum: nam hæc tria, ens, res, unum sunt communia tam absolutis, quàm relativis, eo quòd sint prædicata imbibita in quibuscunque differentiis rerum, quatenus opponuntur non enti, vel enti ficto: atqui bonum (idem proportionaliter de vero dicendo) non imbibitur, nisi in absolutis, quia dicitur per ordinem ad appetitum, & propter inclusam vel connotatam actualitatem essendi.

Objicit sextò Contensonus. Omne reale existens in DEO importat explicitè perfectionem: sed relatio virtualiter distincta ab essentia realiter existit in DEO: ergo importat explicitè perfectionem.

Confirmatur. Repugnat aliquid esse in rerum natura existens, quod non sit bonum: sed relationes Divinæ existunt virtualiter distinctæ ab essentia: ergo repugnat, ut non importent bonitatem, sicuti repugnat, ut misericordia & justitia non importent bonitatem virtualiter distinctam.

Respondeo. Hoc argumento parùm evinci, quia confundit explicita cum implicitis. Unde Respondeo negando majorem; cujus infirmitas patet ex instantia decreti liberi virtualiter ab essentia distincti, & realiter existentis in DEO; quod tamen, quà tale, & quatenus potest non fuisse, non exprimit perfectionem; cùm aliàs aliqua Divina perfectio à DEO abesse potuisset.

Ad confirmationem Respondeo. primùm argumentum peccare transeundo à sensu specificativo posito in majori ad reduplicativum positum in minori. Secundò distinguo minorem. relationes Divinæ existunt virtualiter distinctæ ab essentia; sed tamen ratione essentiæ implicitæ, concedo. ratione suæ lineæ virtualiter distinctæ, nego minorem: ergo important bonitatem implicitè & ratione essentiæ, concedo; explicitè & ratione suæ lineæ, nego consequentiam.

Objic. 7. Illud dicit perfectionem, quod eminenter continet perfectionem subsistentiæ creatæ: sed subsistentiæ relativæ vi propriæ lineæ continent omnem perfectionem subsistentiæ creatæ: unde etiam hypostasis Verbi in humanitate Christi supplet perfectionem hypostasis creatæ: ergo hypostases relativæ vi propriæ lineæ relativæ dicunt perfectionem.

Respondeo negando minorem. nam juxta modo dicenda in seq. Disput. hypostasis creata duo habet munia inadæquata & effectus formales, incommunicabilitatem & independentiam ab alio sustentante; iste effectus exprimit perfectionem, ille præscindit: Igitur Divinæ relationes, prout sunt formæ hypostaticæ, continent eminenter hypostasin creatam, secundùm munus incommunicabilitatis ex vi propriæ lineæ relativæ, & sic non exprimunt perfectionem; quoad effectum verò independentiæ continent secundùm rationem implicitam hypostasis absolutæ, & communis in omnibus Personis, & sic exprimunt perfectionem. Si dicas: Virtus terminandi naturam creatam est perfectio; sed hæc convenit subsistentiis relativis: ergo. Distinguo minorem. convenit subsistentiis relativis adæquatè sumptis, tam secundùm explicitum, quàm implicitum, concedo. inadæquatè sumptis, nego minorem. & sic distincto consequente, nego consequentiam.

DISPU-

DISPUTATIO XXIV.

DE

Relationibus ad existentiam & subsistentiam comparatis.

Ad q. 28. a. 2. & q. 29. a. 2.

POst Divinas relationes in seipsis consideratas, pergimus ad easdem considerandas secundùm connexionem, quàm habent cum existentia & subsistentia. Ubi tria quæruntur: Primò, an, quemadmodum essentia Divina gaudet existentiâ absolutâ, ita singulis Personis singulæ quoque existentiæ relativæ conveniant? Secundò. Utrùm sint tres relativæ subsistentiæ Personarum? Tertiò. An præter subsistentias relativas admittenda sit subsistentia absoluta communis omnibus Personis?

ARTICULUS I.

An admittendæ sint tres existentiæ relativæ?

SUMMARIA.

1. *Refertur sententia affirmans,*
2. *Et probatur authoritate.*
3. *Argumenta à ratione ferè philosophica.*
4. *Concluditur negativa.*
5. *Testimonia SS. PP.*
6. *Ratio prima. quòd existentia sit actus essentiæ & perfectio simpliciter simplex.*
7. *Secundò quia est ultima actualitas sui susceptivi.*
8. *Tertiò quia sequerentur tres æterni & increati substantivè.*
9. *Authoritates objecta exponuntur de esse quidditativo.*
10. *Actualitas aliquando nominat quidditatem formalem.*
11. *Quomodo existentia debeat esse terminus productionis?*
12. *Effectus formalis existentiæ est completè rem ponere extra nihil.*
13. *Esse quidditativum relationis est* ad aliud, *non esse existentiæ.*

§. I.

Refertur sententia affirmans.

1. SIcut præter realitatem essentiæ dantur in Divinis tres realitates relativæ; ita præter existentiam absolutam essentiæ, de qua constat ex I. Tractatu, dari tres existentias relativas, docuit Albertus in 1. dist. 23. a. 1. ad 2. Scotus dist. 11. q. 2. ad 1. quos præter Medinam & Zumel sequuntur Suarez l. 5. de Trinit. c. 5. Arrubal, aliique RR.

2. Fundamenta Adversariorum sunt primò ab authoritate. Nam D. Augustinus 5. de Trinit. c. 6. & l. 7. c. 4. ait: *aliud est esse DEUM, aliud esse Patrem.* & Cyrillus Alexandrinus dial. de Trinit. l. 1. de Patre & Filio: *Cùm uterque sit & subsistat, propriámque habere dicatur existentiam.* quibus similia vide apud Aguirre disp. 74. sc. 5. num. 43.

3. Secundò argumenta à ratione opponunt fermè eadem, quibus in physica probant, materiam primam habere propriam existentiam; & in Metaphysica, essentiam non distingui ab existentia.

Arguunt igitur primò. Tot sunt existentiæ, quot sunt realitates actuales: sed quot sunt relationes, tot sunt realitates actuales: ergo tot sunt distinctæ existentiæ.

Secundò. Existentia est terminus productionis: ergo cùm in Divinis sint plures productiones, erunt plures existentiæ relativæ.

Tertiò. Relatio aliter ponitur extra nihil, quàm essentia: quia relatio filiationis & spirationis ponitur extra nihil per productionem; essentia ponitur extra nihil non per productionem, sed per esse à se: ergo habent diversas existentias. Consequentia probatur, quia diversi effectus formales proveniunt à diversis formis: sed esse extra nihil est effectus formalis existentiæ: ergo diversus modus essendi extra nihil provenit à diversis existentiis.

Quartò. Relationis esse est ad aliud, non autem esse essentiæ: ergo aliud est esse relationis, quàm esse essentiæ.

§. II.

Adstruitur negativa.

4. CONCLUSIO. est *negativa, & certa S. Doctoris* hîc q. 28 a. 2. dicentis: *Patet ergo, quòd in DEO non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sed unum & idem.* Rursus q. 2. de pot. a. 6. clarissimè inquit: *Non est concedendum, quòd aliquid absolutum in Divinis multiplicetur: sicut quidam dicunt, quod in Divinis est duplex esse, essentiale & personale: omne enim esse in Divinis essentiale est, nec Persona est, nisi per esse essentiæ.*

Quid clarius? Insuper quoties loquitur S. Doctor de existentia essentiæ & personarum, affirmat esse unam & eandem, prout videre est in plurimis locis citatis apud Godoyum. disp. 79. §. 2.

5. Probatur primò authoritate & ratione SS. PP. Nam S. Gregor. Nazianz. orat. 37. in Evangelii Joannis Initio: *In principio erat Verbum, & Verbum*

bum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum, observans trinam repetitionem illius vocis *erat*, ita loquitur: *erat, erat, & erat: sed unum erat. lux & lux, & lux, sed lux una, DEVS unus.* ergo S. Pater in 3. personis, de quibus affirmat illud æternum *erat*, nihilominùs tantùm unum *erat*, agnoscit: sed hoc *erat* juxta expositionem PP. in Synodo Nicæna ex hoc ipso loco contra Arianos disputantium, significat actualitatem existentiæ: ergo in 3. personis unica tantùm admittenda est actualitas existendi. S. August. l. 5. de trinit. c. 2. *Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia; & ab eo, quod est scire, dicta est scientia; ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia, &c.* Ubi S. Pater agnoscit esse, h. e. existere in Divinis ad essentiam pertinere: ideóque dictum esse Ex. 3. *Ego sum, qui sum*; sed quæ ad essentiam pertinent, non multiplicantur in Divinis: ergo.

S. Anselmus paucis hanc doctrinam exprimit monolog. c. 60. dicens: *idem esse est alteri, quod alteri.* Idem c. 63. inquit, esse *certissimum, quidquid naturæ summæ inest essentialiter, id perfectè convenire Patri, Filio & eorum Spiritui singulatim. & tamen idipsum, si dicatur de tribus simul, non admittere pluralitatem.* Subsumo: atqui DEO secundùm naturam esse seu existere inest essentialiter, ut ne quidem sit distinctio virtualis & rationis ratiocinatæ inter esse & essentiam juxta præmissa in 1. Tractatu: ergo esse non admittit pluralitatem in Divinis.

6. Probatur secundò argumentis à ratione ductis Nam primò, ut modò insinuatum, Existentia DEI est actus essentiæ, nec re nec ratione distinctus ab essentia; ergo sicut essentia DEI non multiplicatur relativè; ita nec existentia. Insuper. Existere est perfectio simpliciter simplex, melior ipsa, quàm non ipsa: sed perfectiones simpliciter simplices non multiplicantur in Divinis; quia pertinent ad rationem actûs puri, qui imbibitur in ratione essentiæ diffusæ per omnes Personas: ergo neque existentiæ multiplicantur in Divinis.

7. Secundò. Existentia est essentialiter perfectio, & actus ultimus sui susceptivi, illud perficiens in ordine ad se; sed relatio ut sic neque est perfectio, neque ordinat rem ad se, sed ad aliud: ergo non possunt in DEO dari existentiæ relativæ. Sed neque possunt ejusdem rei dari plures ultimæ actualitates, ut suppono ex Philosophia; ergo nec plures existentiæ relativæ in DEO.

8. Tertiò. Si darentur tres existentiæ relativæ in DEO, dici possent *tres æterni*, & *tres increati*, non tantùm adjectivè, sed substantivè, quia multiplicaretur significatum formale tam æternitatis, quod est esse immutabiliter durans, quàm esse increati, quod est esse à se. Sequela autem repugnat Symbolo Athanasii: ubi non minùs negantur *Tres æterni*, & *tres* Increati, *quam tres Dii & Domini.*

§. III.

Solvuntur fundamenta opposita.

AD 1. ab authoritate petitum Respondeo: in primo loco Tò *esse* non significare esse existentiæ, uti proprie & ordinariè sumitur, sed esse quidditativum, h. e. rationem formalem constituivam alicujus rei, seu rationem explicitam per definitionem; quò modò & sensu verum est. Patrem constitui per aliam formalem rationem constituendi virtualiter distinctam, ab ea, per quam in ratione DEI constituitur.

Ad secundum quoque textum Cyrilli Respondeo ex eruditissimo Aguirre, vocem *existentiæ*, quæ in Græca origine hyparxis dicitur, sæpe significare rationem formalem & quidditativam, hoc Cyrillum in tribus personis non astruere tres existentias rigorosè & propriè sumptas pro ultima actualitate essentiæ, sed pro ratione formali & quidditativa, quæ sanè unicuique Personæ est propria, juxta dicenda inferiùs.

Ad argumentum primum à ratione petitum consequenter ad principia nostra philosophica Respondeo: Tot sunt existentiæ, quot sunt realitates actuales actualitate existentiæ, concedo, actualitate quidditatis formalis, nego, & similiter distinctâ minore, nego consequentiam.

Ad 2. Respondeo. Existentia est terminus productionis, vel ut producendus, vel ut communicandus, concedo, ut producendus semper, nego. Cujus exemplum patet in generatione hominis, vi cujus esse animæ communicatur toti supposito, non autem producitur, sed aliunde supponitur existens.

Ad 3. Respondeo, negando antecedens. ad cujus consequentiæ probationem dico, quòd effectus formalis existentia est rem ponere completè extra nihil & in facto esse: non vialiter & quasi in fieri. Esto igitur, quòd Divinæ relationes filiationis ac spirationis per sui productionem constituantur extra nihil: tamen hæc constitutio per productionem significatur viatiter & quasi in fieri; completè verò & in facto esse, per existentiam indistinctam ab esse à se ponuntur extra nihil.

Ad 4. Respondeo. Esse quidditativum relationis est ad aliud, concedo, esse existentiæ nego, hoc enim est inesse. Ergo aliud (virtualiter) est esse relationis quidditativum, quàm esse quidditativum essentiæ, concedo, existentiæ, nego consequentiam.

ARTICULUS II.

Sitne præter tres subsistentias relativas etiam absoluta subsistentia admittenda in Divinis?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Supponitur acceptio subsistentiæ in abstracto.*
3. *Adstruuntur authoritate Conciliorum tres subsistentiæ relativæ.*
4. *Et SS. Patrum.*
5. *Ratio 1. ex multiplicatione concreti subsistentis.*
6. *Secundò ex multiplicatione effectûs formalis.*

7. Ter-

7. *Tertiò ex mysterio Incarnationis.*
8. *Obiecta testimonia SS. PP.*
9. *Non excludunt subsistentiam relativam.*
10. *Disparitas inter subsistentiam creatam & increatam.*
11. *Natura Divina relatione paternitatis sit inadæquatè incommunicabilis.*
12. *An & quomodo subsistentia sit ultimus terminus?*
13. *Relationes sunt rationes subsistendi incommunicabiliter.*
14. *Adstruitur una subsistentia absoluta.*
15. *Propter perfeitatem independentiæ, quam existentia non potest tribuere.*
16. *Nec aliqua forma relativa.*
17. *DEVS ut præintellectus relationibus habet rationem suppositi.*
18. *Non est prorsus idem hypostasis & subsistentia.*
19. *Actus notionalis non procedit nisi a principio notionali.*
20. *An DEVS præintellectus relationibus possit dici persona.*

§. I.

Astruuntur tres subsistentiæ relativæ.

1. ALia est controversia de subsistentiis, ubi quæritur, utrùm tres Divinæ Personæ solùm subsistant tribus distinctis subsistentiis relativis? vel tantùm per unicam subsistentiam absolutam? vel utrùm præter tres relativas singulis Personis proprias, etiam una absoluta subsistentia sit admittenda, quæ sit communis omnibus 3. Personis. Dari solummodò unam absolutam subsistentiam docet Durandus in 1. dist. 13. q. 2. Capreolus in 1. dist. 26. q. 1. a. 1. Pro eadem citatur Scotus in 1. dist. 1. q. 2. Eandem novissimè tuetur Eminent. Aguirre to. 2. disp. 78. se. 1. & seq. Dari tantùm tres relativas, nullam absolutam docet Vasq. disp. 15. c. 4. præter Alensem, Bonaventuram, aliosque antiquiores. Dari unam subsistentiam absolutam præter tres relativas docet Cajetanus, Alvarez, Godoyus, Gonet, Serra, Salmanticenses, aliique Thomistæ, cum quibus sentiunt Molina, Suarez, plurésque RR.

2. Pro resolutione quæstionis præmittendum est, subsistentiam hìc sumi abstractè non pro supposito subsistente, ut hypostasis apud Græcos accipitur, sed pro constitutivo ipsius, seu ratione subsistendi, quæ duo munia inadæquata includit. Primum est, ut tribuat naturæ independentiam ab alio ut sustentante, non tantùm ut subjecto, sed etiam ut supposito. Secundum est, ut naturam reddat incommunicabilem alteri. *Illa* quippe ait S. D. hìc q. 29. a. 2. *subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt.*

Est porrò duplex modus in alio existendi, unus *dependentiæ*, quatenus in suo esse dependet ab alio, vel ut subjecto, quemadmodum accidentia pendent à subjecto; vel ut supposito sustentante, quò modò substantia creata pendet à supposito. Alter modus in alio existendi, est *per modum communicationis*, sicut anima rationalis est in materia, quamvis in suo esse non dependeat ab ipsa.

Itaque subsistentia adæquatè spectata utrumque modum in alio existendi removere debet, partim tribuendo naturæ independentiam à sustentante, partim reddendo ipsam alteri supposito saltem extraneo incommunicabilem.

CONCLUSIO I. *In Divinis dantur tres subsistentiæ relativæ.* 3.

Probatur primò Authoritate. Nam in sexta Synodo act. 11. dicitur: *Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis.*

Nec satisfacis huic testimonio, si dicas, subsistentiâ accipi concretè pro subsistente, seu supposito: nam contrà est primò: quòd redderetur sensus nugatorius, esset enim idem ac dicere, SS. Trinitatem numerari tribus personalibus personis. Secundò. Illud ipsum concretum subsistentis & suppositi substantivè accepti habet pro ratione formali constitutiva & abstracta subsistentiam: ergo multiplicato concreto substantivo subsistentis & suppositi, necesse est multiplicari subsistentiam. Si replices: abstractum suppositi esse suppositalitatem.

Contrà est: quòd hæc ipsa suppositalitas non possit accipi nisi pro perfeitate incommunicabilitatis, quâ solâ distinguuntur personæ subsistentes: atqui subsistentia relativa est hæc ipsa perfeitas incommunicabilitatis: ergo nisi litigium de nomine moveas, nobiscum sentis & loqueris.

Eodem sensu D. Ambrosius in Symbol. Apost. 4.
c. 2. *Catholicum est*, inquit, *ut & unum DEVM secundùm unitatem subsistentiæ fateamur; & Patrem & Filium, & Spiritum S. in sua quemque subsistentia sentiamus.* Damasc. l. 1. fid. c. 9. *Filius propriam habet subsistentiam præter eam, quæ Patris est.* Angelicus Doctor hìc q. 29. a. 2. ad 2. *Dicendum, quòd sicut nos dicimus in Divinis tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres hypostases.*

Cùm ergo dicta Conciliorum & SS. PP. in proprio sensu sint accipienda, quid urget, ut abstractam vocem subsistentiæ impropriè vel pro concreto suppositi, vel pro personalitate capiamus? cùm insuper in utroque tam in supposito, quàm personalitate intimè, & tanquam formale constitutivum includatur?

Probatur ratione primò. Multiplicato con- 5.
creto substantivo, multiplicatur quoque forma significata, & multiplicato constituto multiplicatur forma constituens: sed *suppositum* seu *subsistens* est concretum substantiale, uti & *Persona*, & sicut Persona personalitate; ita subsistens vel suppositum constituitur subsistentiâ: ergo sicut ad multiplicationem Personæ personalitas; ita ad multiplicationem suppositorum, & subsistentium multiplicatur subsistentia: præsertim cùm personalitas & subsistentia (velut etiam suppositum & persona) non distinguantur, nisi in quantum personalitas & hypostasis subsistentiæ superaddunt dignitatem naturæ rationalis.

Ratio est secundò. Multiplicato effectu for- 6.
mali, debet etiam forma ipsa multiplicari: sed effectus formalis subsistentiæ, qui est incommunicabilitas, multiplicatur in Divinis Personis, ut fide certum; ergo & subsistentia.

Quòd porrò istæ subsistentiæ necessariò sint relativæ, inde liquet: quia nulla distinctio & incommunicabilitas in Divinis provenit à forma absoluta, cùm ut sæpe dictum, absoluta sint communia, & ratio distinctionis sit oppositio relativa.

7. Ratio est tertiò. Nisi Divinæ Personæ subsisterent per subsistentias relativas inter se realiter distinctas, non esset ratio, cur Verbum potiùs fuerit incarnatum, quàm tota Trinitas: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Si unio Humanitatis ad Verbum immediatè facta est in aliquo communi omnibus Personis, non est ratio, cur non omnes Personæ sint incarnatæ; sed negatis subsistentiis relativis, unio immediatè fuisset facta in aliqua absoluta subsistentia, communi omnibus Personis: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. OBjicies primò. Multas Authoritates PP. qui asserunt subsistentiam esse formam constitutivam substantiæ, quæ ipsi tribuit formalem effectum per se existendi. Unde sicuti ratio substantiæ & existentiæ per se est immultiplicabilis in Divinis, ita & subsistentia. Ita S. Augustinus. l. 7. de Trinit. c. 5. *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus: absurdum est autem, ut substantia relative dicatur: Omnis ergo res ad seipsam subsistit, quantò magis DEUS? &c.* S. Anselmus per se existere & subsistere accipit pro eodem: monol. c. 5. *Summa essentia & summè ens*, h. e. *summè existens, sive subsistens non dissimiliter sibi conveniunt, quàm lux & lucere, & lucens.* & c. 44. *Ita* (Pater) *gignendo dat Filio essentiam habere, & sapientiam, & vitam in semetipso, ut non per extraneam, sed per suam essentiam subsistat, sapiat & vivat.* D. Thomas q. 9. de pot. a. 5. ad 13. *proprietates personales habent, quòd subsistant ab essentia.* & præced. q. 8. a. 3. 7. & 9. *Dicendum, quòd relatio, ut dictum est, distinguit, in quantum est relatio, constituit autem hypostasin, in quantum est Divina essentia.* Tandem hìc q. 29. a. 2. dicit, *ex eo, quod res aliqua per se existit, vocari subsistentiam. Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt.* quæ, inquit Eminentiss. Aguirre, adeo manifesta sunt, ut vix interpretationem in oppositum patiantur.

9. Respondeo, hæc omnia efficaciter probare, quòd admittenda sit subsistentia absoluta, quæ tribuit formalem effectum per se & non in alio existendi, seu perseitatem independentiæ, quam sequenti §. astruemus; non autem probare nullam esse admittendam subsistentiam relativam quoad effectum formalem & perseitatem incommunicabilitatis, quæ cùm in suppositis creatis sit effectus formalis subsistentiæ, non est, cur excludatur in Divinis.

10. Objicies secundò ex ratione. Subsistentia in creatis est forma absoluta, etiam quoad effectum incommunicabilitatis: ergo similiter in Divinis. Respondeo negando consequentiam, & dico, quod subsistentiæ ratio quoad effectum incommunicabilitatis secundùm se præscindit ab absoluto, & respectivo, ita ut vi suæ formalis rationis exigitivè nec sit absoluta, neque respectiva; permissivè tamen utrumque. Et in creatis quidem est forma absoluta, quia creata propter suam finitatem & limitationem etiam per prædicata absoluta à se invicem distingui possunt; in Divinis verò est forma relativa, quia ibi propter oppositam infinitatem & illimitationem solùm ex prædicatis relativè oppositis potest esse distinctio.

Inquis. Quo pacto Natura in Patre subsistens erit communicabilis Filio, si per paternitatem facta est incommunicabilis?

Respondeo. Naturam Divinam, ut terminatam per paternitatem, non fieri adæquatè, sed inadæquate; nec omni, sed aliquo modo incommunicabilem: ideóque licèt absolutè natura Divina in Patre subsistens sit communicabilis: sit tamen incommunicabilis eo modo, quo est in Patre. In Patre igitur, & prout terminata paternitate, est ut omni modo à se habita, & ut principium generandi, quo modo non est communicabilis Filio. Rursus in Filio est natura ut ab alio habita, & ut solùm spirativè communicabilis, quo modo non communicatur Spiritui Sancto. In Spiritu Sancto demum est ut ab utroque habita, & nullius productionis principium, sicque est omnimodè incommunicabilis.

Objicies 3. Eò quod existentia sit ultimus terminus naturæ Divinæ in linea essendi, non potest ipsi superaddi alia existentia relativa: ergo pariter, quia subsistentia est ultimus terminus naturæ in linea subsistendi, non potest ipsi advenire alia subsistentia relativa.

Respondeo distinguendo consequens. quo modo est ultimus terminus, concedo, quo modo non est, nego, & sic, quia subsistentia non personalis & absoluta est ultimus terminus in linea subsistendi independenter, in eadem linea non admittit aliam subsistentiam, concedo, in diversa linea nempe subsistendi incommunicabiliter, nego consequentiam; sic enim datur subsistentia dans effectum & perfectatem subsistendi incommunicabiliter.

Objicies quartò. Admissis subsistentiis relativis, proprietates relativæ essent Divinæ essentiæ rationes subsistendi: sed hoc repugnat doctrinæ Doctoris Angelici primùm allegati, negantis, quòd relationes sint rationes subsistendi Divinæ essentiæ.

Respondeo. Distinguendo sequelam majoris. essent rationes subsistendi incommunicabiliter, concedo, independenter, nego. illud negat S. Doctor, illud admittit in testimonio pro nostra sententia adducto num. 4. & mox in sequenti §. referendis.

§. III.

Astruitur subsistentia absoluta.

CONCLUSIO II. *Quoad formalem effectum & perfectatem independentiæ datur in DEO sub-*

subsistentia absoluta communis omnibus Personis. Ita Thomistæ, aliique, qui negant subsistentias relativas, contra Valq. Zuniga, Derkennis, Isambertum aliósque.

Est indubitata D. Th. tum in testimoniis, quæ contra priorem conclusionem in objectionibus præcedentis §. retulimus, tum in 4. cont. gentes c. 14. ubi dicit: *in DEO sunt plures res subsistentes, si relationes consideremus; & una res subsistens, si consideretur essentia.* Et q. 9. de pot. a. 1. ad 11. *Ipsa* (inquit) *Divina essentia est secundùm se subsistens;* (adeóque absolutâ subsistentiâ præintellectâ relationibus) *& ab illa habent proprietates personales, quòd subsistant;* (subsistentiâ acceptâ pro perfectione independentiæ) *ipsæ verò proprietates personales ex se habent, quòd Personas ab invicem distinguant.* En! subsistentiam relativam, prout dicit perfectionem incommunicabilitatis, in 1. dist. 21. q. 2. a. 1. ait. *Natura Divina est in se habens esse subsistens, nullâ intellectâ personarum distinctione.*

Concordat modus loquendi Conciliorum & PP. quos referunt Salmanticenses. disp. 9. dub. 5. §. 2. & quorum partem primùm in §. præcedente adduximus; quibus accedat authoritas Agathonis Papæ in 6. Synodo dicentis: *Confitemur trium subsistentiarum sive Personarum unam subsistentiam.*

15. Ratio fundamentalis est ista. Effectus formalis independentiæ ab alio sustentante in DEO provenit à subsistentia vel absoluta vel relativa. Non à relativa; ergo ab absoluta: ergo hæc datur. Major probatur; partim quia hunc effectum tribuit subsistentia creata: partim quia non est assignabilis alia forma, quæ tribuat hunc effectum. Existentiam fortè nominas? Sed contrà est primò. quòd illius formalis effectus est rem ultimatò & completè sistere extra nihil, vel extra causas: ejúsque independentiam à sustentante naturâ priùs supponit.

Contra est secundò. argumento ad hominem. Quòd si existentia tribueret formaliter effectum independentiæ à supposito sustentante, humanitas Christi non penderet à supposito Verbi, ut sustentante: quia hunc effectum reciperet à propria existentia, quam ex sentent. Adversar. habet identificatam cum humanitate.

16. Minor pariter ostenditur: Forma relativa non potest tribuere perfectionem formaliter absolutam, & convenientem essentiæ Divinæ, ut præintellectæ relationibus: sed independentia ab alio ut sustentante est quædam perfectio absoluta, adeóque conveniens essentiæ, ut præintellectæ relationibus: ergo. minor probatur. Independentia ab alio sustentante est melior subjecto, quàm quælibet perfectio incompossibilis cum ipsa; & si hanc Divina essentia non haberet in linea essendi non esset infinitè perfecta: ergo est perfectio simpliciter simplex Divinæ essentiæ; & quidem absoluta; tum quia pertinet ad lineam essentiæ; tum quia nulla datur relativa perfectio ex dictis. Ex quo sequitur ulteriùs, quòd conveniat essentiæ, ut præintellectæ relationibus, nam & linea essendi, & prædicata absoluta, quæ illam consequuntur, præsupponuntur virtualiter relativis.

Confirmatur. DEO ut præintellecto relationi- 17.
bus convenit ratio suppositi: ergo ipsi ut præintellecto relationibus convenit subsistentia. antecedens probatur primò: quia DEUS ut præintellectus relationibus significatur per modum concreti substantialis, existentis ut quod, sed hoc est suppositum. Secundò. quia DEO ut præintellecto relationibus convenit ad extra operari, cò quòd opera ad extra sint indivisa, & communia toti Trininati: sed operari est suppositorum: ergo.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. In DEO non datur hypostasis 18.
absoluta, & præintellecta relationibus: ergo nec subsistentia. Consequentia patet; hypostasis namque & subsistentia accipiuntur pro eodem. Respondeo, negando consequentiam. & ad ejus probationem dico, quòd hypostasis sit idem cum subsistentia, in aliqua & frequentiore acceptione subsistentiæ; non autem in omni: quamvis enim subsistentia ex frequentiori usurpatione accipiatur adæquatè, potest tamen etiam accipi inadæquate, ad significandum effectum independentiæ, non significato effectu incommunicabilitatis. Hypostasis verò nomen est impositum ad utrumque effectum significandum, sicut & personalitas. Neque refert, quòd subsistentia in rebus creatis utrumque effectum præstet, & significet; id enim ex limitatione creatæ naturæ & subsistentiæ provenit. In Divinis alio modo se res habet, ubi neque incommunicabilitas à forma absoluta, neque perfectio independentiæ à forma relativa provenire potest, ac proinde effectui independentiæ subsistentia absoluta; effectui verò incommunicabilitatis subsistentia relativa respondere debet.

Objicies secundò. Deitas ut præintellecta rela- 19.
tionibus, non potest esse principium processionum ad intra: ergo ut sic non potest habere subsistentiam.

Respondeo negando consequentiam. quia Deitas non nisi ut modificata relationibus potest esse principium actuum notionalium, juxta illa, quæ in 21. disp. dixi.

Objicies tertiò: Si DEUS ut præintellectus re- 20.
lationibus esset suppositum subsistens, etiam esset Persona, adeóque quatuor forent Personæ in Divinis. Sequela probatur: Persona plùs non significat, quàm subsistentem in natura rationali; sed DEUS esset ita subsistens: ergo.

Respondeo negando sequelam, quia vox *Personæ* est impositа ad significandam perfectam incommunicabilitatis, quam DEUS non habet, nisi propter relationem: & ideo Persona non significat quomodocunque, sed incommunicabiliter subsistentem in natura rationali.

Si opponas textum S. Doct. in 3. p. q. 2. a. 3. ad primum. *exclusis per intellectum proprietatibus personalibus remanebit in consideratione nostra natura Divina ut subsistens, & ut persona.*

Respondeo dici personam incompletè, & secundùm aliquas rationes, non completè secundùm omnes, sic enim requiritur incommunicabilitas, quam non habet natura Divina exclusis proprietatibus personalibus.

DISPUTATIO XXV.

DE

Divinis Personis in genere.

QUamvis Persona apud Comicos olim qualitatem potiùs, quàm individuum hominis significârit, tamen antiquissimo usu non solùm apud Theologos, sed etiam Jurisconsultos humanum seu rationale suppositum significat, cum *instit. de Jure naturali omne jus, quo utuntur*, dividunt in illud, quòd *ad personas, res & actiones pertinet*. Recepta est apud Theologos definitio personæ à Boëtio tradita: *Persona est rationalis naturæ individua substantia*. Ubi per *rationalem naturam* non illa solùm intelligitur, quæ ratiocinandi virtute pollet, sed quælibet intellectiva, etiam Angelica. Per ly *individua substantia*, non tantùm significatur singularis substantia, cùm in hac acceptione & anima rationalis & Divinitas præintellecta relationibus, & humanitas Christi, ut præcisa à supposito Verbi, personæ dicerentur: sed exponente S. Doct. q. 29. a. 1. *incommunicabilis substantia*. Huc etiam pertinet vox græca *hypostasis*, olim ambiguo sensu à Græcis pro subsistentia, à Latinis pro significatione substantiæ usurpata; quæ tamen ex usu Ecclesiæ posterioribus temporibus recepto, si concretè accipiatur, significat vel suppositum in toto genere substantiæ, vel Personam intra limites naturæ & substantiæ rationalis. Si sumatur abstractè, idem significat, quod personalitas, vel subsistentia incommunicabilis. Numerum & cognoscibilitatem Divinarum Personarum Disp. 20. consideravimus: restat, ut in præsenti Disp. Personæ constitutivum, Trinitatis & singularum Personarum notiones, nomina, prædicata, & modos prædicandi dispiciamus.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutivum Personæ Divinæ?

SUMMARIA.

1. *Personæ Divinæ qualiter admittant constitutivum?*
2. *A constitutivo removentur origines.*
3. *Personæ constituuntur relationibus.*
4. *Non transcendentalibus.*
5. *Sed formalibus.*
6. *Sitne ideo relatio seipsâ prior & posterior?*
7. *Paternitas tantùm sub exercitio referendi facit explicitè concipi Patrem.*
8. *Esse ad est inadæquata ratio differentialis relationis Divinæ.*
9. *Relatio per incommunicabilitatem est prima radix distinguendi personam.*

§. I.

Personæ non constituuntur originibus, sed proprietatibus personalibus.

1. DIvinæ Personæ ita sunt ab invicem distinctæ, ut tamen in natura identicè conveniant: ideo non sunt primò, & se totis diversæ, prout olim Durandus sentiebat, sed habent singulæ constitutivum, quo in ratione Personæ constituantur, & ab aliis Personis distinguantur: siquidem idem est rei constitutivum, quod distinctivum. Porrò nomine constitutivi non intelligimus constitutivum aut constitutionem formalem per modum compositionis, quo modo forma physica formaliter constituit compositum physicum; differentia metaphysicum: sed constitutivum & constitutionem virtualem per modum simplicitatis, hoc est ejusmodi formam, quâ positâ hoc ipsò formaliter habetur ratio completa Divinæ Personæ, ejusque distinctio ab omni altera Persona, quantumvis nulla partium compositio intercedat.

Ideo non possumus illis assentiri, qui Divinas Personas per origines constituunt. Aut enim intelligunt originem activam, aut passivam. Si originem activam; illa est operari quoddam & actus notionalis, qui suppositum præsupponit, suppositorum quippe est operari; neque illud proinde constituit. Ut taceam, quòd Spiritus S. hac ratione careret constitutivo, quia caret origine activâ. Non etiam possunt constitui per originem passivam, tum quia non minùs Pater caret origine passivâ, quàm Spiritus S. activâ; tum quia constitutivum significat formam fixam, quâ res aliqua suum esse permanenter obtinet: at verò origo ex modo significandi est forma vialis, & quasi fieri ipsius termini: in rebus quippe creatis filius per nativitatem non habet suum esse formaliter, sed vialiter & in fieri. Tandem omnis ergo origo sive activa, sive passiva in recto dicit aliquid absolutum; forma verò absoluta sicuti non potest esse distinctivum, ita nec constitutivum Personæ Divinæ.

Verissima, uti & receptissima doctrina est, Personas constitui relationibus seu proprietatibus relativis, uti ex Concil. Lateranensi. c. *firmiter* & Concil. Florent. Sess. 1. apertè colligitur, ubi dicitur: *Personas Divinas per suas proprietates differre*. Et ne fortè existimares, has proprietates esse absolutas, in eod. Florent. Sess. 18. Joannes

Theo-

Theologus dixit: *Proprietates nequaquam communicabiles sunt, quod quidem ex relationis vi creditur evenire.* Nec sanè proprietates Divinarum Personarum in script. aliis, quàm relativis nominibus explicantur.

Sed qualibus, inquis, relationibus differunt Personæ? Respondent non pauci: transcendentalibus. Non placet: Quidquid enim sit de veritate & existentia relationum transcendentalium (de qua Philosophi disputent) certè formaliter esse ad terminum, ut correlativè oppositum, est formalis effectus non transcendentalis, sed prædicamentalis relationis. Unde jam suprà advertimus Divinas relationes habere se ad modum prædicamentalis relationis. Ad modum, inquam, illius, quia cùm non sit in prædicamento collocabilis, absolutè prædicamentalis dici non debet. Habet se tamen per modum prædicamentalis, quia dicit formaliter habitudinem ad terminum correlativum, & fundat oppositionem relativam, quod relationi prædicamentali est proprium. *Quod enim est Pater, ad Filium est, Et hoc solùm numerum insinuat, quòd ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* ut affirmat Concil. Toler. & *ubi non obviat relativa oppositio, omnia in Divinis unum sunt.* Porrò relatio transcendentalis nihil refert formaliter, neque fundat oppositionem relativam, imò pertinet ad prædicata absoluta: adeòque ad distinctionem vel constitutionem Divinarum Personarum nihil conducit.

5. Non ergo transcendentalis, quæ semper potiùs est radix & fundamentum veræ relationis, quàm vera relatio; sed ipsa formalis relatio, cujus esse est ad alium se habere, Divinam Personam constituit: Nam idem est rei constitutivum, quod distinctivum: sed distinctivum in Divinis est sola relatio: ergo & constitutivum. Minor liquet ex suprà allato axiomate, neque aliunde Divinæ Personæ possunt esse distinctæ, quàm unde sunt incommunicabiles, sed ex solis prædicatis relativis sunt incommunicabiles, cùm absoluta omnia sint communia in Divinis.

§. II.

Enodantur difficultates oppositæ.

6. SEd hinc gravis emergit difficultas, quomodo non relatio seipsâ sit prior, & posterior; si Personam constituit? Constitutivum quippe Personæ præsupponitur origini & actui notionali: ipsa quoque origo seu ratio fundandi præsupponitur relationi: ergo si relatio constituit Personam, præsupponitur sibimetipsi. Verùm hanc ipsam difficultatem vidit S. D. & unâ distinctione expedivit hic q. 40. a. 4. dicens. *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter, uno modo, ut est relatio, & sic secundùm intellectum præsupponit actum notionalem, quia relatio in quantum hujusmodi fundatur super actum; alio modo secundùm quod est constitutiva Personæ; & sic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut Persona agens præintelligitur actioni.*

Quibus verbis S. D. indicat, duo inadæquata munia & formales effectus in relatione considerari posse: nempe exercitium actuale referendi & respiciendi, ac secundò rationem formæ hypostaticæ, & incommunicabilis subsistentiæ. Unde licèt relatio quantùm adipsum exercitiù referendi actum notionalem, ceu rationem proximam fundandi sequatur, & ut sic non constituat Personam, sed constitutam supponat; sub altera tamen ratione formæ hypostaticæ, ad actum notionalem præsupponitur, ipsamque Personam constituit. Neque hoc novum est, ut eadem forma diversos effectus formales, & inadæquata præstans munia, sub una consideratione sit prior, & sub alia ratione posterior; velut apud Thomistas gratia sanctificans, ut est in infundi, & quasi in fieri, præcedit contritionem, & sequitur eandem, ut est in facto esse.

Sed dices primò. Quandocunque concipitur 7.
Pater, concipitur ut relatus ad Filium; sed quandocunque concipitur persona constituta paternitate, concipitur ut Pater: ergo quandocunque concipitur persona constituta paternitate, etiam concipitur, ut relata ad Filium. Sed concipitur constituta paternitate præsuppositivè ad actum notionalem: ergo etiam concipitur relata præsuppositivè ad actum notionalem.

Respondeo, distinguendo minorem: quandocunque concipitur persona constituta paternitate, prout Paternitas dicit exercitium referendi, concipitur explicitè ut Pater, concedo. quandocunque concipitur sub ratione formæ hypostaticæ, nego, & similiter distincto consequente, & subsumpto, nego alteram consequentiam.

Dices secundò. Relatio non potest concipi 8.
absque sua ratione differentiali: sed præsuppositivè ad actum notionalem, concipitur relatio Personam constituens: ergo concipitur cum sua ratione differentiali: sed hæc est *esse ad*, & exercitium referendi: ergo.

Respondeo. Non potest relatio concipi absque sua ratione differentiali, vel adæquatâ, vel inadæquatâ, concedo, semper adæquatâ vel omni inadæquatâ, nego, sed *esse ad* est ratio differentialis ipsius relationis; adæquata, nego, inadæquata, concedo. altera quippe inadæquata differentia est reddere incommunicabilem, sive habere rationem formæ hypostaticæ.

Objicies tertiò: Relatio paternitatis per exer- 9.
citium referendi distinguit formaliter Patrem à Filio, eique tribuit incommunicabilitatem: ergo per exercitium referendi Patrem constituit.

Respondeo, distinguendo primum membrum antecedentis. Relatio quoad exercitium referendi distinguit actu formaliter, concedo, radicaliter, & ceu prima radix distinguendi, nego. Constitutivum porrò non debet tantùm distinguere; sed esse prima virtus & radix distinguendi. Alterum quoque membrum antecedentis distinguo. Relatio per exercitium referendi facit incommunicabilem per se primò, nego, consecutivè & quasi secundariò, concedo anrecedens, & nego consequentiam.

ARTICULUS II.

De notionibus & modo loquendi de Divinis Personis.

SUMMARIA.

1. *Quid sit notio?*
2. *Quot sint notiones?*
3. *Origines non sunt notiones.*
4. *Disparitas inter innascibilitatem & ingenerabilitatem.*
5. *Innascibilitas an sit negatio?*
6. *Summa Personarum similitudo & æqualitas.*
7. *Earundem περιχώρησις, seu circuminsessio.*
8. *Ejus vocis author D. Damascenus.*
9. *Regulæ prædicandi absolutè.*
10. *Regulæ prædicandi singulariter, vel pluraliter.*
11. *Regulæ prædicandi transcendentia?*
12. *Unum & Ens dicuntur tam singulariter, quàm pluraliter.*
13. *Non autem bonum & verum.*
14. *Quomodo Persona prædicetur de singulis personis?*

§. I.

Quid, quæ & quot notiones Divinarum Personarum?

1. NOtio hîc q. 32. a. 2. definitur à S. D. quòd sit *propria ratio cognoscendi Personam Divinam*, hoc est, ratio objectiva, tenens se ex parte Personæ, per quam, veluti specialem notam & characterem, aliquam Personam Divinam cognoscimus, & ab alia secernimus. Quæ proinde quatuor exigit conditiones. Primò ut significetur termino abstracto, quia sicut ratio formalis essendi, vel aliquid constituendi termino abstracto, ipsum verò constitutum termino concreto significatur; ita & ipsum cognitum termino concreto, ratio verò cognoscendi meliùs termino abstracto exprimitur. Secundò, ut sit aliquid ad originem pertinens: omnis enim distinctio in Divinis ex relatione originis provenit. Tertiò, ut non sit commune omnibus Personis: hôc ipsò enim non esset ratio distinguendi unam Personam ab altera. Quartò, ut pertineat ad dignitatem, eámque connotet, quia, ut habet S. D. q. 29. a. 3. ad 2. Persona est nomen dignitatis.

2. *Quinque notiones*, juxta eundem S. D. cit. q. 32. a. 3. & communem doctrinam Theologorum, ponuntur in Divinis. Nimirum innascibilitas, & paternitas in Patre: filiatio in Filio, spiratio activa in Patre & Filio: processio, seu spiratio passiva in Spiritu Sancto. Cujus numeri hæc est *ratio*. Cùm notiones pertineant ad originem, tot sunt notiones in Divinis, quot sunt diversi modi & rationes originis, quibus & dignitas Personæ Divinæ, & ejus ab altera distinctio nobis innotescit: sed ejusmodi diversi modi & rationes originis sunt quinque: ergo. Nam duplex inprimis est ordo & modus originis; unus, qui vocatur, *à quo alius*; alter, *qui ab alio*: ille ad activam, iste ad passivam originem pertinet. Quantùm ad modum originis *à quo alius*, sic est in Patre paternitas, quantùm ad modum originis, *qui ab alio*, sic est *innascibilitas*, quâ significatur Patrem esse ingenitum, primum & fontale principium Personarum, seu principium sine principio. In Filio quoad rationem, *qui ab alio*, est filiatio; quoad rationem, *à quo alius*, sic est spiratio activa communis Patri & Filio. Tandem quoad modum originis, *qui ab alio*, est in Spiritu sancto spiratio passiva, quantum ad ordinem, *à quo alius*, nulla ulterior datur, cum productiones ad intra in Spiritu S. terminentur. Et hinc patet quinarius numerus notionum.

Intelliges ex dictis primò. Ipsas origines v. g. *generationem*, *nativitatem*, non esse notiones, partim quia per illas non directè, & proximè ipsa Persona, sed actus notionalis ipsius innotescit; partim, quia non significat per modum formæ permanentis, sed quasi vialis & fluentis, & ita nativitas Filium non quasi in facto esse, sed quasi in fieri denotat.

Intelliges secundò. Cur innascibilitas constituat notionem; non item ingenerabilitas, vel inspirabilitas. Ratio nimirum est, quòd innascibilitas negat omnem modum ab alio procedendi; adeóque significat dignitatem primi fontalis principii, quæ non nisi primo supposito infinitæ & Divinæ intelligentiæ convenire potest. Ingenerabilitas verò, vel inspirabilitas tantùm negat aliquem specialem & determinatum modum ab aliquo procedendi, quod etiam reperitur in creaturis, & ideo non significat dignitatem.

Neque refert, quòd innascibilitas sit negatio, & negatio verò non sit dignitas. Nam esto, quòd in modo significandi innascibilitas formaliter dicat negationem; adhuc tamen pertinet ad dignitatem, quia ex parte rei significatæ importat fundamentum hujus negationis, quod connotat dignitatem: neque enim notio ipsa debet esse dignitas, sed dignitatem denotare & manifestare.

Quæris, quodnam sit hujus negationis fundamentum? Resp. esse ipsammet paternitatem, prout in ratione formæ hypostaticæ primò terminat Divinitatem: atque ita connotat naturam Divinam, ut à se habitam, facitque, quòd Pater habeat primatum originis, sitque fontale principium tum communicativum Deitatis, tum productivum Filii & Spiritûs S.

§. II.

Divinarum Personarum similitudo, æqualitas, & mutua inhabitatio.

DIvinas Personas sibi invicem simillimas & coæquales esse docet fides in Symbolo Athanasii. *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritûs S. & tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ratio utriusque est manifesta: quia quantò magis aliqua conveniunt in una forma, tantò sunt similiora, & quantò magis sunt ad invicem commensurata absque unius excessu super alterum, tantò major est inter illa æqualitas: sed Divinæ Personæ tam in natura, quàm omnibus perfectionibus simplicissimè per identitatem conveniunt, nec reperitur in illis unius Personæ excessus super alteram, neque quoad perfectionem, neque quoad durationem: uti elegantissimè expressit D. Augu-

stinus

sinus l. 6. de Trinit. c. 10. *In summa Trinitate omnium est una, quantum tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ quàm una, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & omnia omnia.*

2. Huc pertinet intima & mutua Personarum inexistentia, quam Scholastici circumincessionem Græci perichorisin vocant. Hæc quippe vox significat intimam & vitalem immanentiam unius Personæ in altera: quam illarum quælibet ex duplici capite obtinet. primò propter identificationem cum essentia: in quo enim intimiùs aliquid esse potest, quam ubi est sua essentia? Secundò ratione originis: dum enim personæ productæ procedunt per modum termini immanentis, quælibet Persona producens est in producta, ceu principium in termino; & qualibet producta est in producente tanquam terminus in principio. Unde Joan. 10. Christus dixit: *Pater in me est, & ego in Patre.* Et Ecclesia in hymno: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

3. Primus, qui hac voce περιχωρήσεως usus fuit, videtur esse Damascenus l. 3. fidei. c. 5. Res tamen ipsa è prælegatis Evangelii Verbis pridem antè à SS. PP. agnita atque exposita: è quibus antiquissimus Doctor D. Dionysius de Divin. nomin. c. 2. inquit. *Divina, cælestiáque lumina tota in totis esse*: &: Cyrillus l. 1. Thes. c. 8. *hypostasin Filii esse in hypostasi Patris, sicut solis splendor est in sole.*

§. III.

Modi prædicandi de Divinis Personis.

4. Quia teste S. Hieron. citato à S. Th. q. 31. a. 2. *etiam ex verbis inordinatè prolatis hæresis incurritur*, ideóque cum magna cautela loqui oportet de mysterio SS. Trinitatis; propterea breviter agendum de modo loquendi, & prædicandi, in Divinis. Et quidem inprimis de modo prædicandi absolutè ponimus sequentes regulas.

Prima esto. Adjectiva notionalia possunt prædicari de essentialibus in concreto sumptis. Vera enim est hæc propositio, *DEVS generat*, quia DEUS Pater generat. Non autem de essentialibus in abstracto: falsæ enim sunt istæ. *Essentia generat, DEItas spirat.* Ratio est, quòd ut notionalia rectè prædicentur, debet significari persona habens illam formam notionalem: sed hæc tantùm significatur in nomine concreto, non autem abstracto.

Secunda est. *Essentialia* (inquit S. D. q. 39. a. 2.) *quæ non habent ordinem ad aliquem actum, sed removent conditiones creaturæ à DEO, possunt prædicari de notionibus, ut paternitas est æterna, immensa, &c.* Sensus est, prædicata absoluta quidditativa & negativa, ut sunt infinitus, æternus, immensus, à se &c. & alia, quæ non conveniunt essentiæ Divinæ sub statu reduplicationis & exercitio distinctionis virtualis, posse de abstractis notionalibus prædicari; non item illa, quæ conveniunt sub exercitio distinctionis virtualis.

Unde falsa est hæc propositio. *Paternitas est communicabilis*, quia communicabilitas convenit essentiæ, ut virtualiter distinctæ ab omni notione.

Tertia. Signa universalia vel particularia, *omnis, aliquis, nullus*, ineptè & falsò junguntur termino essentiali, quis enim ferat dicentem: *Omnis DEVS creat?* bene tamen junguntur Personis. Verum enim est: *Qualibet Persona est ens a se, aliqua Persona est Filius, &c.*

Quarta. Dictio exclusiva *solus, tantùm* non potest adjungi termino personali respectu actûs essentialis; potest autem adjungi respectu prædicati notionalis. Ratio est manifesta: quia absoluta sunt communia; non autem notionalia. Unde ista quidem patiuntur exclusionem alterius Personæ, non autem illa: ita *solus Pater generat, non autem solus Pater creat.*

De modo singulariter vel pluraliter prædicandi 10. sint regulæ sequentes.

Prima. Prædicata, quæ Personis Divinis ratione solius essentiæ conveniunt, substantivè accepta non nisi singulariter prædicantur. Colligitur ex Concil. Toletano secundo suprà citato dicente: *Hoc solùm numerum insinuat, quòd ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quòd ad se sunt.* Ratio est, quòd Personis convenit ratione alicujus immultiplicabilis, est immultiplicabile, sed quæ conveniunt ratione Divinæ essentiæ, conveniunt ratione alicujus immultiplicabilis. ergo: ideo ex Symbolo Athanasii in Divinis non tantùm non dicuntur *tres Dii, tres Domini*, sed neque *tres æterni, omnipotentes*, neque secundum S. August. supr. cit. *tres magni*, aut *tres boni.* quia hæc omnia prædicata Personis conveniunt ratione essentiæ.

Dixi, *substantivè accepta*, quòd si enim adjectivè accipiantur (veluti illa, quæ ex modo significandi sunt adjectiva, accipi possunt) nil prohibet, quin pluraliter dicantur. Unde in eodem Symbolo Athanasii dicitur: *totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt*: ubi ly *coæternus* non ut priùs *substantivè*, sed *adjectivè* accipitur. Rationem differentiæ accipe à S. Doctore q. 39. a. 3. *Quia singularitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam per nomen significatam; in adjectivis verò singularitas vel pluralitas secundum suppositа; hinc dicitur unus Spirator, sed duo Spirantes, unus DEVS, sed tres habentes Deitatem.*

Secunda est: Quæ Divinis Personis conveniunt præcisè ratione proprietatis personalis, tantùm pluraliter, non singulariter de omnibus dicuntur. Ratio est oppositа priori: nempe quæ conveniunt ratione proprietatum personalium, conveniunt ratione alicujus multiplicabilis: ergo non singulariter, sed tantùm pluraliter dici possunt. Ideo non dicitur in Divinis una Persona, & hypostasis, sed tres Personæ & hypostases: ipsa tamen proprietas personalis, sicut non nisi unam Personam constituit, ita neque singulariter de omnibus, neque pluraliter de singulis, sed singulariter de unica dicitur. *Sic unus est Pater, unus Filius, unus Spiritus S.*

Tertia. Prædicata, quæ partim ratione essentiæ, partim ratione proprietatum personalium conveniunt, illa tam pluraliter: quàm singulariter in Divinis dici possunt: sic dicimus primò, *unam* trium Personarum *subsistentiam absolutam*, in quantum significat perfectatem independentiæ, & tres

& tres *subsistentias relativas*, acceptas videlicet pro perfectitate incommunicabilitatis. Dicimus secundò, Divinas Personas esse unam rem & entitatem, & esse plures res & entitates. Unam rem & entitatem, secundùm realitatem essentiæ, plures secundùm entitates & realitates relativas, quæ utique sunt quidditates oppositæ non enti, vel enti ficto, adeóque veræ entitates & realitates.

Sed quomodo prædicata transcendentia, Ens, Unum, *Verum*, *Bonum*, singularitérne, an pluraliter dicuntur in Divinis?

11. Respondeo primò. Ens singulariter & pluraliter dici posse. Potest ly *Ens*, significare vel *concretum* existentiæ, hoc est essentiam & quidditatem, quæ habet esse, vel ordinatur ad esse; vel *concretum entitatis*, hoc est, quidditatem oppositâ non enti vel enti ficto. Si primo modo accipiatur, constat ens non posse pluraliter dici, quia actus existentiæ secundùm dicta non multiplicatur relativè. Si accipitur secundo modo, potest pluraliter dici, quia quælibet relatio est quidditas opposita non enti, vel enti ficto, & sic verum est, quòd sint tria entia.

12. Respondeo secundò. Unum dici posse tam pluraliter, quàm singulariter: singulariter, ratione essentiæ, & sic dicimus. *SS. Trinitas unus DEVS, tres personæ, una essentia*: Et Christus Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*. Ubi adnotante D. Augustino ly *unum* substantivè prolato significatur essentiæ unitas, in ly *sumus* pluralitas Personarum. *Sumus enim non diceret de uno: sed unum non diceret de diversis*. Pluraliter, ratione singularum Personarum, cùm numerus non fit absque distinctione unitatum. Et sic dicimus; *unam essentiam esse tres Personas*, & tres unitates relativas. Non tamen (ut advertit S. D. q. 30. a. 4.) dici possunt *tria individua*, quia individuum est indivisum in se, & divisum à quovis alio secundùm divisionem naturæ, qualis non est in Divinis.

Respondeo tertiò. *Verum & bonum* non pluraliter dici in Divinis. Et de bono constat ex iis prà dictis, ubi bonitatem & perfectionem relativem negavimus in Divinis: Cùm ergo bonitas relationibus non nisi ratione esse Divini absoluti in se inclusi conveniat, multiplicari non potest: ideóque cum S. August. ibidem *tres bonos* substantivè dici posse negavimus. Idem asserendum est de vero. Nam veritas idem hîc est, quod cognoscibilitas entis, sed hæc multiplicari nequit, quia convenit Divinis Personis ratione actûs puri, & essentiæ immaterialissimæ, quæ multiplicationem non patitur.

Si tandem petas, quomodo ly *Persona* de singulis Personis dicatur? An videlicet univocè per modum generis, vel speciei? Respondeo negativè; quia non potest in Divinis perfectè præscindi aliqua ratio communis æqualiter participabilis à tribus inferioribus. Igitur hoc prædicatum habet se potiùs per modum individui vagi, imperfectè abstrahibilis à suis inferioribus, quod significet indistinctionem ex parte naturæ, & distinctionem in modo subsistendi.

DISPUTATIO XXVI.

DE

Divinis Personis in specie.

Ad q. 33. usque ad 39.

POst tractationem eorum, quæ ad cognitionem Divinarum personarum generatim pertinent, supereſt illa quoque expendere, quæ De Divinis Personis singillatim in quæstionem veniunt, quibus expositis totum tractatum in Divinis missionibus cum Angelico Doctore in q. 41. absolvimus.

ARTICULUS I.

De nominibus primæ & secundæ Personæ.

SUMMARIA.

1. *Tria propria nomina primæ Personæ, & primò Pater.*
2. *Quo sensu propriè dicatur principium?*
3. *An etiam conveniat nomen Authoris?*
4. *Quo sensu dicatur ingenitus?*
5. *Secunda Persona propriè Verbum & Filius,*
6. *Item imago.*
7. *Nomina appropriata Patris & Filii.*

§. I.

Nomina primæ Personæ.

1. TRia sunt nomina, quæ primæ personæ in Divinis tribuuntur: *Pater*, *Principium*, & *Ingenitus*. *Pater* dicitur, non eâ solùm ratione, quâ Pater creaturarum & omnium illarum est conditor, quæ translatitia acceptio paternitatis communis est toti Trinitati; neque prout per gratiam sanctificantem creaturas rationales adoptat in filios, cùm & istud commune sit omnibus Personis, sed quia æternâ generatione Filium sibi consubstantialem producit.

Principium quoque dicitur, non solùm sub communi ratione principii, sive ad extra, quod rursùm toti competit Trinitati; sive ad intra, quod etiam Filio convenit, sed antonomasticè, tanquam principium sine omni principio, non modò causante, in quo à creaturis; sed etiam producente, in quo à reliquis Personis secernitur.

Sed

Sed etiámne rectè & notionaliter Author appellatur? Ita videtur deduci è S. D. in 1. dist. 29. q. 1. a. 1. dicente, quòd nomen Authoris supra rationem principii addat negationem passivæ originis ab alio. Verùm D. Hilarius l. 1. de Trin. hoc nomen facit commune Patri & Filio dicens, quòd *Spiritus S. de Patre & Filio authoribus confitendus sit.* D. Augustinus illud non nisi cum cautela & distinctione admittit contra Arianos, qui hoc nomine majoritatem in Patre respectu Filii intendebant: sic enim inquit contra Maximin. c. 4. *Si propterea DEVM Patrem de Filio dicis Authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto; facior & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patrémque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium, cujus est Pater, detestabor & respuam.*

4. Prætetea proprium, Patris nomen est, *Ingenitus*, quo ejus notionalis innascibilitas declaratur: nec tantùm significatur negatio originis generativæ, quæ etiam reperitur in Filio, sed positiva possessio naturæ à se ipso cum exclusione omnis alterius processionis. Unde etiam S. Dionysius de Divin. nom. inquit, *solum fontem supersubstantialem Deitatis esse Patrem*, & Conc. Toletanum sextum. *Credimus Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis.* Ubi Pater non ideo dicitur, *Fons DEItatis*, quasi Deitas ab ipso promanaret, id quippe damnatum est in Concil. Lateran. *C. damnamus.* Sed quia habet in se ipso Divinitatem à nullo acceptam (*a se*) & à se in Filium & Spiritum Sanctum identicâ communicatione derivatam.

§. II.

Nomina propria Filii.

5. NOmina secundæ Personæ propria sunt *Verbum, Filius*, & *Imago*. Procedit, ut *Verbum*, quia procedit, ut terminus intelligibilis dictionis: Cúmque ex vi hujus intellectivæ dictionis procedat in similitudinem dicentis, non solùm intentionalem, sed propter summam identitatem, quæ est inter esse, & intelligere Divinum, etiam naturalem, procedit ut Filius naturalis & consubstantialis Patri. Sic appellatur Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 16. *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Unde & Augustinus l. 9. de Trinit. c. 12. *DEI Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat.*

6. Tandem appellatur. *Imago DEI invisibilis.* Coloss 1. *Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula, DEI Majestas, & imago bonitatis illius.* Sap. 7. Imago quippe definitur. quòd sit *nnius ab alio deducta similitudo.* ad quam proinde duæ conditiones requiruntur: similitudo nimirum & processio: idcirco tametsi ovum ovo, lac lacti sit simillimum, neutrum tamen alterius est imago, quia ab ipso non exprimitur. Sed utraque conditio in Verbo & Filio DEI perfectissimè reperitur, nam & procedit à Patre, & eundem adæquatissimè repræsentat non tantùm per assimilationem, sed etiam per identitatem naturæ, idque ex vi suæ processionis, ut aliàs diximus, ideoque est imago non tantùm assimilativa, sed etiam comprehensiva Patris.

7. Alia quoque nomina & effectus, quamvis omnibus Personis communes, tamen per appropriationem uni vel alteri Personæ specialiter tribuuntur, ob specialem aliquam convenientiam cum Personis, earumque originibus: Quamvis ergo potentia toti Trinitati conveniat, specialiter tamen Patri tribuitur, quia ipse est primum principium tam ad intra, quàm ad extra. *Sapientia* appropriatur Filio, sicut & veritas, quia sicut sapientia, ita ipse quoque oritur per intellectum.

ARTICULUS II.

E quorum objectorum cognitione Verbum per se procedat?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Verbum per se procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in DEO.*
3. *Non sequitur, quòd Verbum sit imago suiipsius.*
4. *Notitia, in quantùm productiva Verbi, est practica.*
5. *Cognitio productiva Verbi tantùm est illo prior prioritate à quo.*
6. *Verbum etiam per se procedit è cognitione possibilium.*
7. *Non autem è cognitione futurorum.*
8. *Exponitur textus Anselmi.*
9. *Comprehensio causæ perfectæ requirit comprehensionem effectuum contentorum.*
10. *Ablatis possibilibus Verbum non remanet ejusdem rationis.*

§. I.

Verbum per se procedit ex cognitione omnium attributorum & Personarum.

1. SI quæstio hujus articuli intelligatur de cognitione objectorum, per quam de facto, non tantùm per se, sed etiam concomitanter Verbum Divinum procedit, certum est Verbum procedere ex cognitione omnium objectorum, quæcunque per comprehensivam DEI scientiam attinguntur. Uti clarè tradit S. D. q. 34. a. 1. ad 3. dicens: *Pater intelligendo se, & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.* Et ratio est manifesta: ex illorum objectorum notitia procedit Verbum, quæcunq; repræsentátur in Verbo, quæcunq; enim Pater intelligit, in Verbo dicendo exprimit. *Dicit enim uno eodémque Verbo seipsum, & quæcunque facit.* Inquit S. Anselm. Monol. c. 32. & *Verbum de suo nil habet, sed totum de illa scientia, ex qua nascitur.* Aug. l. 15. d. Trinit. c. 12.

Sed omnia objecta tam Divina, quàm creata tam necessaria, quàm libera: omnes creaturæ tam actuales, quàm possibiles repræsentantur in Verbo, & Verbo dicuntur, aliàs Verbum non esset com-

comprehensivum, & adæquatum scientiæ Patris. Controversia igitur est, è quorum objectorum notitia non tantùm concomitanter, sed *per se* procedat Verbum, *perfectate* quarto modo: ita videlicet, ut si istorum objectorum cognitio non esset, etiam Verbum Divinum secundùm perfectionem sibi essentialem à Patre non procederet? Cæterùm objecta, ad quæ comprehensiva Patris scientia terminatur, in quadruplici sunt differentia. Est inprimis essentia cum attributis. Secundò. relationes & Personæ. Tertiò Creaturæ possibiles. Quartò creaturæ actuales. De quibus diversa sunt Doctorum placita. Primò Rada contr. 11. a. 2. concl. 4. cum suo Scoto negat Verbum procedere ex cognitione ullius Personæ.

Secundò. Puteanus hîc dubit. 2. concl. ult. censuit, procedere ex cognitione essentiæ & primæ Personæ, non verò ex cognitione sui & Spiritûs S. Tertiò Alarcon disp. 8. c. 8. cum Vasquez admittit procedere per se ex cognitione sui; negat verò ex cognitione Spiritûs S. Quarta sententia docet procedere per se ex cognitione non tantùm essentiæ & attributorum, sed etiam omnium Personarum, quam tradit Angelicus Doctor hîc q. 34. a. 1. ad 3. & in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. De verit. q. 4. a. 5. quem præter Discipulos Scholæ Thomisticæ sequuntur Suar. l. 9. de Trinit. c. 4. Ysambertus, Ariaga, aliique.

2. Conclusio I. Verbum Divinum per se quarto modo procedit ex cognitione omnium eorum, quæ sunt formaliter in DEO; adeóque omnium attributorum & personarum. Ita citatus S. D. hâc q. 34. a. 1. ad 3. his verbis: *Sic ergo uni soli Personæ convenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum; eo verò modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet Personæ convenit dici, Pater enim intelligendo se, & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ in ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.*

Ratio fundamentalis est: Verbum Divinum essentialiter quidditativum, adæquatum, & comprehensivum, petit essentialiter procedere per cognitionem intuitivam, quidditativam & comprehensivam. Sed cognitio quidditativa & intuitiva Divinæ essentiæ necessariò videt non tantùm attributa, sed etiam Personas & terminos, in quibus illa subsistit, ut ostendimus in priori Tractatu: ergo.

3. Oppones primò. Hinc sequitur, quòd Verbum sit imago suiipsius, & Spiritûs S. Si ex horum omnium cognitione per se procedit: sicuti dicitur Imago Patris: quia procedit ex cognitione Patris, quâ se ipsum Pater æternus intelligit.

Respondeo negando sequelam: quia ad rationem Imaginis præter repræsentationem & manifestationem objecti, ulteriùs requiritur origo ab illo, quod repræsentat, uti suprà notavimus. Ideo licèt Verbum Divinum respectu omnium objectorum, quæ repræsentat, servet rationem *Verbi*, non tamen habet rationem Imaginis, nisi respectu solius Patris, quia solus Pater seipsum cognoscendo, Verbum exprimit, nec tantùm respectu Verbi habet rationem objecti, sed etiam principii; alia verò objecta tantùm sunt terminativa, non etiam principiativa, qua de causa etsi repræsententur in Verbo tanquam in Verbo, quia ad hoc sufficit repræsentatio ipsorum, non tamen repræsentantur tanquam in Imagine, quia Verbum non originatur in ipsis.

Oppones secundò. Notitia intuitiva supponit suum objectum; atqui cognitio, ex qua verbum procedit, illud non supponit, sed est prior prioritate originis: ergo non potest esse cognitio intuitiva ipsius Verbi, & consequenter Verbum non procedit ex cognitione suiipsius.

Respondeo, distinguendo majorem; si sit notitia purè speculativa, transeat, major, si sit notitia practica, nego majorem: ergo cognitio, ex qua Verbum procedit, non est intuitiva ipsius Verbi & speculativa purè, concedo, & practica, nego istam & alteram consequentiam. Instantia habetur in scientia visionis, quæ est intuitiva creaturarum, & tamen causa ipsarum.

Oppones tertiò. Si Verbum procederet ex cognitione suiipsius, esset prius seipso, consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. In eodem instanti est objectum & cognitio intuitiva ipsius: sed cognitio est prior, quàm Verbum, quod ex illa procedit: ergo etiam ejus objectum est prius, &c. atqui objectum hujus cognitionis est ipsummet Verbum: ergo Verbum est prius seipso. Quam objectionem paucis mutatis facilè applicabis etiam ad cognitionem Spiritûs S. qui origine est ipso Verbo posterior.

Respondeo, argumentum peccare in forma, quia in majori sumitur prioritas durationis, cognitionis, & in quo; in minori verò prioritas originis & à quo: ex quo termini vitiosè multiplicantur. Gratis tamen distinguo majorem. In eodem instanti *in quo*, est cognitio & objectum, concedo. in eodem instanti *à quo*, si nempe cognitio sit practica, & productiva objecti, nego majorem. Sed cognitio est prior, quàm Verbum, prioritate à quo, concedo, prioritate in quo, nego minorem & consequentiam.

§. II.

An Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum.

CONCLUSIO II. *Verbum per se procedit ex cognitione creaturarum possibilium, non verò actualium.* Est omnium Thomistarum contra Vasq. disp. 193. c. 3.

Prima pars probatur primò. Ex eorum cognitione Verbum per se procedit, quæ per se exprimuntur & repræsentantur à Verbo: sed creaturæ possibiles per se repræsentantur & exprimuntur à Verbo: ergo Verbum per se procedit è cognitione creaturarum possibilium. Major patet, quia Verbum aliàs non esset adæquatum & comprehensivum, prout advertit D. Augustinus. l. 15. de Trinit. c. 13. & 14. dicens: *Verbum Divinum esse de omnibus, quæ sunt in Scientia DEI: nam si aliquid minus esset in Verbo, quàm in scientia, non esset Verbum adæquatum.* minor æquè est certa: quia Verbum comprehensivum Divinæ omnipotentiæ per se debet exprimere omnes terminos ipsius; atqui creaturæ possibiles sunt termini Divinæ omnipotentiæ: ergo Verbum Divinum debet exprimere & repræsentare creaturas possibiles.

Pro-

Probatur secundò. Notitia comprehensiva Divinæ essentiæ & omnipotentiæ attingit omnia possibilia inibi eminenter contenta. & ideo D. Th. sup. q. 14. a. 5. dicit. DEUM alia à se cognoscere, quia se comprehendit ut causam: sed Verbum per se procedit ex comprehensiva notitia DEI: ergo per se procedit ex notitia attingente omnia possibilia, non quidem ut objectum primarium, sed tamen ut secundarium.

7. Secundæ partis ratio est. Ex illa notitia Verbum Divinum non petit per se procedere, quæ si non esset, nihilominùs Verbum Divinum sub ratione Verbi infiniti & comprehensivi procederet; sed tametsi DEUS non haberet notitiam creaturarum actualium & contingentium, Verbum Divinum sub eâdem perfectione procederet: ergo ex illorum notitia per se non procedit. Minor probatur: quia cognitio & scientia creaturarum actualium fundatur super liberum decretum, estque proin libera, & potuisset absolutè non esse, & nihilominùs fuisset æterna Divini Verbi processio.

Confirmatur. Ens per essentiam necessarium non potest per se procedere ex libera cognitione: sed cognitio creaturarum actualium est libera, & Verbum Divinum est Ens per essentiam necessarium: ergo Verbum Divinum ex cognitione creaturarum actualium per se non potest procedere.

8. Objicies primò. Authoritatem S. Anselmi monolog. c. 29. dicentis: *sive ergo ille cogitetur, nullo alio existente, sive aliis existentibus, necesse est Verbum coæternum illi esse cum illo*: atqui si procederet per se ex cognitione creaturarum possibilium, tunc nullâ existente essentiâ possibili, non existeret aut procederet Verbum: ergo sentit D. Anselmus, Verbum Divinum per se quarto modo non procedere ex cognitione creaturarum possibilium.

Respondeo D. Anselmum loqui de creaturis actualibus, non de possibilibus: nam de illis tantùm existentia propriè affirmatur.

9. Objic. secundò. Potest Verbum Divinum procedere ex comprehensiva cognitione Patris, quin procedat ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Ergo non per se procedit ex omnium illorum cognitione. Consequentia patet ex nostra ratione & fundamento. Antecedens probatur. Comprehensio causæ non infert necessariò cognitionem omnis effectûs in causa contenti, ut patet in comprehensione, quâ Angelus comprehendit suum intellectum; neque enim per hanc comprehensionem attingit omnes suas cognitiones: aliàs videret simul omnia & infinita objecta, ad quæ ipsius cognitiones terminabuntur in omnem æternitatem. Ergo Divinæ omnipotentiæ comprehensio non infert formaliter cognitionem omnium creaturarum possibilium.

Respondeo negando antecedens. Cujus probationem distinguo: Comprehensio causæ imperfectæ & aliquo modo incompletæ in actu secundo, potest comprehendi non visis omnibus effectibus contentis, concedo. & talis est intellectus Angeli respectu futurarum cognitionum, ad quas primùm indiget determinari: Comprehensio causæ infinitè perfectæ & completæ, qualis est omnipotentia Divina, nego.

Objic. tertiò. Illud per se non requiritur ad 10.
processionem Verbi, quo per impossibile ablato Verbum remanet ejusdem rationis ac modò est: sed ablatis per impossibile creaturis possibilibus Verbum Divinum manet ejusdem rationis: ergo creaturæ possibiles non requiruntur ad processionem Verbi. Minor probatur. Quia DEUS tanquam primum Ens nullâ indiget creaturâ ad sui consistentiam: item, quia nulla exigitur creatura possibilis, ut Pater sit fæcundus ad generandum, sed hòc ipsò, quòd Pater sit fæcundus ad generandum, Verbum Divinum ab ipso procedere intelligitur: ergo processio Verbi stat absque creaturis possibilibus.

Respondeo, negando minorem. & ad primam probationem dico, non ex indigentia, sed ex intrinseca exigentia & natura causæ primæ & omnipotentiæ infinitæ DEUM habere connexionem cum creaturis possibilibus. Ad alteram probationem nego majorem: nam fæcunditas generativa Patris est fæcunditas intellectiva, adeóque requirit cognitionem comprehensivam: atqui comprehensiva non est, nisi terminetur ad creaturas possibiles, uti dictum.

ARTICULUS II.

De Persona Spiritûs Sancti.

SUMMARIA.

1. *Nomen Spiritûs S. tertiæ Personæ proprium.*
2. *Nomen amoris terminativè.*
3. *Et nomen Doni.*
4. *Ejus nomina per appropriationem.*
5. *Error Græcorum de processione Spiritûs S.*
6. *Veritas Catholica probatur authoritatibus.*
7. *Firmatur duplici ratione.*
8. *Enervatur fundamentum oppositum.*
9. *Scotistarum doctrina, quòd distinguatur Spiritus S. à Filio independenter à processione.*
10. *Eorum fundamentum ex authoritate D. Anselmi.*
11. *Fundamenta ex ratione.*
12. *Contraria sententia asseritur & probatur authoritate.*
13. *Eliditur Scotistarum responsio.*
14. *Exponitur authoritas objecta Divi Anselmi.*
15. *Satisfit cæteris Scotistarum fundamentis.*
16. *Ex D. Thoma ostenditur, Spiritum S. per se procedere à duobus suppositis.*
17. *An vel quomodo virtus spirativa adæquatè reperiatur in Patre.*
18. *Disparitas inter virtutem spirandi & creandi.*
19. *Utraque Persona constituit unum principium spirandi.*

§. I.

Nomina tertiæ Personæ.

1. TErtia Persona propriè appellatur *Spiritus Sanctus, amor, Donum.* Rationem primi nominis accipe à S. Doct. 4. contr. gent. c. 18. *Quia amatum in voluntate existit, ut inclinans, & quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam, impulsus autem rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet: convenit DEO per modum amoris procedenti, ut spiritus dicatur.* Additur ly *Sanctus*, ita, ut vox utraque in virtute unius termini incomplexi sit accipienda. Rationem hujus vocis iterum assignat S. D. in 1. Dist. 10. a. 4. *quòd sanctitas importet rectitudinem voluntatis, & consequenter processioni amoris congruè adjungitur, quæ est per voluntatem.*

2. Vocatur secundò *amor*, non formaliter, sic enim est actus amantis; non essentialiter, sic enim amor communis est toti Trinitati; sed notionaliter & terminativè, ut amor personalis, hoc est, terminus mutui amoris, seu impulsus ex illo amore procedens, & amantem cum amato jungens, qua ex causa etiam nexus, & vinculum, quanquam metaphoricè magis, nuncupatur.

3. *Donum* quoque Spiritus S. appellatur, tum quia primum amantis donum amor est: tum quia habet conditiones ad donum requisitas. Prima est, ut sit ejus, à quo donatur. Secunda ut sit gratuitum. Tertia, ut fiat creaturæ rationali. Est igitur Spiritus S. illius, à quo donatur, nempe Patris & Filii, non quidem per identitatem, quo modo Divina essentia est DEI, à quo Beatis donatur. Neque per possessionem dominii, quo modo gratia, virtutes, &c. sunt dona DEI: sed per processionem & originem, quo modo Filius est Patris, & à Patre donatur, juxta illud Joan. 3. *Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Est etiam ipsius donatio gratuita absque intuitu retributionis, & facta creaturæ rationali, ut per se patet. Licèt ergo etiam de Filio verissimè dicatur, quòd sit nobis datus, & donatus: nihilominùs magis propriè Spiritui sancto nomen *Doni* tribuitur, eò quòd ex vi suæ originis, & characteristicæ proprietatis sit amor; amor autem est primum donum & ratio donandi alia.

4. Per appropriationem quoque Spiritus S. dicitur *bonitas*, quia bonitas objectum est voluntatis & amoris, ex quo Spiritus S. procedit. Vocatur *Paraclitus, Consolator, Unctio*, quia per hæc significantur opera amoris & amicitiæ. Dicitur *Digitus*, & *Virtus Altissimi*; quia nil impulsu amoris fortius, qui vincit omnia, unde eadem virtus in die Pentecostes igne & vento valido designabatur.

§. II.

Processio ex utroque.

5. QUamvis Spiritum S. tertiam esse in Trinitate Personam cæteris consubstantialem contra Macedonium tueantur Græci, pertinaciter tamen negant, eundem à Patre, Filióque procedere, & solam ipsius à Patre processionem admittunt, nixi duplici authoritate, sed hoc ipso tamen debili, quòd utraque authoritas tantùm sit negativa. Prima est ex Joa. 15. ubi Christus dicit: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit* Nullâ factâ mentione Filii. Altera est ex Symbolo Nicæno, in quo Patres Concilii Constantinopolitani idem nomine Filii, inseruerunt, *qui à Patre procedit.*

6. Contra hunc errorem stat Fidei Catholicæ Veritas definita in Concil. Lateranensi, & Florentino, Spiritum S. *ab utroque, à Patre & Filio procedere.* quod ipsum habetur in Symbolo S. Athanasii Græci Patris, *Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Fundamentum est primò ex Verbis Christi Jo. 16. *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ubi repetitis vicibus dicitur: *de meo accipiet.* Sed non potest accipere de suo, nisi per communicationem suæ essentiæ & scientiæ. Sicuti omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, ratione communicatæ essentiæ.

Secundò ex ejusdem Verbis Jo. 15. & 16. ubi Christus promittit Spiritum S. *mittere*, sed nulla Persona mittitur ab alia, nisi à qua procedit, de quo infrà.

Tertiò ex Verbis Apostoli, qui Rom. 8. & Gal. 4. Spiritum S. vocat *Spiritum Christi, Spiritum Filii DEI.* Sed Spiritus S. non aliter potest dici Spiritus Christi, nisi ratione originis; sicut & Christus ratione originis Patris esse dicitur.

Quartò ex Joa. 20. ubi Christus insufflando in discipulos dixit: *Accipite Spiritum S.* eaque actione significabat, quia (ut loquitur S. Anselmus de proc. Spiritûs S. c. 10.) *de ejusdem Personæ secreto procedebat ille Spiritus, quem dabat, de cujus occulto Spiritus ille procedebat, quem insufflabat.*

Quintò ex ratione fundamentum est: omnia, Filio communicantur à Patre, in quibus Pater & Filius nullam dicunt oppositionem relativam, idque requirit Divina simplicitas, & infinita actualitas: atqui in virtute spirativa Pater & Filius nullam dicunt relativam oppositionem: ergo virtus spirativa Filio communicatur à Patre.

Sextò tandem ex absurdo. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab illo: sed consequens est hæreticum, nec ab ipsis Græcis conceditur: ergo etiam falsum est antecedens. Ex quibus fundamentis Latina Ecclesia ad retundendum Græcorum Schisma, in Symbolo Nicæno addidit ly *Filióque*, & voluit deinceps legi, *qui ex Patre, Filióque procedit.*

Debilitas contrarii fundamenti patet tum ex 5. authoritatibus relatis; tum ex pluribus instantiis, quas contra Græcos cit. S. Anselmus coacervat. c. 18. & 19. Nam Christus Matth. 10. ad Petrum dixit: *caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*, nullâ sui, vel Spiritûs S. factâ mentione: & tamen, *Nonne ipse Filius & Spiritus Sanctus intelligendus est revelâsse cum Patre.* Jo. 16. dixit: *Qui videt me, videt & Patrem.* An ergo quia Spiritum S. videri tacuit, etiam negavit? quod ipsum habetur Joa. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Verum DEVM, & quem misisti Jesum Christum.* Nec tamen utique ab illa

illa visione Spiritus S. est separandus. Ex quo patet levissimum esse hoc argumentum ab authoritate negativa (quanquam ne negativa quidem; cùm aliis locis processio Spiritûs S. à Filio clarè insinuetur) petitum: Cui sufficienter occurrit illa Regula Juris in 6. *Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.*

§. III.

Spiritûs S. distinctio à Filio in processione fundatur.

9. TAmetsi prædicta apud Catholicos rata & certa sint, de sexta tamen probatione controversiam movent Scotistæ, an hæc ratio validè probet intentum, quòd si *Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab illo*? Unde pro veritate majoris examinanda tanquam lydium lapidem applicant hypothesin impossibilem, si nimirum per impossibile Spiritus S. à Patre solo, non autem Filio procederet, utrùm sub illa hypothesi adhuc posset esse distinctus à Filio? Et concludunt affirmativè, adeóque judicant, adæquatum fundamentum distinctionis inter Filium & Spiritum S. non esse processionem & oppositionem relativam secundùm originem inter utramque Personam; sed quòd Filius generatione, Spiritus S. sit spiratione productus,

10. In confirmationem suæ doctrinæ adducunt primò authoritatem S. Anselmi cit. l. de proc. Spirit. S. c. 1. dicentis: *habent utique à Patre esse Filius, & Spiritus S. sed diversimodè, quia alter nascendo, alter producendo, ut alii per hoc sint ad invicem. Nam si per aliud non essent plures, Filius & Spiritus S. per hoc solùm essent diversi.* Ergo tametsi per impossibile Spiritus S. à Filio non procederet, adhuc tamen esset diversus à Filio, quia alio modo à Patre haberet esse, quàm Filius. Unde

11. Probatur secundò. Datâ hâc hypothesi impossibili, quòd Spiritus S. à Filio non procederet, haberet suum formale constitutivum: ergo & distinctivum ab omni alio. Antecedens probatur. Constitutivum Filii est filiatio; sed hanc haberet Filius, etiamsi Spiritus S. ab ipso non procederet: ergo.

Tertiò. Ita se habet Spiritus S. ad Filium; sicut ad Patrem, sed si per impossibile à solo Filio, non autem à Patre procederet, adhuc maneret distinctus à Patre: ergo quamvis per impossibile à solo Patre, non autem à Filio procederet, adhuc tamen posset manere distinctus à Filio.

Quartò. Termini per actiones totales & adæquatè distinctas producti, sunt realiter distincti, sed tametsi Spiritus S. à Filio non procederet, esset productus per processionem totaliter distinctam à processione Filii, nempe per spirationem, cùm Filius producatur per generationem: ergo adhuc foret realiter distinctus à Filio.

Quintò. Implicat terminum integrè bis esse productum. Sed in priori ad spirationem, quo Filius generatur, jam est productus: ergo implicat eundem pro posteriori originis per spirationem denuo produci, & consequenter terminus spirationis activæ debet esse realiter distinctus à Filio.

12. Quamvis subtilia sint hæc argumenta, communis tamen Theologorum extra Scholam Scoti cum D. Th. q. 36. a. 2. contrarium tenet, & concludit, in illa hypothesi impossibili, Spiritum S. non posse realiter esse distinctum à Filio. Estque conformior Patribus & Conciliis. Nam in Concil. Tolet. de Spiritu S. dicitur: *Qui in Sancta præcognoscitur Trinitate tertia Persona esse, pro eo, quòd à Patre Filióque condonatur*, hoc est, est donum ab utroque procedens. Idem quoque Tolet. 2. *in profess. fid.* de Divinis Personis loquens: *Hoc solùm*, inquit, *numerum insinuat, quòd ad invicem sunt.* Et in Florent. Sess. 18. Joannes Theologus: *Sola relatio, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores Divinâ processione Personas multiplicat.* Unde est receptissimum axioma Theologorum, dicentium: *omnia in Divinis unum esse, ubi non obviat relationis oppositio*, fundatum in simplicitate & actualitate Divina, quæ nullam patitur in ablolutis realem distinctionem, veluti ex alibi dictis suppono. Ex quibus omnibus facilè subsumitur: sed ubi non est processio, ibi nulla est in Divinis relativa oppositio: ergo si nulla est processio Spiritûs S. non procedit à Filio; neque realiter distinguitur ab illo.

Accedat Authoritas D. Anselmi sæpe citato l. de proc c. 6. dicentis. *Est quoque patens, eum* (Spiritum Sanctum) *per processionem habere de Patre, & per hoc alium esse à Patre: sicut Filius non per aliud est à Patre alius, quàm per hoc, quia de illo existit.* Ubi vides, quòd ex S. P. mente per hoc, & Filius & Spiritus S. sit alius, hoc est distinctus à Patre, quia de Patre existit, hoc est, ab illo procedit: ergo similiter ratio, cur Spiritus S. sit alius, hoc est distinctus à Filio, non est alia, quàm quia de Filio existit, hoc est, à Filio procedit.

Nec enervant vim argumenti Scotistæ, cùm di- 13.
cunt, ad salvandam distinctionem in Divinis sufficere *relationes disparatas* (hoc est, non quidem propter mutuum respectum oppositas, ad diversos tamen terminos comparatas) quales forent filiatio & passiva spiratio, quæ licèt sibi mutuò secundùm originem non essent oppositæ, tamen propter diversitatem terminorum essent disparatæ.

Contra quam responsionem est, quòd infinita unitas & simplicitas actûs puri exigit omnium earum formarum identitatem, è quarum identitate nulla sequitur contradictio: sed nulla sequitur contradictio, si relationes disparatæ inter se identificentur: an non enim relatio Patris, ac Spiratoris sunt disparatæ, & tamen identificatæ? An non formæ absolutæ magis sunt disparatæ à relativis, cùm toto genere differant, quàm una relativa forma ab altera? & tamen certum est absoluta in Divinis identificari cum relativis. Similiter intellectus, & voluntas, processio intellectûs & voluntatis, dictio & spiratio sunt formæ disparatæ, & tamen identificantur. Igitur si tollas à Filiatione oppositionem relativam Spirationis activæ cum Spiratione passiva Spiritûs S. (quam solam ceu distinctivam radicem in Divinis Concilia agnoscunt) habebis Filiationem identificatam cum Spiratione passiva, & non nisi virtualiter distinctam.

14. Supereſt, ut authoritatibus & rationibus ſubtilis Doctoris ſatisfiat. Ad 1. ergo, hoc eſt, authoritatem Divi Anſelmi reſpondet S. D. q. 10. d. pot. a. 5. hæc Verba non ab ipſo aſſertivè, ſed diſputativè & permiſſivè ex Græcorum ſententia fuiſſe prolata. Eſtque veriſſima expoſitio, cùm toto illo capite S. P. occupetur in referenda Græcorum mente de proceſſione Spiritûs Sancti. Reſponderi poteſt ſecundò cum Vekeno, eum loqui de diverſitate radicali & cauſali, non verò formali. Sanè mens *S.* Doctoris ex Verbis ſupr. n. 3. relatis patet, quibus apertè in hoc proceſſionem Spiritûs S. à Patre cum proceſſione Filii ab eodem comparat, quòd non per aliud eſt *alius à Patre, quàm quia de illo exiſtit*: ergo hoc ipſum ſentit de alietate Spiritûs S. à Patre & Filio.

15. Ad ſecundùm nego antecedens. Ad cujus probationem diſtinguo majorem. Filiatio eſt conſtitutivum Filii, ut ſimul eſt radicaliter ſpiratio, atque ita mediatè oppoſita ſpirationi paſſivæ concedo, ſecùs, nego majorem: ſed hanc haberet Filius, ut ſimul eſſet radicalis ſpiratio, nego. ut ſimpliciter filiatio eſt, concedo minorem & nego conſequentiam.

Ad tertium Reſpondeo. quamvis de facto ita ſe habeat Spiritus *S.* ad Filium, ſicuti ad Patrem, quia de facto utrumque reſpicit ut unum ſpiratorem, ſub data tamen hypotheſi impoſſibili, quòd non procederet à Patre, nego majorem, & paritatem, quia licèt Spiritus S. non procederet immediatè à Patre, ex hoc ſolo tamen, quòd procederet à Filio, qui eſt productus à Patre, etiam mediatè procederet à Patre, eique proinde mediatè opponeretur. At verò ſi non procederet à Filio, eidem nec mediatè nec immediatè opponeretur.

Ad 4. Reſpondeo. diſtinguendo majorem. termini per actiones totales realiter diſtinctas producti ſunt realiter diſtincti, concedo. tantùm formaliter aut virtualiter diſtinctas, nego. Sed Spiritus S. eſſet productus per actionem totaliter formaliter vel virtualiter diſtinctam, concedo, realiter, nego minorem & conſequentiam.

Ad quintum diſtinguo majorem. Implicat eundem terminum bis realiter eſſe productum, concedo. virtualiter aut formaliter, hoc eſt, ut ſecundùm aliquam rationem uni, ſecundùm aliam diverſam rationem alteri productioni ſit debitus, nego. Et ſic implicabit in illa hypotheſi impoſſibili, ut Filius per generationem productus, rurſus realiter producatur per ſpirationem; non autem implicabit, ut unâ reali, virtualiter tamen duplici proceſſione productus, ſub una ratione dicatur genitus, ſub alia ſpiratus.

§. IV.

Sitne per ſe à duobus ſuppoſitis, an etiam à duobus principiis?

16. Quæſtio ex duplex. *Prima.* Utrùm Spiritus S. per ſe quarto modo petat procedere à duabus Perſonis? Altera. An utraque Perſona Patris & Filii dicenda ſunt unum principium, vel duo principia Spiritûs Sancti? Ad primum quæſitum Reſponſio *S.* Doct. contra Scotum eſt affirmativa, quam q. 10. de pot. a. 2. ad 15. probat hâc ratione: Spiritus S. ex proprietate ſuæ perſonali eſt amor mutuus (terminativè) & nexus duorum, ſive eſt terminus amoris mutui, quo duo ſe diligunt; ſed hoc abſque pluralitate ſuppoſitorum mutuò ſe amantium eſſe non poteſt. *ergo oportet, quòd à duobus ſpiretur*: Major probatur. Spiritus S. per ſe petit procedere ex amore perfectiſſimo; ſed amor perfectiſſimus eſt amor amicitiæ mutuus & reciprocus: *Amor quippe amicitiæ eſt redamatio plurium redamantium in aliquo uno.* Ait idem S. Th. 1. 2. q. 37. a. 3.

Neque dicas. Etiamſi ſolus Pater ſpiraret, adhuc Spiritus S. eſſet terminus amoris mutui, quo ſe Pater & Filius diligunt. Nam reſpondeo: eſſet terminus amoris inadæquatè mutui, concedo; adæquatè mutui, nego: quia nempe in illa hypotheſi amor in ſolo Patre eſſet principiativè, in Spiritu S. tantùm objectivè, & terminativè, ut autem ſit adæquatè mutuus, in utroque debet eſſe principiativè.

Ratio ulterior eſt. Spiritus S. ex proprietate perſonali petit eſſe diſtinctus ab utroque; ſed niſi procederet ab utroque, non eſſet ab utroque diſtinctus; ergo vi proprietatis perſonalis petit ab utroque procedere. minor conſtat ex §. præcedente.

Objicies primò. Quando terminus virtutem adæquatam producendi invenit in uno ſuppoſito, tunc per ſe non appetit produci à duobus ſuppoſitis; ſed virtus ſpirativa adæquatè reperitur in Patre: ergo Spiritus S. per ſe non petit produci ab utraque Perſona.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, quando invenit virtutem adæquatam cum omni conditione, quæ à termino exigitur, concedo, ſecùs, nego. Sed in Patre eſt adæquata Virtus ſpirandi, quantùm ad id, quod virtus ſpirandi dicit in recto, concedo, quantùm ad omnem conditionem relativam importatam in obliquo, quæ à termino neceſſariò exigitur, nego. Quæ eſt ergo omnis illa conditio? Duplex, inquam, relatio. Nam quia Spiritus S. ſpiratur ut nexus & amor unitivus duorum, neceſſariò exigit, ut virtus ſpirandi contineat duas relationes duorum diſtinctorum ſuppoſitorum conſtitutivas. An ergo Patri deerit aliqua conditio ad ſpirandum? relativa, concedo, (& ex hoc nihil decedit perfectionis) abſoluta, nego.

Dices. Ratio mutui & reciproci nihil perfectionis ſuperaddit amori, ſed ad ſummum relationem, vel realem, vel rationis: non ergo neceſſe eſt, ut Spiritus S. ex mutuo amore procedat. Reſpondeo. Non addere formaliter & entitativè; bene autem arguitivè; quia exinde argueretur defectus perfectiſſimæ amicitiæ; ſicut ex defectu generationis argueretur defectus infinitæ jucunditatis.

Objicies ſecundò. Non minùs adæquata virtus ſpirandi convenit Patri ratione voluntatis, quàm cuilibet Perſonæ conveniat virtus creandi ratione omnipotentiæ; ſed quia virtus creandi Perſonis convenit ratione omnipotentiæ, pluralitas Perſonarum ad creationem ſe habet per accidens: ergo etiam dualitas Perſonarum ad proceſſionem Spiritûs S. ſe habet per accidens, quia virtus ſpirandi competit Patri ratione voluntatis.

Re-

Respondeo negando paritatem majoris & causalem minoris, quia ratio adæquata, cur ad productionem creaturarum Trinitas Personarum se habeat per accidens, est, quia virtus adæquata creandi DEO convenit etiam secundùm omnem conditionem importatam in obliquo, præcisâ ratione Trinitatis: Atqui adæquata virtus spirandi secundùm omnem conditionem importatam in obliquo non convenit soli Patri præcisâ ratione filiationis, ut dictum.

Dices. Si per impossibile non esset, vel non spiraret Filius in Divinis, adhuc posset à Patre spirari Spiritus S. ergo spiratio Filii non est ipsi per se.

Respondeo. in illa hypothesi personam spiratam non fore ejusdem rationis, & perfectionis cum Spiritu sancto, quia non esset terminus reciproci amoris.

19. Ad alterum quæsitum *Respondeo*, utramque Personam non esse nisi unum principium, qua de causa (ut suprà ex S. Doct. insinuatum) licèt possint dici duo *spirantes*, non tamen duo *spiratores*, sed unus *spirator* dicitur. Habetur *in C. fideli. d. sum. Trinit. & Fide Catholica in 6.*

Ratio est primò. In iis omnibus *Pater* & *Verbum* sunt unum, in quibus relativè non opponuntur: sed in virtute spirandi & principiandi non opponuntur: ergo in ratione principii & spiratoris sunt unum.

Secundò. Nomina substantiva non multiplicantur, nisi formale significatum multiplicari possit, ut dictum; sed non potest forma significata per ly *principium* multiplicari in Patre & Filio, ut patet: ergo neque principium de utroque pluraliter dici potest.

Si petas: pro quo supponat *ly principium*, si de utraque Persona simul, vel de qualibet seorsim dicitur? Respondeo. Si prædicatur de utraque, V. G. *Pater & Verbum sunt spirator, & principium Spiritûs S.* supponere pro utroque copulativè & collectivè. Si de qualibet Persona seorsim, supponere pro subsistente in virtute spirativa utrique Personæ communi.

ARTICULUS III.

De missione Divinarum Personarum.

SUMMARIA.

1. *Exponitur & asseritur missio Divinarum Personarum.*
2. *Dividitur in visibilem & invisibilem.*
3. *Invisibilis fit per gratiam & charitatem.*
4. *Non omnis missio supponit productionem ejus, qui mittitur: nec est adæquatè temporalis.*
5. *Qualis sit missio Christi in Eucharistia?*
6. *Pater non mittitur, nec Spiritus S. mittit.*
7. *Personæ non mittuntur per dona naturalia.*
8. *Neque per gratias gratis datas, gratias actuales, vel habitus vel actus informes.*
9. *Missio sit etiam per augmentum gratiæ.*
10. *Persona missa sit præsens in esse cognito, per cognitionem experimentalem.*

§. I.

Quid & quotuplex sit missio?

1. LOquimur de *missione* passivè accepta, quo modo significat egressionem ab aliquo cum destinatione ad certum effectum obtinendum, vel locum de novo occupandum, & potest tripliciter fieri. Primò per imperium, quo modo legatus à Principe, servus à domino mittitur. Secundò per consilium, quomodo æger à medico ad thermas mittitur. Tertiò per originem, quomodo radius à sole, flos & fructus ab arbore mittitur, aut magis emittitur.

Mitti aliquos Personas, & quidem utramque Personam, Filii & Spiritûs sancti, fides docet Jo. 8. *Ego ex Patre processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, &c.* Joa. 14. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo.* Joa. 15. *Paraclitus, quem ego mittam vobis, &c.* Cæterùm missio rectè definitur: quòd sit *processio originis à mittente cum connotatione novi effectûs temporalis.* Duplex quippe habitudo (ut advertit S. D. hîc q. 43. a. 1.) invenitur in missione, una ad mittentem, & altera ad terminum, ad quem mittitur. Habitudo ad mittentem in Divinis alia esse non potest, quàm originis, cùm aliæ habitudines imperfectionem involuant, ideóque S. Cyrillus in citata verba Jo. 8. *Filius*, inquit, *mittitur à Patre, ut Verbum à mente, splendor à sole.* Quia verò sola processio ad missionem non sufficit, sed simul requiritur nova habitudo ad terminum, veluti patet in creata missione; idcirco missio Divinæ Personæ simul connotat effectum aliquem creatum, cùm ex parte ipsius Personæ missæ nova habitudo esse non possit.

Ratione hujus effectus à Persona procedente 2.
connotati dividitur missio in visibilem & invisibilem, quia nempe à Persona procedente aliquando visibilis, aliquando invisibilis effectus connotatur. Visibilis missio Filii fuit per Incarnationis beneficium, de qua Apostolus Gal. 4. *Cùm ergo venit plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum natum ex muliere, &c.* Visibilis missio Spiritûs S. fuit, cùm primò in specie columbæ descendit super Christum baptizatum. Matth. 5. Secundò cùm in transfiguratione Christi in nube lucida apparuit, ita enim in officio Festi agnoscit S. Ecclesia & D. Augustinus Epist. 102. ad Euod. *Nubes illa lucida, quæ in monte operuit cum tribus Discipulis Salvatorem, Spiritum S. demonstravit.* Tertiò cùm in vento vehementi & igneis linguis super Discipulos venit in die Pentecostes, ut habetur act. 2.

Missio invisibilis Divinarum Personarum non 3.
fit, nisi per gratiam justificantem & charitatem,

Tunc

Tunc enim Persona Divina mittitur in animam rationalem, quando novo modo incipit existere in anima rationali, sed hoc fit per sanctificationem animæ, seu per gratiam & charitatem. Unde D. Augustinus l. 3. de Trin. c. 4. *Spiritus S. procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam.* Et S. D. q. 43. a. 3. ad 1. *Per donum grat. æ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quòd liberè non solùm creato dono utatur, sed & Divinâ Personâ fruatur, & ideo missio invisibilis sit secundùm donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipsa Persona datur.*

4. Dices primò. Quod mittitur, non producitur, sed productum supponitur, ut ad certam functionem deputetur: ergo Divinarum personarum missio in earum origine & processione non rectè constituitur. Adde quòd origo sit æterna, missio verò sit temporalis.

Respondeo majorem esse veram in aliqua missione, non in omni; & ideo missio in genere non exigit, ut Persona missa producatur, nec tamen productionem excludit, unde quòd aliqua missio supponat, alia verò includat productionem & originem, non pertinet ad communem & generi-cam, sed ad particularem & specificam rationem missionis. Ad confirmationem distinguo alterum membrum, missio inadæquatè sumpta, prout importat innovationem temporaneam creaturæ, est temporalis, concedo, adæquatè, & secundùm omnem rationem inclusam, nego.

5. Dices secundò. In consecratione Eucharistiæ mittitur Persona Filii, ut ibi novo modo existat, sed hæc neque est missio visibilis, neque invisibilis: ergo divisio missionis in visibilem & invisibilem non est adæquata. Minor probatur: Non est visibilis; quia Christus ibidem invisibiliter existit: non invisibilis, quia ista fit per productionem gratiæ sanctificantis, quæ tunc temporis non fit.

Respondeo. Hanc missionem esse invisibilem reductivè, nam Christus in Sacramento Altaris mittitur, ut manducatione sui sacri corporis producat gratiam nutritivam in animabus Fidelium.

§. II.

Corollaria ex dictis.

6. COlliges primò. Neque Patrem æternum mitti, neque Spiritum S. mittere. Ille non mittitur, quia à nulla Persona procedit. Unde D. Augustinus l. contr. Arian. c. 6. *Solus Pater legitur non missus, quia solus non habet Authorem, de quo sit genitus, vel à quo procedat.* Iste non mittit, quia nullius est Personæ principium.

Colliges secundò. Personas Divinas non mitti per communicationem effectuum naturalium, quia per illa Divinæ Personæ novo & speciali modo non habitant in nobis, neque illorum productio Divinis Personis, sed DEO qua uni tribuitur.

Colliges tertiò. Ad invisibilem missionem non sufficere gratias gratis datas, neque habitus informes fidei & spei, neque actualis gratiæ auxilia, quia secum compatiuntur peccatum mortale, quo impeditur specialis præsentia & habitatio DEI in anima hominis, de qua Joa. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Dixi: non sufficere: nam ut perfectior sit missio, servire poterunt gratiæ gratis datæ, si gratiæ gratum facientis comitatum augeant. nam ut inquit S. D. cit. q. 43. a. 3. *Operatio miraculorum est manifestativa gratiæ gratum facientis, sicut & donum prophetiæ, & qualibet gratia gratis data.* Rursus dici potest, quòd per auxilia gratiæ & actus supernaturales informes, qui sunt *impulsus Spiritûs S. nondum quidem inhabitantis, movent tamen*, Trid. Sess. 14. c. 4. missio fiat initiativè, in quantum ab istis motibus initium sumit nostra justificatio, ac remotè saltem Spiritûs S. habitatio comparatur in nobis.

Colliges quartò. Missionem etiam fieri per augmentum gratiæ, quod mediantibus ferventibus charitatis actibus in nobis producitur, prout agnoscit S. D. loc. cit. a. 6. ad 2. *Dicendum, quòd etiam secundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit missio invisibilis, ut cùm aliquis ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut denunciat his, quæ possidet &c.*

Colliges quintò. Cùm DEUS dicitur præsentò fieri per gratiam in justis *tanquam objectum cognitum & amatum*, ut sæpiùs meminit D. Tho. per cognitionem intelligi notitiam experimentalem, ita excitantem ad Divinum amorem, ut DEUM in se præsentialiter operantem quasi experiatur. Unde S. D. hîc a. 5. ad 2. *Non secundùm quamlibet perfectionem intellectûs mittitur Filius; sed secundùm talem instructionem intellectûs, quâ prorumpat in effectum amoris, ut dicitur Jo. 6. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et *in Psal. in meditatione mea exardescet ignis.* Et *ideo signanter dicit Augustinus: quòd Filius mittitur, cùm à quoquam cognoscitur atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quandâ notitiam significat, & hac propriè dicitur sapientia, h. e. sapida scientia.*

Et hîc præsentis laborioſi Tractatûs finis esto ad Laudem & Gloriam DEI unius & Trini, qui est Benedictus in sæcula.

TRA-

TRACTATUS III.
DE
CREATURA ANGELICA.

ORdo doctrinæ Angelicæ à missionibus Divinarum Personarum ad Divinos Missionarios, Angelos, inquam, manuducit: postquam enim DEUM secundùm rationem principii ad intra productivi, Divinarumque Personarum processiones, quibus DEI, ut in se est, contemplatio clauditur, consideravimus, superest, ut de eodem, quâ ratione ad extra principiat, suamque bonitatem in creaturas diffundit, disseramus. Inter omnes porrò creaturas uti potiorem locum, ita & Theologicam considerationem Angeli sibi vendicant: cæterarum quippe productio in Physica & Metaphysica explicari solet: quæ verò ad moralem hominis statum vitámve supernaturalem pertinent, alii Tractatus Theologici abundè discutiunt. Idcirco iis, quæ Doctor Angelicus à q. 44. usque ad 50. & à 64. usque ad 106. de homine & creatura corporea latè disputavit, ad Philosophiam remissis, ad ea, quæ à q. 50. usque ad 65. & à 106. usque ad 114. tractavit, adspirantibus beatis spiritibus, ipso Angelico Doctore ductore, pertractanda accingimur.

DISPUTATIO XXVII.
DE
Angelorum existentia & essentia.
Ad q. 50.

SUbstantiæ separatæ, & immateriales, quas antiqua Gentilium Philosophia vel cum Aristotele intelligentias, eò quòd essent puræ mentes vitâ intellectuali præditæ, vel cum Platone genios, quòd genituræ humanæ curam gererent, genitósque tutarentur, vel cum aliis dæmones, quasi scientes, & ex istis alios audæmones, quia propitios, alios verò cacodæmones, quia infestos, nuncupabat, hos S. Scriptura *Spiritus*, *Angelos*, *vigiles* nominat Psal. 103. Heb. 1. & quamquam (Gregorio M. teste. Homil. 34. in Evangel.) *Angelus nomen est officii, non naturæ*, tamen communi Catholicorum stylo nomen Angeli per antonomasiam spiritualibus illis substantiis tribuitur, quorum in præsenti disputatione existentiam, naturam, multitudinem considerabimus.

ARTICULUS I.
An Angeli sint spiritus incorporei.

SUMMARIA.

1. *Existentia Angelorum è Scriptura.*
2. *Sunt substantiæ incorporeæ.*
3. *Hæ probat experientia.*
4. *Et ratio.*
5. *Exploditur materia spiritualis.*
6. *Expenditur S. Script. oppositæ.*
7. *Exponuntur testimonia Concil. & PP.*
8. *Quomodo genus sumatur à materia?*
9. *Infertur intrinseca incorruptibilitas Angelorum.*
10. *Angeli sunt creati in cœlo empyreo.*
11. *Objecta diluuntur.*
12. *Non sunt conditi ante mundum.*

§. I.
Angelorum existentia & essentia.

DAri Angelos absoluta Authoritas est. Quia ut D. Gregorius M. modò citatus *Angelos & Archan-* 1

Archangelos penè omnes sacri eloquii paginæ testantur, variis inter se nominibus, ordinibus, officiisque distinctos. Nominibus; nam Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, S. Scriptura commemorat. Ordinibus; nam ex Apostolo novem Choros, sive Ordines Angelorum colligit idem S. Pater loco inferiùs referendo. Officiis; licèt enim *omnes sint administratorii Spiritus*, Heb. 1. variis tamen in Divini imperii executione functionibus sunt distincti. Alii quippe referuntur *Assistentes* Daniel. 7. Alii ad nuncianda Divina beneficia *Legati* Luc. 1. Alii hominum *Custodes & Rectores*. Matth. 8. Ipsos esse hominibus, totóque proin mundo superiores, discimus ex Epist. ad Heb. c. 2. & Psal. 8. *minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. Ex 2. Pet. 2. *Angeli virtute & fortitudine cùm sint majores*. Ex cultu & adoratione à Sanctis exhibita, ut ab Abrahamo Gen. 8. à Josue c. 5.

2. An istæ spirituales substantiæ omnis corporeæ molis & concretionis essent expertes, dubitâsse videntur, aut etiam contrarium sensisse quidam ex antiquis PP. velut Lactant. l. 2. Divin. Instit. l. 14. Ireneus l. 4. cap. 70. Tertull. l. 3. de veland. Virg. c. 7. & alii. Esse expertes tamen satis apertè ostenditur primò in *S.* Textu, ubi Angeli crebrò *Spiritus* appellantur, citato primùm c. 1. ad Hebr. *administratorii Spiritus*. Luc. 11. *Assumit alios septem Spiritus, &c.* Apocal. 1. *à septem spiritibus, qui in conspectu Throni ejus sunt*. Atqui S. Scripturæ stylus vocem *Spiritus* capit pro substantia incorporea, uti cùm dicitur Joan. 4. *Spiritus est DEVS*. Matth. 27. *emisit Spiritum*. Luc. 24. *Spiritus carnem & ossa non habet*. Secundò abstulit locum dubitandi Concil. Lateranense in *cap. firmiter* hanc doctrinam proponens. *Quòd DEVS simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex Spiritu & corpore constitutam, &c.* ubi vides naturam spiritualem & Angelicam contraponi naturæ mundanæ (hoc est corporeæ) & humanæ, h. e. ex Spiritu & corpore constitutæ. Accedit integra cohors SS. PP. quos vide apud Salmanticenses & alios.

3. Has ipsas spirituales intelligentias contra crassæ mentis sive Atheistas & Sadducæos, sive Atomistas, quorum illi nullos, isti corporeos solùm genios, è minimis Atomis conflatos, inaspectabilis formæ cum Platonicis affirmabant, probat experientia. Cui enim alteri adscribas mirabiles effectus, qui omnem naturæ corporeæ virtutem superant, cùm Ægyptiorum Magi incantationibus (quas omni activâ virtute natura destituit) producunt ranas? Cùm Apollonius Tyaneus è Domitiani Imperatoris, totiúsque Aulæ conspectu momento subducitur? Cùm peregrino idiomate loquuntur, pangunt carmina, pandunt secreta, horum omnium antea rudes Energumeni? Cùm vel Memnonis statua, vel mensæ Gymnosophistarum, vel Apollinis tripus, vel Pythonissæ venter vatidicè vocalis efficitur? Cùm per catoptromantiam rerum remotissimarum imagines pinguntur in speculo? cùm Claudia Vestalis navim integram in vado hærentem Zonâ trahit? Sanè isti aliique innumeri effectus, artésque præstigiatorum haud deteri, quàm spirituali substantiæ, corporis experti, variè tamen corpora temperanti & in corpora imperanti, illa agenti, moventi adscribi possunt.

Rationem addit S. D. quæst. 50. art. 1. *ad perfectionem*, inquit, *Universi pertinet, quòd sint aliquæ creaturæ intellectuales*: ne videlicet perfectissimus gradus essendi deesset Universo, oportuit dari quasdam creaturas purè intellectuales, adeóque primæ causæ omnia per intellectum & voluntatem operanti maximè similes. Neque refert, quòd gradus vitæ intellectivæ jam reperiatur in homine: reperitur quippe modò imperfectò, unde ne in perfectissimo gradu essendi deficeret universum, decebat creari Angelum, in quo ille gradus perfectè inveniretur.

Præterea. Si Angelus foret corporeus, esset talis vel ut quòd, vel ut quo. Non *ut quod*, nam corpus & materiam intellectivam repugnare aliunde suppono. Non etiam, *ut quo*, nam primò si esset forma corporis, ut anima rationalis, haberet connaturaliter quasdam operationes corporeas & materiales. Sed quas illas? Secundò. illud corpus esset organicum & quantitate præditum: quò pacto igitur multi Dæmones simul quandoque humanum corpus invaderent? momento ab uno in alium locum se transferrent? loca clausa penetrarent? &c.

Sed an non fortè materia spiritualis Angelo posset tribui? quæ cùm esset solùm spirituali quantitate prædita, Facilè objecta incommoda effugeret? Verùm sicuti spiritualis substantia essentialiter est intellectiva; sic substantia materialis essentialiter est non intellectiva; uti in Tract. de DEO diximus: Sicut ergo implicat eandem omnino substantiam esse & non esse intellectivam, esse principium & impedimentum intellectualitatis, ita implicat materiam esse spiritualem, esset enim necessariò materia immaterialis, corpus incorporeum, imò jam non esset materia sed forma, quæ omnia portenta Philosophica ratio refugit. Nec minùs implicat quantitas spiritualis, quàm quantitas inextensa, ut ex Philosophia suppono.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò è S. Scriptura, Angelis inesse vim generativam & periculum concupiscendæ formæ fœmineæ: illam Genes. 6. ubi juxta 70. interpretum versionem, *videntes Angeli filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt ex iis uxores, & genuerunt Gigantes*. Idem verò in 1. Corinth. 11. Ubi Apostolus præcipit *velari mulieres in Ecclesia propter Angelos*. Insuper rebus corporeis torqueri, & fugari dæmones, constat ex 1. Reg. c. 16. Tob. c. 6 idque comprobat Ecclesiæ praxis. cacodæmones per sacra numismata, Agnos DEI, aquam, herbas benedictas, &c. adeóque per signa corporea fugantis; corpori autem in purum Spiritum nihil licet.

Respon-

Respondeo. *Per Angelos*, aut ex stylo vulgatæ, *per filios DEI* intelligi posteritatem Seth, cui propaginis sanctitas hanc appellationem conciliavit. Apostolum verò *Angelorum* nomine intelligere Sacerdotes, quos eodem nomine honoravit Malach. cap. 2. Porrò, quòd dæmones torqueantur igne corporeo, Divinâ virtute accidit, ignem corporeum, ceu Divinæ Justitiæ instrumentum elevando ad producendam in damnatis spiritibus doloriferam & spiritualem qualitatem, ut infrà in disput. penult. deducemus. Corporeis verò rebus & signis variè fugantur dæmones, nam aliquando sunt invocationes quædam Divinæ omnipotentiæ, quibus positis DEUS suâ virtute reprimit potestates tenebrarum, aliquando per illa naturali virtute dissipantur maligni humores, quorum concitatione subindè dæmon homines vexat: aliàs sunt signa Sanctissimæ Passionis & Redemptionis, quorum intuitum dæmon expavescit, Deùsque ad largiendam majorem gratiam moveatur.

7. Objicies secundò. Concilium Nicænum secundum act. 5. approbat sententiam cujusdam Joannis Episcopi Thessalonic. dicentis: posse Angelos depingi, quia sunt corporei, & apparuerunt hominibus in forma corporea. uti & nonnulli è PP. Angelos appellant corporeos & animalia rationalia.

Respondeo ad authoritatem Concilii, sententiam Episcopi fuisse à Concilio approbatam de pingendis imaginibus Angelorum, non autem causalem: sic enim loquitur Concil. act. 4. *Iconas honoramus Sanctorum, etiam & incorporalium Angelorum; ut homines enim justis apparuerunt.* Porrò dictum illius Episcopi Joannis, tum aliorum PP. non incongruè exponi possunt primò, quòd voluerint indicare Angelum non esse purum actum, sed potentialitati tanquam materiæ metaphysicæ permixtum. Secundò, quòd Angeli in corporibus assumptis, sibique per extrinsecam assistentiam unitis apparere soleant. Tertiò, quòd sint veræ substantiæ suis qualitatibus exornatæ. Quartò, quòd sint loco corporeo definiti, & in illo moveantur.

8. Objicies tertiò. Genus sumitur à materia, sicut differentia à forma: sed in Angelis datur genus & differentia: ergo & in iisdem concedenda est materia.

Respondeo primò. Majorem locum habere solummodò in substantiis, quas constat esse corporeas, non absolutè in communi.

Respondeo secundò. Genus sumitur à materia physica, vel metaphysica, quæ nimirum est potentialitas ad esse, concedo, tantùm à materia physica, nego. Sed hæc ad Philosophiam.

9. Sequitur ex hucusque dictis Angelos esse ab intrinseco incorruptibiles, & immortales; ac proinde illorum esse non tempore, sed ævo mensurari. Nam carent omni intrinseco principio corruptionis tam remoto & radicali, quod est materia prima passiva, nullius formæ receptione satiabilis, quàm proximo, quod sunt contrariæ qualitates. Ideo naturali inclinatione exigunt perpetuari & conservari in DEO, à quo solo in suo esse, & conservari dependent.

§. III.

Locus & tempus creationis Angelorum.

QUæres primò: Quo loco, intra videlicet an extra Empyrei cœli spatia Angeli fuerint conditi? 10.

Respondeo cum S. D. q. 102. a. 4. fuisse conditos in cœlo Empyreo, ita probabiliter colligitur ex illo Ezechielis 28. Ubi de primo Angelo sub typo Principis Tyriorum dicitur. *In deliciis paradisi DEI fuisti*; atqui paradisus DEI, in quo DEUS æternas delicias explicat, non est cælum aliquod Sydereum, sed Empyreum: ergo. Et longè clariùs ex illo Christi Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Unde & Strabus à S. D. allegatus, super illud Genes. 1. *In principio creavit DEUS cælum & terram*, sic inquit: *Cælum non visibile Firmamentum hic appellat, sed Empyreum. i. e. igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur, quod statim factum Angelis est repletum.*

Opponit Suarez primò: Lucifer Is. 14. introducitur affectans sedem in cœlo Empyreo. *Ascendam in cœlum, similis ero Altissimo.* Nondum igitur fuit in cœlo. Secundò. Conveniebat, ut homo conderetur, extra paradysum terrestrem, ergo etiam ut Angelus conderetur extra paradisum cælestem. 11.

Respondeo ad primum, per ly *cælum* illo loco significari non locum, sed thronum. h. e. dignitatem SS. Trinitatis, quam Lucifer inordinatè appetiit, modo inferiùs explicando. Ad 2. accipe disparitatem è D. Th. loc. cit. ad 1. *Cælum Empyreum est locus congruus Angelis, quantùm ad eorum naturam, & ideo ibi sunt creati*, sed paradisus terrestris erat congruus habitationi humanæ, quantùm ad gratuitum & supernaturale donum incorruptionis: unde ut status incorruptionis magis gratiæ adscriberetur, quàm naturæ, fuit convenientius, ut homo extra paradisum conderetur.

Quæres secundò. An ante hunc mundum visibilem Angeli fuerint conditi? 12.

Respondeo. Negativè cum communi D. D. & colligitur satis apertè primò ex Concil Lateranensi in *citato C. firmiter* affirmante. *DEVM simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse naturam &c.* Secundò ex cap. 20. Exodi, ubi dicitur, *DEUS sex diebus fecit cælum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt*: sed Angeli sunt intra has mundi partes: ergo & DEUS illos intra sex primos dies condidit.

Neque refert, quòd Moyses historiam creationis pertexens, nullam Angelorum mentionem faciat: principalis quippe intentio ipsius fuit, hujus corporeæ machinæ descriptionem suscipere, quamvis etiam cùm dixit, DEUS in principio creavit cælum, Angelos, veluti contentum in continente, tacitè subintellexerit.

ARTICULUS II.

De distinctione Angelorum.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *De facto omnes specie distinguuntur.*
3. *Implicat illos solo numero distingui.*
4. *Disparitas inter Angelos, & animas separatas.*
5. *Calumnia objecta depellitur.*
6. *Immultiplicabilitas numerica Angelorum est ex statu medio inter perfectum & imperfectum.*
7. *Accidentia spiritualia individuantur à subjecto Spirituali.*
8. *Exponitur locus D. Thomæ & SS. PP.*
9. *Multitudo Angelorum non excedit numerum omnium individuorum corporeorum.*
10. *Excedit numerum specierum corporearum.*
11. *Item numerum hominum.*
12. *Exponitur locus Psal.* 109. Implebit ruinas.

§. I.

An Angeli sint vel esse possint solo numero distincti?

1. FAcilè in hoc conveniunt DD. inter Angelos dari specificam distinctionem, ita ut saltem Angeli unius hierarchiæ vel ordinis specie distinguantur ab Angelis alterius ordinis aut hierarchiæ; cùm enim mundi corporei & visibilis pulchritudinem specierum varietas commendet, non est credibile, eandem nobilissimæ parti huius Universi, mundo spirituali, quem Angelicæ hierarchiæ constituunt, denegatam fuisse. Alia est quæstio, utrùm omnes inter se specie de facto distinguantur, aut dentur aliqui, sintve possibiles, qui sub eadem specie infima solo numero sint distincti? ubi affirmativam docet Scotus in 2. dist. 3. q. 7. quem præter ejus Discipulos sequuntur Vasquez, Suarez, aliique RR. Negativam tenet S. D. cum suis.

2. CONCLUSIO. *Omnes Angeli sunt inter se specie distincti: & ne quidem per absolutam potentiam DEI solo numero multiplicari possunt.* Ita D. Th. hîc a. 4. & q. 57. act. 7. in quæst. de Spirit. creat. a. 8. & alibi. Et 1. quidem pars: quòd etsi non implicaret, Angelos intra eandem speciem solo numero multiplicari, id tamen de facto non contingere, Probatur hâc ratione. In Angelis cessat finis, quem in numerica multiplicatione natura intendit: ergo Angeli non distinguuntur solo numero. Antecedens probatur. finis numericæ multiplicationis est, ut species rerum corruptibilium, quæ in uno non potest, in pluribus individuis conservetur; atqui species Angeli, utpote incorruptibilis, in uno individuo conservatur: ergo.

3. Altera pars probatur ex fundamentis metaphysicis. In quibus idem est principium numericum & specificum, illa non possunt numericè multiplicari, quin simul multiplicentur specificè: sed in Angelis idem est principium numericum & specificum: ergo non possunt solo numero multiplicari, quin simul specie multiplicentur. Major patet ex terminis; quia sicut distinctio specifica provenit ex aliquo principio specifico, sic numerica ex principio numerico, unde si aliud non sit principium numericum, quam specificum, multiplicato numerico hoc ipso multiplicatur principium specificum, & consequenter etiam distinctio specifica. Minor probatur. In Angelis tanquam formis per se subsistentibus sine materia, non potest aliud esse principium individuationis, quàm ultimus gradus formalis; sed hic simul est specificus, seu principium distinctionis specificæ: ergo in Angelis idem est principium numericæ & specificæ distinctionis.

Ex quo patet disparitas inter distinctionem Angelorum, & animarum separatarum, quæ tametsi sint spirituales, tamen solo numero distinguuntur. Nempe ut S. D. supr. q. 3. a. 2. ad 3. *forme, quæ sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam* (saltem ut connotatam) *illa autem forma, quæ non est receptibilis in materia, sed per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quòd non potest recipi in alio.* Individuatio namque formæ receptibilis in materia fit cum divisione naturæ tantùm entitativa, & materiali, non etiam formali: unde necesse est, ut habeat principium materiale: at verò individuatio formæ irreceptibilis in materia fit cum divisione etiam formali, quam forma, hoc ipso, quòd sit per se subsistens, se solâ præstare potest ac debet.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò, nostram assertionem niti inani fundamento, quòd videlicet principium distinctionis numericæ sola sit materia quantitate signata, quod aliter non probatur, quam nudâ Authoritate Aristotelis, cujus authoritas hîc planè nulla est, inquit Derkennis Cap. 4. §. 2.

Respondeo. Immeritò Doctori Angelico impingi, quòd nudâ Aristotelis authoritate probet, principium distinctionis numericæ esse solam materiam signatam quantitate: quàm enim fuit modestus in veterum authoritate veneranda, tam ubique solidus in veritate per rationes profundissimas stabilienda. Rationem habes in probatione conclusionis.

Objicies secundò. Multiplicatio numerica vel repugnaret Angelo ex ejus perfectione, vel ex imperfectione. Non ex imperfectione: quia convenit generabilibus & corruptibilibus: non etiam ex perfectione; quia natura Divina ipsamet est communicabilis, quamquam cum identitate numerica propter infinitam perfectionem: ergo alia omnis creatura, quæ non est infinitæ perfectionis, erit communicabilis cum divisione numerica.

Respondeo neque ex sola perfectione, neque ex sola imperfectione repugnare multiplicationem Angelorum numericam. Sed si Angelus comparetur ad Divinam essentiam, oritur ex imperfectione Angeli, quòd absque divisione naturæ pluribus suppositis communicari non possit; sin comparetur ad alias substantias creatas, oritur ex

ex ejus perfectione, quòd ejus essentia utpote tota forma materiæ nescia, cum divisione naturæ pluribus individuis non sit communicabilis.

Objicies tertiò. Si numerica multiplicatio deberet haberi per materiam, Angelus non posset habere plures cognitiones solo numero distinctas: consequens est falsum.

Respondeo negando sequelam, ut enim forma substantialis per materiam, ita accidentia individuantur per subjectum, materialia per materiale, spiritualia per spirituale, sicque cognitiones Angelicæ individuantur à subjecto, non quidem nudè considerato, sed prout connotat alias & alias partes temporis Angelici invicem succedentes, atque ordine quodam suas operationes continet, de quo plura metaphysici.

8. Objic. quartò. S. Th. Opusc. 16. Cap. 5. oppositum videtur asserere, dicens: *Dato, quòd non esset de natura intellectûs, quòd multiplicaretur, non tamen propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari includeret contradictionem.* Sed eadem est ratio intellectûs & Angeli: ergo non erit contradictio, si Angeli sub eadem specie multiplicentur.

Respondeo. D. Thomam illo loco plus non velle, quàm malam esse consequentiam Averroistarum, contra quos ibi disputat, quâ ex solo defectu naturalis potentiæ inferebant, absolutè repugnare & implicare multiplicitatem intellectuum: velut ipse se explicat verbis sequentibus, *quòd non tantum dicimus propter propositum, sed magis ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur.* Adde, si quando SS. PP. dicunt Angelos esse ejusdem naturæ, speciei, vel essentiæ; explicandi sunt de specie subalterna, vel de essentia genericè sumpta & composita naturæ corporeæ, non autem de specie infima.

§. III.

Multitudo Angelorum.

9. CErtum Angelorum numerum definiendi nullum est fundamentum: maximam tamen eorum multitudinem indicat S. Scriptura *Daniel. 7. & Apocal. 5.* ubi Angelorum D E O ministrantium numerus vocatur *millia millium.* Restat solummodò dubium, primò an illorum multitudo excedat numerum omnium individuorum? Secundò an omnium saltem specierum sublunarium? Tertiò an omnium hominum? Primum non videtur asserendum, quis enim sibi persuadeat, plures esse Angelos, quàm grana arenæ maris, tritici, milii &c. nec apparet alicujus momenti ratio, quæ tantam multitudinem probet.

10. Ad 2. tamen & 3. quæsitum Respondeo affirmativè, & quòd numerus Angelorum excedat omnem multitudinem creatarum specierum, congruentiam dat S. D. Quantò aliqua pars præcipua universi ac principaliter intenta est nobilior in modo & gradu essendi, tantò majorem solet habere excessum super alias vel in magnitudine, vel in multitudine: etenim corpora cælestia ceu incorruptibilia adeóque in modo essendi sublunaribus nobiliora, eadem in magnitudine incomparabiliter excedunt: quia etiam homo brutis omnibus in gradu essendi & vivendi præstat, ideo plura sunt individua hominum, quàm species omnium brutorum. Sed Angelus in gradu essendi excedit omnes creaturas: ergo etiam omnes illarum species, cùm magnitudine non possit (utpote expers quantitatis continuæ) multitudine excedit. Adde videri inconveniens & indecorum pulchritudini hujus universi, ut minor sit numerus specierum perfectissimarum, quàm infimarum: cùm itaque Angeli inter se specie distinguantur, erit major illorum numerus, quàm omnium specierum aliarum.

Dixi notanter in probatione: *quantò aliqua pars Universi præcipua, & principaliter intenta est nobilior in modo & gradu essendi*, ne occurreres, hinc sequi, quòd in rerum natura plus auri debeat esse, quàm ferri, plures aut majores lapides pretiosi, quàm vulgares; quis enim dubitet, aurum & lapides pretiosos nobiliores esse, quàm ferrum, &c. Non inquam, hoc sequitur, quia metalla & lapides pretiosi non sunt partes præcipuæ Universi principaliter intentæ, nec sibi peculiarem gradum, modúmve essendi vendicant: ut cælum, homo, Angeli.

11. Quod etiam omnium hominum numerum excedant, colligitur ex Evangelica parabola ovis perditæ: ubi aliqui SS. PP. per nonaginta novem oves totam Angelorum multitudinem, per centesimam verò solam humanæ naturæ speciem intelligunt, indéque non obscurè innuunt, longè majorem esse Angelorum numerum, quàm omnium hominum. Deinde juxta communem PP. & Theologorum cuilibet hominum suus proprius Angelus in custodiam deputatur ex infima hierarchia, imò plerisque ex infimo ordine Angelorum. Cùm igitur plures hierarchiæ, ordinésque supersint, necesse est Angelicam multitudinem supra humanam pene innumerabiliter excrescere.

12. Oppones tamen. Decima pars hominum est in tanto numero, in quanto pars tertia Angelorum: ergo major est numerus hominum, quàm Angelorum. Antecedens probatur. Homines salvandi vix sunt decima, imò centesima pars hominum, juxta illud: *multi vocati, pauci verò electi.* Sed homines salvandi adæquant tertiam partem Angelorum; tot enim salvabuntur ex hominibus, quot ceciderunt ex Angelis, prout insinuat D. Bernardus in *Cant.* Serm. 68. convenienter ad illud Psal. 109. *implebit ruinas*: Sed tertia pars Angelorum cecidit: ita quippe videtur affirmari Apoc. c. 14. n. 4. cùm dicitur, Draconis (Luciferi) cauda traxisse tertiam partem stellarum, h. e. Angelorum.

Respondeo negando antecedens, & minorem probationis. Locus Psalmi minimè facit in contrarium, ut enim taceam, quòd *implere ruinas* Euthemius litteraliter explicat apud Tirinum; *faciet ruinas, & stragem multorum*: Locus ille, quantumvis de Angelorum lapsorum reparanda sede deberet intelligi, tamen non esset intelligendus de implendis ruinis juxta arithmeticam commensurationem numeri ad numerum, sed de elevatione hominis in beatitudinem supernaturalem, à qua rebelles Angeli exciderant. Ad alterum quoque locum ex Apoc. desumptum Respondeo, Draconis nomine verius & communius intelligi Anti-Christum, qui tertiam partem h. e. ingentem numerum etiam Principum & eximiorum in

Ecclesia virorum post se trahet: sæpe enim numerus definitus in S. Scriptura sumitur pro indefinito. Unde tametsi locum istum de Angelorum ruina explices, tamen tertiæ partis nomine, non tam determinata quantitas, quàm ingens quædam & indefinita multitudo erit accipienda.

DISPUTATIO XXVIII.

DE

Angelis comparatis ad corpora.

Adq. 51. & seq.

ANgelus dupliciter comparari potest ad corpus, vel primò ut illud sibi, secundò ut se corpori applicet. primum fit per corporum assumptionem, alterum per existentiam in loco, aut motum ex loco in locum. Nunc ad primi considerationem procedendum.

ARTICULUS I.

Quomodo Angeli assumant corpora?

SUMMARIA.

1. *Angeli sæpiùs apparent per immutationem phantasiæ.*
2. *Etiam verè assumunt corpora.*
3. *Conditiones ad assumptionem requisitæ.*
4. *Utuntur potissimum aëre & exhalationibus.*
5. *Assumunt plerumque corpora humanæ figuræ.*
6. *Idque virtute propriâ.*
7. *Anima separata virtute propriâ non assumunt corpus.*
8. *Angeli in corporibus assumptis non exercent opera vitæ.*
9. *Non possunt physicam formam educere è subjecto.*
10. *Lucem tamen probabiliter producunt.*
11. *Quomodo magi Ægyptii potuerint convertere virgas in serpentes, & aquam in sanguinem?*
12. *Magicæ metamorphoses quomodo contingant?*
13. *An uni dæmonum potestas supra alterum?*
14. *Nil immediatè, benè tamen mediatè aliquid potest dæmon in animas viventium.*
15. *Nequit dæmon ad vivos reducere animas.*
16. *Magna Angelorum potestas in corpora hominum.*

§. I.

Asseritur & exponitur modus assumendi corpora.

1. CErtum est primò, Angelos tam bonos, quàm malos sæpiùs apparere hominibus per solam immutationem vel phantasiæ & sensuum internorum, vel etiam externorum. Ita quippe Angelus S. Josepho in somnis, ita tribus Magis apparuit. Ita Dæmon sæpe numerò strigibus & sagis illudit.

2. Nihilominùs certum est secundò, Angelos aliquando verè aliquod corpus assumere, & sub visibili specie hominibus apparere, colloqui &c. Ita sacra tum veteris, tum novi testamenti historia testatur. Nam apparitio, quâ Angeli Abrahamo, Lotho, Jacobo, Tobiæ, aliisque apparuerunt, de imaginaria visione explicari nequeunt, partim, quia verba Sac. Script. detorquerentur in sensum improprium, partim, quòd, ut loquitur S.D. hic, *quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis, unde non videtur indifferenter ab omnibus, sed Angeli, qui Abrahamo apparuerunt, videbantur à tota ejus familia, & qui Loth apparuerunt, ab omnibus Sodomitis, &c.*

Rursus, quòd dæmon Evæ in paradiso, quòd Angelus Gabriel Beatissimæ Virgini, quòd Angelus Christo sanguinem sudanti apparuerit, quòd diabolus eundem tentans in templi pinnaculum & montem excelsum transtulerit, de corporea, &c. visibili apparitione est accipiendum, tum ob prædictam verborum proprietatem, tum quòd dæmoni ad immutandam Christi Domini, vel Evæ in statu innocentiæ degentis phantasiam nullus potuerit esse accessus.

Quæritur ergo, quot & quænam sint conditiones ad corporum assumptionem requisitæ?

Respondeo, esse tres 1. ut Angelus uniatur corpori 2. ceu motor mobili. 3. ut in assumpto corpore vel suas, vel superioris personæ intelligibiles proprietates repræsentet. Ita S.D. hic q. 51. ubi simul habes quatuor causarum genera ad corporum assumptionem concurrentia. Nam causa efficiens est Angelus motor, finalis est repræsentatio proprietatum, materialis est corpus mobile, formalis unio ordinata ad repræsentationem proprietatum. Nunc singulæ conditiones probantur: assumere est ad se sumere, quod nequit intelligi absque aliqua unione, & hæc prima conditio. Porrò aliud genus unionis inter Angelum & corpus dari non potest, quàm motoris ad mobile: aut enim esset unio physicæ compositionis inter materiam & formam; & hæc esse non potest, cùm ex dictis constet, Angelum non esse corporis formam substantialem, multò minùs accidentalem: aut esset unio hypostatica, ut ex utroque fieret unum suppositum: sed & hanc in creatura implicare docent communiùs Theologi in Tract. de Incarnat. ergo remanet unio motoris ad mobile, quia Angelus assumendo corpus, illud format, movet & applicat ad diversas operationes,

nes, & hæc conditio altera. Tandem sola unio motoris ad mobile non sufficit, alias intelligentia, quæ sphæram cœlestem intorquet, diceretur cœlum assumere, & dæmon energumenum obsidens diceretur illius corpus; & nubes in aëre densans, nubes diceretur assumere. Requiritur ergo tertia conditio, ut in assumpto corpore repræsentet intelligibiles qualitates, vel proprias, vel alterius superioris intelligentiæ, præsertim DEI. Hoc si fiat, non tam Angelus, quàm DEUS apparere dicitur, siquidem legatus non tam suam, quam mittentis personam repræsentat.

§. II.

Corollaria.

Inferes primò: Quamvis è quolibet Elemento, aut pluribus inter se mixtis Angeli possint corpus assumere, cùm ad motum localem Angelis corpora obediant, plerumque tamen ex aëre assumi, quia ut habet S. D. q. 6. de pot. a. 7. ad 7. *aër potest inspissari faciliter, & sic figuram recipere & retinere, & per aliquam lucidi corporis oppositionem diversimode colorari, sicut in nubibus patet.* Videtur etiam vapor & fumus assumendis corporibus servire, præsertim in dæmonum apparitionibus: inde enim fit, quòd, cùm disparent, ex subita piceorum exhalationum resolutione teterrimum odorem post se relinquant. 4.

Inferes secundò. Ab Angelis plerumque assumi corpora humanæ figuræ, quippe significandis eorum intelligibilibus proprietatibus commodiora; ab iis tamen etiam figuras rerum irrationalium assumi posse, cùm per illas hujusmodi proprietates indicantur. Imò de facto assumpserunt: nam Angelus Israëlitas duxit per desertum in columna nubis & ignis. Ut nil dicam de Dæmonibus, quos modò in specie talacis hirci, modò grunnientis porci, modò alterius bestiæ vel monstri homines vexâsse, hinc inde deportâsse, docent historiæ, nec non sagarum & magorum confessiones in Sacris Justitiæ tribunalibus. 5.

Inferes tertiò. Hanc corporum assumptionem ordinariè fieri virtute propriâ: fit siquidem aëris, vaporis, fumi condensatione, spissatione, quæ nata consequi ad motum localem omnino subest Angelicæ activitati: Sanè cùm cacodæmones sæpe ad pessimos effectus assumunt corpora, divinæ virtuti & miraculo ejusmodi assumptio adscribi nequaquam potest. Dixi tamen *ordinariè*, quia in apparitionibus supernaturalibus etiam Divinam virtutem ad formanda Angelis corpora quandoque concurrere verisimile est. & colligitur ex S. D. hic a. 2. ad 3. 6.

§. III.

Varia quæsita resolvuntur.

Quæres primò. An etiam animæ separatæ possint virtute nativâ corpus assumere? R. Verius non posse: ut enim D. Thom. q. 117. a. 6. *anima naturaliter non movet nisi corpus vivificatum, unde etiam membra corporis mortificata nullum ab ea motum recipiunt.* Si quando igitur animæ separatæ sive beatæ sive damnatæ, sive purgatorii flammis addictæ hominibus apparent, id accidit virtute Divinâ istis transeunter, beatis verò vi statûs beatifici permanenter communicatâ. 7.

Quæres secundò, an Angeli in corporibus assumptis possint exercere opera vitæ? 8.

Respondeo, non posse, nisi æquivocè & similitudinariè. operatio quippe vitalis essentialiter est à principio vitæ conjuncto, quòd Angelus non est. Quâ ergo ratione Angeli loquuntur, progrediuntur? dæmones ad magorum incantationes producunt serpentes, ranas, &c. imò & fœtus humanos generant? Respondeo, Angelum loqui locutione non vitali, sed emortuâ, in quantum articulatâ sonitûs expressione voces humanas imitatur. Sed nec aliâ ratione progreditur, nisi quatenus corpus assumptum de loco in locum promovet. Ranas & serpentes producit non aliquâ propriâ virtute generativâ, sed celerrimè, ut potest, applicando activa passivis. Quodsi aliquando ad humanam generationem nefariâ libidine concurrit (de quo multi dubitant) haud aliter tamen id fieri potest, quàm ministerialiter, semen decisum de loco transferendo in locum ut habet S. D. hic q. 51. a. 3. ad 6.

Quæres tertiò. An Angelis corpora obediant non tantum ad motum localem, sed etiam ad eductionem & receptionem formarum naturalium? 9.

Respondeo negativè cum communi Theologorum: nullum quippe est fundamentum subitantiæ Spirituali toto ordine distinctæ & per solas animæ potentias intellectum & voluntatem operanti attribuendi virtutem corpoream, in qua formaliter vel eminenter formarum corporearum effectus contineatur. Unde juxta D. August. l. 3. de Trinit. & S. Th. l. 3. contr. gent. c. 103. certissimum est, magos dæmonésque nihil prorsus posse, quòd naturam superat, vel immutat legem, ac ordinem Universi.

Meritò tamen lux videtur excipienda ab hac regula universali, Angelisque concedenda virtus productiva lucis, tanquam qualitatis intentionalis, & ad spirituales proximè accedentis, non actione alterativâ, sed perfectivâ solùm producibilis. Fundamentum habetur à S. Scriptura, ubi asseritur, quædam loca ab Angelis sensibiliter fuisse illuminata: quemadmodum Act. 12. *Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Lucæ 1. *Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas DEI circumfulsit illos.* Matth. 28. *Erat autem aspectus ejus, sicut fulgur.* De Beatis quoque dicitur. Apoc. 12. quòd *afferent gloriam suam & honorem* in cælestem civitatem: ergo id multò magis de Angelis sentiendum: sed gloria illius cœli Empyrei potissimùm in luce consistit, per quam verisimile est, influere in hæc inferiora, juxta doctrinam D. Th. infr. q. 66. a. 3. ad 2. Atque ita sentit Reverendissimus Reding. cum Jo. à S. Th. 10.

Quæres quartò. An magi Ægyptii ope dæmonum suas virgas verè potuerint convertere in serpentes? aquam convertere in sanguinem? producere ranas? &c. prout refertur Exod. 7. 11.

Cajetani opinio est: dæmones occultè applicando activa passivis virgas ad corruptionem prævie dispositas vertisse in veros serpentes. Sed quis credat virgas adeo remotas à natura serpen-

cis

tis unico quasi momento citra miraculum potuisse serpentis perfecti naturam inducere; præsertim cùm serpentes naturaliter producantur ex parentis semine? Bonfrerius censet ad mentem Tertulliani, Justini M. Ambrosii, & Hieronymi, quos allegat, imaginariâ sensuum deceptione inania serpentum simulacra loco virgarum spectantibus fuisse objecta: proinde non fuisse conversionem virgarum in serpentes, nisi juxta vulgi existimationem.

Contrà tamen est primò: quòd S. textus tam magorum, quàm Moysis virgas indiscriminatim dracones vocat: Unde cùm Moysis virga fuerit in verum serpentem versa, etiam magorum serpentes de veris, & non tantùm apparentibus sunt accipiendi.

Secundò. Quomodo serpentes magorum fuissent à Moysis virga devorati, si reverà virgæ, serpentes non nisi imaginariè adfuissent? An dæmonis potestat erat, etiam Moysis sensibus illudendi? vel an Moysi facultas deerat fallaces præstigias confundendi? an denique conveniens erat, ut DEUS ad deceptoriam devorationem serpentum miraculo concurreret? Tertiò in quinto signo nimirum in cyniphum productione magi defecerunt, dicentes. *Digitus DÆI est hic*: igitur in prioribus etiam signis non imaginariè, sed verè serpentes, sanguis, ranæ fuére exhibiti. Igitur.

Respondeo cum Lyrano, Abulensi, Menochio, Cornel. à Lap. ad mentem D. Augustini & Theodor. fuisse exhibitos veros serpentes, sanguinem, ranas. Exhibitos, inquam, non tamen serpentes ex virgis physicè productos & generatos: id quippe dæmonum superat potestatem; sed quia per motum localem celerrimè allatis, & pro virgis magorum occultè subtractis, substituti fuére.

Similiter de sanguine est dicendum, non potuisse magos suis præstigiis efficere, ut aqua verè verteretur in sanguinem; cùm enim sanguis viâ naturali non nisi intra venas & corpora animalium generetur, ejusmodi effectus vires naturæ superat, sed quia vel aquas rubeo colore, & sapore sanguineo admixtis idoneis corporibus imbuerunt, ut vult Menochius, vel quod litteræ propius, sanguinem pro aqua substituerunt, prout subinde videtur contingere; cùm agrestes ubera vaccarum mulgentes pro lacte sanguinem in mulctro reperiunt maleficio impediti, ne lac mulgeant. De ranis verò non invitus concesserim, illas ope dæmonum verè fuisse productas miscendo activa passivis, cùm earundem ex putris materiæ mixtura facillima fit generatio.

12. Sic etiam expones mirabiles quasdam metamorphoses, quæ vel de strigibus & sagis passim recensentur, quòd fuerint in lupos, bufones, feles, &c. mutatæ, vel quæ in gentilium libris reperiuntur, ut quòd Iphigenia in cervam, socii Diomedis in aviculas fuerint conversi, prout observat S. Augustinus l. 18. de civ. c. 18. neque enim aliqua physica corporum alteratio interveniisse censenda est: sed motu locali, spiritus maligni corpus aliquod intuentium oculis subduxêre, alio corpore in vicem substituto, tantâ quidem celeritate, ut intuentes unum corpus in aliud commigrâsse sibi persuaserint. Multæ etiam immutationes Circæis fabulis persimiles solâ phantasiæ illusione modò ex parte illorum, qui se transmigratos putant, modò ex parte videntium solent contingere. Quod de Nabuchodonosoris metamorphosi sacra pagina refert, Divinæ virtuti adscribendum, quæ juxta D. Gregorii M. l. 5. Moral. c. 8. interpretationem litteræ inhærentem regii corporis temperamentum, nec non figuram magna ex parte in ferinam commutavit: unde factum, ut quadrupes incederet, fænoque vesceretur.

Quæres quintò. An uni dæmonum sit potestas & præcellentia supra alterum? Respondeo, imperfectam aliquam ordinum distinctionem, & subordinationem communiter à PP. & Theologis in dæmonibus agnosci, de qua cum S. Th. q. 109. a. 1. & 2. aliqua suo loco dicemus. Ex qua aliorum supra alios præcellentia fit, ut & aliqui magorum & præstigiatorum sint aliis potentiores. Exemplum refert Jo. Dubravius rerum Bohem. l. 23. Wenceslaus Imperator & Rex Bohemorum Sophiam Principis Bavariæ Filiam uxorem duxerat. Hic cùm sciret generum ludicris spectaculis & magicis præstigiis delectari, cum pluribus ludicrorum insignem præstigiatorem Pragam deduxerat: qui cùm suæ artis ludibrio spectatorum oculos raperet, en! Zypho Wenceslai magus inter spectatores præsens sese propiùs ad artificem confert, móxque ore ad aures usque dehiscente ipsum cum omni apparatu totum devorat, solis calceos, tanquam luto sordidos exspuens: mirumque fecessum petens ventrem insolitâ escâ gravem in labrum aquâ plenum exonerat, ac præstigiatorem ejectum, totúmque madidum publico spectatorum risui exhibet. Ex quo patuit unius præstigias, alterius præstigiis & imaginariis illusionibus fuisse superatas.

Quæres sextò: Utrùm dæmon possit immutare animas viventium? Certum est dæmonem immediatè in substantias & spirituales animæ potentias nihil posse; is quippe intimus illapsus non nisi causæ efficienti & creatrici, DEO soli competit. Mediatè tamen potest primò in anima ciere varias animi affectiones, ut dolorem, gaudium, tristitiam, amorem, odium, &c. idque vel extrinsecùs objectis rerum speciebus, quæ ad concitandos ejusmodi affectus sint idoneæ, vel humores, qui sunt ejusmodi affectuum quasi sedes & causa materialis, concitare. Potest secundò etiam spuriam quandam ecstasin & raptum causare duplici modo: primò ut obstruat meatus, quibus spiritus sensitivi à cerebro ad exteriores sensus permeant, quibus obstructis corpus à sensuum officiis impediri necesse est, ut somniantibus contingit. Secundò spiritus sensitivos ab externis ad internorum sensuum organa avocando & cohibendo, ne ad externa diffluant: ex qua intensione & abstractione spirituum communiter raptus solet contingere: & hoc modo fiunt fagarum & magorum ecstases, cùm sopitis externis sensibus nescio, quæ vidisse & peregisse se arbitrantur.

Quæres septimò. An dæmon possit facere, ut anima à corpore soluta in corpus vel ad vivos redeat? Occasionem huic dubio præbet historia Regum l. 1. c. 28. ubi Pythonissa dicitur Samuelem fuscitâsse ad Saulis petitionem.

Re-

Respondeo, nec corpori, nec aspectui viventium animam è corpore egressam à dæmone posse restitui. Non corpori, quia anima non restituitur corpori, nisi per resuscitationem totius compositi humani, quæ omnes naturæ vires longissimè superat: non aspectui viventium, id enim ordini naturæ adversatur, in quo solus ipsius Author dispensare potest: anima quoque non nisi Divinâ virtute aspectabile corpus assumit, ut in antecedentibus dictum. Ad Samuelis apparitionem D. Augustini l. de cura pro mortuis, S. Scripturæ conformior, & ideo communior Interpretum responsio est: ipsam animam Samuelis non virtute Carminis Magici à Pythonissa prolati, sed nutu & Imperio DEI, non in redivivo, sed in assumpto corpore Sauli apparuisse, ut impium Regem corriperet; & denuntiatæ mortis metu ad pœnitentiam provocaret.

16 Quæres octavo. Quidnam Angelus possit in corpora hominum?

Respondeo: posse quamplurima, & quæcunque motum localem, & applicationem activorum apta sunt consequi, modò DEUS voluerit aut permiserit. veluti patet ex Job. c. 2.

Potest igitur humani corporis compagem magno cum dolore distrahere, rapere, discerpere, collidere, totum temperamentum momento solvere, hisque omnibus modis animam etiam elidere. Potest cadaver diu servare incorrupta, inducere humores salsos, sulfureos, vel aromaticos putredini resistentes. Et quæ de humanis corporibus, ea à fortiori de animalium brutorum corporibus affirmanda sunt.

Huc pertinent innumera damna, quæ ex pacto explicito vel implicito homines malefici, seu potiùs dæmon ad malefici cooperationem corporibus inferre solet, sive per fascinationem magicam, cùm dæmon ad malignum aspectum sagæ vel magi nocivam qualitatem corpori aspecto inducit; sive veneficio, quo sagæ gravissimos morbos, & mortem ipsam aliis accersunt: quod rursus pluribus modis contingit, videlicet inunctione, cùm dormientes malignis liquoribus perungunt: inhalatione, quâ in Sylva Hercinia saga quædam, dum à carnifice rogo imponeretur, eidem in faciem insufflans, mox totum corpus Leprâ conspersit, quâ intra paucos dies absumptus est: item instillatione, cùm sagæ infantes lactando maleficium instillant, vel exugendo puerorum ubera tabidos reddunt, qui modus strygum & lamiarum est proprius; sive maleficiis sub lecto, aut limine maleficandi latenter absconditis; sive philtro, quo cietur impuri amoris æstus; sive ligamine, quo impeditur conjugalis congressus: sive cereis imaginibus, quas pungendo vel liquefaciendo illos, qui per imagines designantur, etiam remotè distantes dæmon excruciat: aut sensim labe consumit. de quibus Sprengerus p. 2. Mallei. q. 1. c. 16.

ARTICULUS II.

Quomodo Angeli sint in loco?

SUMMARIA.

1. *Veritas Catholica.*
2. *Angelus formaliter in loco connaturali constituitur per suam operationem.*
3. *In loco violento constituitur per passionem.*
4. *Exponitur axioma philosophicum quòd esse sit prius, quàm operari.*
5. *Plures instantiæ objectæ solvuntur.*
6. *Absurda objecta removentur.*
7. *Angelus potest esse in minori, non in majori loco in infinitum.*
8. *Perfectiori Angelo respondet locus major.*
9. *Angelus non potest simul esse in duobus locis adæquatis, bene in inadæquatis a se distantibus.*
10. *Plures Angeli simul possunt esse in eodem loco adæquato materiali, non formali.*
11. *Unus Angelus non potest esse physicè præsens in alterius Angeli essentia.*
12. *Quomodo dæmones existant in corpore energumeni?*

§. I.

Exponitur ratio formalis Angelo existendi in loco.

1. ANgelos esse in loco plurimis Scripturæ Testimoniis manifestum fit, è quibus discimus, bonos Angelos accessisse ad Abraham. Loth, Jacobum, Beatissimam Virginem, Christum Dominum. Malis verò *præparatum esse ignem æternum, eorum locum non ampliùs esse inventum in cælo, &c.* Sunt tamen in loco non circumscripti-

vè, cùm careant quantitate molis, sed definitivè, eò quòd ita sint in uno loco, ut simul non sint in altero. Sed per quid Angelus formaliter est in loco corporeo?

2. CONCLUSIO I. *In loco connaturali Angelus formaliter constituitur per suam operationem virtualiter transeuntem.* Ita S. D. q. 52. a. 1.

Ratio est: Angelus non potest esse in loco, nisi æquivocè per contactum virtutis: sed hic est operatio: ergo. major probatur. inprimis à paritate corporū: corpora formaliter constituuntur in loco circumscriptivo per contactum formalem ad superficiem corporis ambientis: (veluti ex Philosophia suppono:) ergo Spiritus, qui solam habet quantitatem virtutis, formaliter constituitur in loco per contactum virtutis.

Deinde probatur inductione: nisi contactus virtutis esset Angelo ratio occupandi locum, tunc esset vel ipsa eius substantia, vel superaddita modalis ubicatio: atqui neutrum est: Non substantia Angeli, quia hæc, ceu spiritualis, nullam habet proportionem cum loco corporeo; est ex se indifferens ut sit vel non sit in loco, sit in hoc vel in illo loco: (unde etiam meliores Philosophi ne quidem corpoream substantiam permittunt esse sufficientem rationem ubicandi) cùmque sit indivisibilis, non potest esse ratio, cur modò sit in majori, modò in minori loco: ergo neque quòd absolutè sit in loco. Non etiam modalis ubicatio: hanc enim, ut omnem aliam in-

trinsecam ubicationem, omnésque modales entitates tanquam essentialiter superfluas, aliisque incommodis scatentes rejectas ex Philosophia suppono.

3. CONCLUSIO II. *Loco violento conjungitur Angelus per passionem aliquam, quàm ab illo recipit.* Ita commun. Thomist.

Nam ratio essendi in loco Angelo non potest esse, nisi contactus virtutis, aut ergo constituitur in loco violento per operationem & contactum virtutis, quo ipse locum & corpus tangit, vel quo ipse à corpore tangitur & patitur. Non primum, quia sic contra hyothesin esset in corpore & loco connaturaliter, nam corpora sibi per operationem subjicere pertinet ad Angeli perfectionem: ergo secundum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. OBjicies primò. Prius est esse, quàm operari, siquidem operari sequitur ad esse: ergo etiam Angelum esse in loco, est priùs, quam ipsum operari in loco.

Confirmatur. Causam applicari subjecto est prius, quàm ab ipsa formam educi è subjecto: sed Angeli operatio est eductiva motûs localis, aut alterius formæ è subjecto: ergo præsupponit illum esse applicatum & præsentem illi subjecto.

Respondeo distinguendo antecedens. Esse est prius, quàm operari, in linea essendi, concedo, in linea operandi, nego. Etsi enim causæ corporeæ, in quibus applicatio ad locum fit per dimensionem corpoream, prius sint in loco, quàm operentur in illo: hoc tamen in substantia Angeli locum non habet, quæ solam habet quantitatem virtutis.

Ad Confirmationem Respondeo. Causam applicati est prius prioritate naturæ, & in aliquo genere, & quidem causæ materialis, concedo. semper prioritate temporis, vel in omni genere etiam efficientis vel formalis, nego: ergo operatio Angeli præsupponit applicationem in genere causæ materialis, concedo, formalis vel efficientis, nego consequentiam.

Ideo operatio Angeli duo præstat munia inadæquata: primò quòd sit conjunctiva & & applicativa Angeli ad locum; secundò quòd eductiva formæ è subjecto. Juxta primam considerationem præsupponitur in genere causæ materialis sibi ipsi ut acceptæ in posteriori consideratione.

5. Objicies secundò quasdam instantias: Nam primò. Quid agit Angelus in Cœlum Empyreum? Secundò. Quid patitur Asmodæus à deserto superioris Ægypti, ubi fuit ab Angelo Raphaële alligatus? Tertiò. Quid animæ PP. ante Christi passionem patiebantur à limbo, aut in illum operabantur. Quartò. Quid Angeli Custodes semper in & circa suos clientes, quos nunquam relinquunt, operantur? Quintò. Nec ostendi potest, quæ sit operatio, quâ etiam nunc animæ infantum absque baptismo decedentium detinentur in Limbo? Sextò. Quamvis quosdam suos effectus anima Christi in inferno damnatorum reliquerit, non tamen ad illum infernum descendit; non ergo operatio est formalis ratio, cur substantia spiritualis sit in loco.

Respondeo ad 1. Angelis juxta sup. dicta attribui productionem, seu eductionem luminis, quæ operatio est maximè proportionata Cœlo Empyreo.

Ad 2. Respondeo, Asmodæum pati qualitatem alligativam, ne sese liberâ suâ operatione alii transferre possit, modo inferiùs explicando.

Ad 3. Videtur Sanctis illis Spiritibus concedenda operatio saltem perfectiva & illuminativa in illum locum, in quo ante generis humani redemptionem morabantur.

Ad 4. Respondeo. Angelos Custodes ferè formali præsentiâ adesse suis clientibus, quia uti sine assiduâ ferè tum corporis, tum animæ periculo ita sunt assiduæ Angelorum operationes, quibus illa amoliuntur, vel continendo imaginationem, vel excitando rerum bonarum species, vel prohibendo nociva, &c. quòd si aliquando circa clientem suum Angelus nihil operetur, non ideo dicitur illum derelinquere, adest enim illi, non quidem localiter, sed *quantùm ad effectum Custodiæ: quia etiam cùm est in Cœlo, cognoscit, quid circa hominem agatur: nec indiget morâ temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.* inquit S. D. q. 113. a. 6. ad 3.

Ad 5. dico, etiam illas animas qualitate alligativâ in & à suo limbo detineri, non eâ tamen ratione, quâ animæ damnatæ alligantur à rogo infernali. Istæ enim ita alligantur ab igne Tartareo, ut ab illo etiam patiantur violentam subjectionem suarum potentiarum, & impedimentum operationum sibi connaturalium: animæ verò innocentium solùm adstringuntur, ne ad alium locum se determinare possint, absque ejusmodi violenta subjectione potentiarum & operationum connaturalium impedimento.

Ad 6. Respondeo distinguendo consequens: ergo operatio, per quam Angelus operatur solùm secundùm immediationem virtutis (ut anima Christi in inferno damnatorum) non est ratio præsentiæ formalis, concedo, per quam operatur secundùm immediationem tam suppositi, quàm virtutis, nego. Esto enim, quòd Angelus non sit formaliter præsens per suam substantiam, cùm tamen sit præsens secundùm substantiam, illa solùm operatio potest præsentem constituere, quæ ab ipso procedit secundùm immediationem tam suppositi, quàm virtutis.

Objicies tertio. Unum & alterum absurdum. Primò, quòd Angelus omnem operationem suspendens esset nullibi. Secundò, quòd Angelus motor primi mobilis esset in illa tota Sphæra, & sic implere posset universum.

Respondet ad 1. S. D. in 1. dist. 37. q. 3. a. 1. *ad quartum dicendum, quòd hoc non reputo inconveniens, quòd Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec est inconveniens, ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur.* Inquit *Sed hoc tamen non est imaginabile.* Omnino, respondet S. D. *quia imaginatio continuum non transcendit.*

Ad 2.

Ad 2. negatur sequela: quia non omnes partes sphæræ movet immediatè secundùm immediationem suppositi, *nec applicatur virtus ejus, nisi ad id, quod primò ab ipsa movetur.* S. D. hic q. 52. a. 2.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis physica quædam consectanea. 1. Primò. Supposito, quòd in continuo dentur partes divisibiles minores & minores in infinitum, posse Angelum esse in loco minori & minori in infinitum; nec tamen posse esse in loco majori in infinitum. Ratio primi est, quia Angeli operatio transiens potest recipi in quacunque parte divisibili minori & minori in infinitum; sed Angelus ibi est, ubi operatur; ergo.

Ratio secundi est, quia tantum est spatium ab 2. Angelo occupabile, quanta est sphæra activitatis ipsius; sed hæc est limitata; ergo & illud.

Inferes secundò. Perfectiori Angelo respondere majorem; minùs perfecto minorem locum. Ratio est eadem, quia quantò est perfectior Angelus, tantò perfectior est virtus operativa; ergo tantò major Sphæra activitatis, adeoque & locus.

3. Inferes tertiò. Non posse eundem Angelum simul esse in duobus locis (1.) adæquatis; bene autem (2.) in duobus inadæquatis (3.) à se invicem intra Sphæram suæ activitatis distantibus. Ratio primi est: quòd si esset in duobus locis adæquatis, tota virtus activa ipsius esset & non esset exhausta. Esset, quia hoc est ei esse in uno loco adæquato, quod totam virtutem transeunter operativam esse applicatam in tota Sphæra activitatis. Non esset, quia eadem virtus applicaretur alteri loco.

Ratio secundi est, quia quodlibet spatium contentum in Sphæra activitatis Angelicæ est subjectum ipsius liberæ operationi, ut pro suo libitu possit in illo operari vel non operari: poterit ergo in uno & altero spatio operari, nihil agendo in partes medias & interiacentes, quo casu simul erit in pluribus locis inadæquatis. Quod ipsum sæpius contigisse colligitur è S. Script. Cùm Angelus occidit primogenita Ægypti Israëlitas præteriens; cùm cæcitate percussit Sodomitas ab invicem distantes; prostravit exercitum Sennacherib, &c. tunc enim operatio Angeli fuit recepta in partibus à se invicem discretis, atque distantibus.

Ratio tertii potissimùm est, quòd ex oppositio sequeretur, posse Angelum simul esse in cœlo, terra, inferno, aliisque mundi partibus extremè dissitis; da enim Sphæram Angeli continere spatium viginti milliarum, si illius partes pro libitu possit dividere, fiet, ut per unum milliare operetur in cœlo, per alterum in aëre, per tertium in India, per quartum in Germania, & sic simul & semel loca distantissima occupet: atqui hoc est contra stylum S. Scripturæ & SS. PP. è quibus discimus, Angelos à cœlo descendere & moveri in terras.

Inferes quartò. Plures Angelos ne quidem 10. Divinitus posse simul esse in eodem loco adæquato formali; bene autem in eodem materiali. Ratio primi est, quòd juxta fundamenta Thomistica non possit etiam Divinitus idem numero effectus totaliter dependere à pluribus causis adæquatis ejusdem ordinis, quòd sequeretur, si plures Angeli simul essent in eodem loco formali. Ratio secundi est, quòd nihil vetat in eodem subjecto simul & semel à pluribus causis adæquatis recipi specie distinctas operationes; sed hoc est plures Angelos esse in eodem loco materiali. ergo.

Inferes quintò. Unum Angelum non posse 11. esse physicè præsentem in alterius Angeli essentia; quia physicus illapsus & operatio in substantiam Angeli DEO soli convenit, à quo Angelus in suo esse & conservari physicè dependet. Possunt tamen Angeli fieri sibi invicem præsentes vel per accidens ratione corporum, quæ assumunt, aut in quæ agunt; vel secundò morali quâdam præsentiâ, cùm unus alteri loquitur, imperat, alium illuminat, &c.

Inferes sextò. Unum vel plures dæmones in 12. corpore energumeni existere per suam operationem, non tantùm, quâ torquent corpus & membra obsessi, sed etiam quâ coacervant & conservant in ejus corpore fæces ac sordes putolentes, cum quarum ejectione & vomitu plerumque exeunt, quando per exorcismos coguntur. Aliquando etiam in toto corpore, aliquando in uno, alteróve tantùm membro operationem exercent, ibique residunt. Hincmarus in vita S. Remigii testatur, dæmonem à sancto Pontifice expulsum cum ingenti vomitu & fœtore per idem os egressum fuisse, per quod intraverat.

ARTICULUS III.

Quomodo Angeli moveantur localiter.

SUMMARIA.

1. *Quid sit motus continuus & discretus Angeli?*
2. *Angelus non tantùm per accidens, sed etiam per se movetur localiter.*
3. *Probatur motus continuus Angeli.*
4. *Probatur ejusdem motus discretus.*
5. *Motus discretus non requirit transitum medii.*
6. *Ordo situalis mundi non obest motui discreto Angeli.*
7. *Motus discretus Angeli non est medius inter terminos, sed ex illis componitur.*
8. *Disparitas inter transitum à tempore ad tempus, & à loco ad locum.*
9. *Nullus Angeli motus est in instanti.*
10. *Mensuratur tempore vel continuo vel discreto.*
11. *Summa velocitas motûs Angelici.*
12. *Potentia loco motiva Angeli non distinguitur ab ejus intellectu practico.*

§. I.

Exponitur motus continuus Angeli.

QUemadmodum Angelus non nisi metaphoricè & per suam operationem est in loco; ita etiam non aliter movetur, quàm suam virtutem diversis corporibus applicando, & operationem

ab uno loco in alium transferendo. Porrò hoc dupliciter fieri potest; Primo, ut Angelus unum locum totaliter deserat, omnem suam operationem ab illo loco simul, & non per partes auferendo, móxque sine interposita quiete alium locum totum occupet, eidem suam operationem simul & non per partes applicando: & iste motus appellatur *discretus*. Secundò. Ut priorem locum successivè & per partes deserendo incipiat alteri loco suam operationem pari modo applicare, isque motus vocatur *continuus*.

2. Et certũ inprimis est Angelũ non solùm moveri per accidens ratione corporis, quod assumit vel movet; quò modò dæmones obsidentes energumenũ transportantur unà cum corpore obsesso, & anima rationalis per accidens movetur, ad motum sui corporis, quod informat; sed etiam per se & ratione sui. Ita colligitur ex Isai. 14. *quomodo cecidisti de cœlo Lucifer*. Et Luc. 10. *videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem*. Jo. 5. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam*. Ex Symbolo fidei. Anima Christi *descendit ad inferos*. Ratio quoque suffragatur; Angelus tunc per se movetur localiter, quando successivè in diversis locis absque interposita quiete operatur: sed hoc Angelus potest & facit: ergo.

3. CONCLUSIO. I. *Angelus movetur motu locali continuo.*

Ratio est. Angelus cùm per liberam operationem sit in loco, potest per partes successivè uni loco ita subtrahere suam operationem; ut eandem alteri successivè applicet: sed hoc est Angelum moveri continuè: ergo.

Confirmatur primò. Id Angelo convenit in motu locali ratione divisibilitatis virtualis, quod corpori ratione divisibilitatis formalis; sed corpus ratione divisibilitatis formalis movetur continuè: ergo.

Confirmatur secundò. Angelus potest se in quacunque minima parte suæ Sphæræ constituere: ergo potest etiam unam partem post alteram occupare, & relinquere.

§. II.

Exponitur & adstruitur motus discretus Angeli.

4. CONCLUSIO II. *Angelus movetur etiam motu discreto.* Ratio est: moveri motu discreto est Angelum per ultimum sui esse simul relinquere terminum à quo; & per primum sui esse simul occupare terminum ad quem; sed hoc potest Angelus: ergo. minor probatur primò. quia Angelus per liberam operationem est in loco: ergo potest pro lubitu unum locum totum deserere & alium totum simul occupare. Secundò. Angelus est indivisibiliter in loco, totus in toto, & totus in qualibet parte: ergo potest totum simul deserere, & totum simul acquirere. Consequentia probatur. Ideo corpus continuè movetur ad locum, quia est divisibiliter in loco, totum in toto, & secundùm partem in parte loci, ergo ob oppositam rationem Angelo non est necesse continuè moveri.

Neque dicas, continuitatẽ motûs peti ex continuitate spatii, in quo fit motus: hoc enim solùm ordò locum habet in motu corporum, quæ cùm contineantur in loco, etiam subjiciuntur legibus loci; non autem in motu substantiæ spiritualis; hæc quippe cùm magis sit in loco continendo locum, quàm quòd contineatur loco, habeatque virtualem tantùm divisibilitatem, loci corporei legibus non adstringitur.

CONCLUSIO III. Potest Angelus moveri motu discreto ab uno extremo in aliud non transeundo per medium S. D. hîc q. 53. a. 2.

Ratio est: Angelus movetur per applicationem liberam suæ virtutis, independentem à loco corporeo: ergo potest illam applicare aut subtrahere loco, cui vult, aut quando vult: poterit ergo successivè illam applicare partibus extremis, quæ applicet partibus mediis, adeóque movebitur motu discreto ab uno extremo in aliud, quin moveatur per medium.

Confirmatur 1. Actus intellectûs sunt maximè independentes à loci conditionibus: atqui Angelus constituitur in loco per imperium, quod est actus intellectûs practici formaliter immanens & virtualiter transiens: ergo.

Confirmatur 2. Corpus Christi Domini, quia est modo indivisibili in Eucharistia, incipit ibidem esse instantaneè non transeundo per medium; ergo quia Angelus quoque modo indivisibiliter est in loco, potest ibidem incipere esse, non transeundo per medium.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Ordo situalis partium inter quas universo est præfixus à DEO ut supremo agente, & causa universali; ergo neque Angelus poterit illum mutare: mutaret autem, si variaret distantiam versus polos, & centrum mundi, nec tamen attingeret distantiam, quam habent corpora interjecta.

Respondeo. Ordo situalis partium est præscriptus à DEO pro substantia, & causa corporea, concedo, incorporea nego: hæc enim à lege spatii corporei est absoluta.

Objicies secundò. Si Angelus in motu discreto non transiret per spatia intermedia, tunc motus non esset medius inter terminum à quo, & terminum ad quem: sed hoc est contra naturam motûs: ergo. minor probatur. vel enim mobile moveretur, dum est in termino à quo, vel dum est in termino ad quem; non dum est in termino à quo, tunc enim adhuc quiescit, & nondum mutatur; non in termino ad quem, quia ibi jam est mutatum: atqui ante mutatum esse præcedit mutari, quod cùm non possit esse in termino à quo, necessariò est intermedium inter utrumque extremum.

Rr. Distinguendo sequelam majoris, tunc motus discretus non esset medius, concedo, continuus nego. Ratio diversitatis inter utrumque motum est, quòd in motu continuo, motum vel mutatum esse non est pars componens, sed terminus ipsius motûs: unde prius est aliquid moveri, quàm esse motum: atqui in motu discreto motum & mutatum esse est pars ipsius motûs, veluti uni-

cas

tas est pars numeri, & sicut plures unitates coordinatæ constituunt numerum discretum, sic plura indivisibilia mutata esse invicem sibi succedentia, & per intellectum Angelicum tanquam terminus à quo, & ad quem coordinata faciunt motum discretum. Unde in neutro instanti seorsim sumpto, sive in quo prior locus relinquitur, sive in quo posterior locus acquiritur, sed in utroque simul sumpto, & cùm Angelus dicit: adhuc ultimò volo esse in loco A. & cùm dicit, nunc primùm volo esse in loco B. Angelus propriè loquendo movetur, si autem ista duo instantia divisim sumantur, ad summum dici potest, quòd in primo moveatur initiativè, & in secundo consummativè. Ex quibus patet responsio ad probationem minoris: nam major negatur & dicitur, mobile motu discreto moveri in utroque termino simul sumpto. Illud quod additur: ante mutatum esse præcedit mutari, distinguo. in motu continuo, ubi mutatum esse non est pars motûs, concedo, in motu discreto, ubi mutatum esse est pars, nego. ratio patet ex dictis.

1. Objic. tertiò. Non potest Angelus transire de tempore præterito in futurum, quin transeat per tempus præsens: ergo nec poterit transire de loco in locum, quin transeat per spatium intermedium; sicut enim tempus præsens intermediat inter præteritum & futurum, sic spacium intermedium inter 2. loca extrema.

Respondeo primò retorquendo argumentum. nam potest Angelus operari in primo & ultimo horæ quadrante, quin operetur in tempore intermedio: ergo similiter potest operari successivè in loco A, & loco C. quin operetur in intermedio spatio B.

Respondeo secundò negando paritatem: quia Angelum transire ab uno tempore in aliud tempus, nihil est aliud, quàm ipsum modo coëxistere futuro, qui priùs coëxistebat præterito: hoc autem non est in potestate Angeli, ut prout ipse voluerit, coëxistat, vel non coëxistat: sed prout ipsæ partes temporis affluunt, sic ipsis coëxistit. Cùm ergo pars futura temporis non sequatur præteritam, nisi mediante tempore præsenti, necesse est, ut etiam hoc modo Angelus ipsi coëxistat. Econtrà Angelus est, & movetur in & è loco per suam liberam operationem, unde nec est alligatus conditionibus loci materialis, & divisibilis.

§. IV.

Corollaria.

9. INferes ex dictis primò, Angelum nunquam moveri in instanti. Ratio est ex S. D. a. 3. In omni motu est prius & posterius; & quidem motus discretus Angeli includit desitionem intrinsecam in uno, & inceptionem intrinsecam in altero loco; sed in unico instanti non est prius & posterius, neque desitio in uno, ac inceptio intrinseca in altero loco; aliàs Angelus posset naturaliter replicari, atque in eodem instanti simul esse in duobus locis adæquatis: ergo in unico instanti non est motus Angeli.

Dices. Ut materia per generationem transeat à præcedente formâ ad sequentem, sufficit, quòd toto tempore antecedenti fuerit sub forma priori, & in uno instanti incipiat intrinsecè forma subsequens esse in materia, cum desitione extrinseca præcedentis formæ; unde generatio est mutatio instantanea, quæ non mensuratur tempore, sed instanti: ergo pariter ad motum Angeli sufficiet, quòd ipse intrinsecè incipiat esse in novo loco, & toto tempore fuerit in loco priori; ita ut solùm extrinsecè desinat esse in illo, adeóque etiam erit motus instantaneus.

Respondeo, negando consequentiam: quia illa mutatio instantanea generationis v.g. est terminus motûs continui præcedentis; sed motus talis Angeli non est terminus alicujus motûs præcedentis, sed est per seipsum à nullo alio motu dependens, &c. inquit cit. S. D.

10. Inferes secundò. Sicut motus continuus Angeli mensuratur tempore continuo; sic motum discretum mensurari tempore discreto.

Ratio est: quia proportionata & homogenea mensura motûs continuè successivi est tempus continuum è partibus continuatis constans; motûs verò discreti tempus discretum ex instantibus discretis & separatis conflatum. Neque tamen hinc sequitur, quòd possint plura instantia & indivisibilia mathematica nostri temporis sibi invicem immediatè succedere, & aliquam moræ extensionem, ac diuturnitatem efficere: sive enim instans Angelicum, in quo Angelus desinit esse in loco, correspondeat instanti nostri temporis, uti vult Gonet, sive correspondeat instanti Mathematicè indivisibili, semper inter unum instans & alterum, in quo Angelus incipit esse in novo loco, intercedit quies aliqua negativa, cui correspondent partes nostri temporis, ut probabiliter docet Augustinus à V. M. illa etiam quies, cùm dicat simplicem interruptionem in operando, non impedit motum discretum, sed potiùs facit discontinuum, atque discretum.

Cæterùm hoc ipsum tempus Angelicum consistit in operatione primi & perfectissimi Angeli; continuâ, si est continuum; discretâ, si discretum: Primum enim in quolibet genere, cùm sit maximè perfectum & uniforme, solet esse mensura cæterorum. Quòd si primus Angelus cesset ab operatione, alterius Angeli in perfectione propioris operatio cæteras Angelicas operationes mensurabit, ob datam rationem.

11. Inferes tertiò. Summam esse motûs Angelici velocitatem: vel enim Angelus movetur motu discreto, & tunc poterit momento de cœlo in terras venire, si nihil operetur per medium; neque enim spatii interjacentis obstaculo retardatur. Vel movetur motu continuo, & tunc per minutissimam temporis partem suam virtutem applicando & dividendo poterit spatium intra Sphæram suæ activitatis contentum decurrere. Interea licèt quoad motum discretum æqualis sit Angelorum velocitas, non est tamen æqualis quoad motum continuum. Velocitas quippe motûs discreti ipsius convenit propter libertatem & independentiam suæ operationis à loco corporeo, quæ est æqualis in omnibus. At velocitas motûs continui desumitur ex perfectione virtutis activæ, & amplitudine Sphæræ activitatis: sed Angelus perfectior habet majorem Sphæram activitatis: ergo. Demus igitur Angelum minoris perfectionis habere pro Sphæra suæ activitatis 100. milliaria,

eáque intra milleſimam horæ partem poſſe decurrere; poterit Angelus perfectior, qui pro Sphæra activitatis habet 1000. milliaria, eodem temporis ſpatio 1000. milliaria percurrere, atqui ille eſt motus velocior, per quem breviori tempore majus ſpatium pertranſitur: ergo.

12. Inferes quartò. Potentiam executivam ſeu loco motivam Angeli non eſſe diſtinctam ab ipſius intellectu practico.

Ratio eſt primò. Quia motus localis Angeli conſiſtit in operatione intellectûs practici formaliter immanente, & virtualiter tranſeunte: ergo & potentia locomotiva ab intellectu practico non diſtinguitur. Conſequentia patet. Antecedens probatur. Imperium eſt actus intellectûs practici: ſed operatio Angeli, quâ localiter movetur, eſt ipſum imperium. ergo. majorem ſuppono ex Tract. de actibus humanis. minor probatur. operatio Angeli virtualiter tranſiens debet eſſe operatio intellectualis pertinens ad executionem: ſed alia ejuſmodi non eſt aſſignabilis præter imperium: omnis enim alia operatio aut præcedit, aut ſubſequitur actum imperii. Si ſubſequitur, aut eſt actus alicujus virtutis corporeæ, aut applicatio ad ipſum; ſed neutri locus eſt in Angelo. Si præcedit, tunc pertinet ad ordinem intentionis.

Ratio eſt ſecundò: Ratio diſtinguendi in homine potentiam executivam & locomotivam à potentia intellectiva eſt ſpecialis difficultas executionis reſidens in membris corporeis: hæc ceſſat in Angelo: ergo.

Tertiò. Potentia locomotiva diſtincta ab intellectu, pertinet ad gradum vitæ ſenſitivæ; ergo unde exulat vita ſenſitiva, etiam illa proſcribi debet.

DISPUTATIO XXIX.

DE

Medio cognitionis Angelicæ.

Ad q. 54. & ſeq.

EXpoſitis, quæ ad Angeli ſubſtantiam, ſive in ſe ſpectatam, ſive ad corpora & loca comparatam pertinent, procedimus cum S. D. ad conſiderandam primariam ipſius operationem, nempe cognitionem, ubi primò quæ de quidditate q. 54. deinde, quæ de medio ſeu ſpecie q. 55. tractavit, expendemus.

ARTICULUS I.

An Angeli intelligant per ſpecies infuſas?

SUMMARIA.

1. *Intelligere Angeli diſtinctum ab ejus ſubſtantia.*
2. *Item ab ejus eſſe.*
3. *Intellectus quoque Angeli diſtinguitur ab ejus eſſentia.*
4. *Non diſtinguuntur in Angelo intellectus agens & patiens.*
5. *Angelus neceſſariò habet ſpecies intelligibiles ſuæ eſſentiæ ſuperadditas.*
6. *Non ab objectis acceptas.*
7. *Sed initio ſuæ creationis infuſas.*
8. *Subſtantia Angelica eſt adhuc incompleta ad cognitionem omnis entis.*
9. *Formare ſpecies eſt perfectio cum imperfectione.*
10. *Diſparitas inter objecta ſenſibilia & intelligibilia.*
11. *Non ſequuntur ex infuſis ſpeciebus infinitæ ſpecies.*
12. *Cognitio ſecretorum & contingentium dependet à certis conditionibus.*
13. *Iſtæ ſpecies non ſunt Angelicæ proprietates:*
14. *Quamvis dici poſſint connaturales.*

§. I.

Quidditas tum intellectûs, tum cognitionis Angelicæ.

1. SUppono primò. Intelligere Angeli realiter diſtingui ab ejus ſubſtantia. Ut habet S. D. q. 54. a. 1. Ratio eſt primò: quòd ſi intelligere eſſet ſubſtantia Angeli, Angelus eſſet actus purus: hoc implicat: ergo. Sequela probatur. Intelligere ſecundùm ſe dicit puriſſimam actualitatem: ergo ſi Angeli ſubſtantia eſt ſuum intelligere, eſt actus purus.

Ratio eſt ſecundò. Angelus non eſt ſuum eſſe; ergo nec ſuum intelligere. Conſequentia probatur. Tum quia intelligere eſt actualitas purior, aut æquè pura, quàm eſſe; tum quia intelligere plùs diſtat à ſubſtantia Angeli, quàm eſſe, eſtque poſterius, quàm eſſe.

Suppono ſecundò, quòd intelligere Angeli non ſit ejus eſſe. S. D. a. 2. Ratio eſt primò. Eſſe Angeli, ut cujuslibet creaturæ, eſt determinatum ad unum, nempe ad certam eſſentiam; intelligere eſt indeterminatum, & indifferens ad infinita objecta, formaſque repræſentandas; ergo non ſunt idem. Secundò. Angelus mutat ſuas intellectiones, non mutat ſuum eſſe; ergo diſtinguuntur. Tertiò. Viſio beatifica eſt perfectiſſima intellectio Angeli; nec tamen eſt ejus eſſe: ergo nec alia intellectio.

Suppono tertiò. Intellectum Angeli diſtingui ab eius ſubſtantia. S. D. a. 3. Sequitur ex priori concluſione: Illæ potentiæ realiter diſtinguuntur, quarum actus adæquati realiter diſtinguuntur; ſed eſſe, quod eſt actus adæquatus eſſentiæ, in Ange-

Angelo realiter distinguitur ab intelligere, quod est actus adæquatus potentiæ intellectivæ: ergo etiam essentia & intellectus realiter distinguuntur.

4. Suppono quarto. In Angelo non esse distinctionem intellectûs agentis & patientis. S. D. hîc a. 4. Ratio est: ubi intellectio non fit per conversionem ad phantasmata, ibi non est necessitas & ratio ponendi intellectum patientem & agentem; sed intellectio Angelorum hoc modo non fit: ergo.

§. II.

Adstruuntur species infusæ.

5. CONCLUSIO I. *Angelus ad cognoscenda objecta a se distincta indiget speciebus suæ essentiæ superadditis.* S. D. hîc q. 55. a. 1. Ratio est. Ut Angelus cognoscat objecta à se distincta, debent illa intra ipsius intellectum fieri intentionaliter præsentia vel per seipsa, vel per suam essentiam, vel per species distinctas & superadditas. Non primum; nullum enim objectum præter DEUM, ipsamque Angeli substantiam ipsius intellectui unitur aut illabitur. Non secundum: ut enim Angeli substantia alia omnia objecta per modum imaginis repræsentaret, deberet illa in se continere, quemadmodum Divina essentia ideo alia à se per modum causæ exemplaris, & ideæ repræsentat, quia illa in se eminenter continet: atqui essentia Angelica alia à se continere nec formaliter nec eminenter potest. Non formaliter, cùm per propriam formalem differentiam ab omni alio sit distincta. Non eminenter, quia non nisi Ens primum & illimitatum est ratio & causa superior, in qua rerum differentiæ primò diversæ continentur.

6. CONCLUSIO II. Non tamen illæ species possunt ab ipsis objectis esse acceptæ. Veluti docet S. D. a. 2. ex D. Dionysio c. 7. de Divi. Nomin. dicente: *Angeli non congregant Divinam cognitionem à rebus divisibilibus & sensibilibus.*

Ratio est: quòd si Angelus acciperet Speciem ab objecto, id fieret, vel quia ipse intellectus Angeli speciem produceret, & abstraheret ab objecto; quemadmodum fit ab intellectu agente hominis. Vel quia species produceretur ab objecto, quemadmodum objecta sensibilia sui species immittunt in sensum. Neutrum potest dici. Non primum, quia, ut patet in cognitione animæ rationalis, quòd intellectus agens producat hujus determinati objecti speciem, causa est, quia per præviam sensibilem cognitionem phantasiæ objectivè determinatur, ut hujus potiùs, quàm alterius objecti speciem à phantasmate abstrahat. Hoc autem in Angelo locum non invenit. Non secundum, aut enim objectum est spirituale, aut materiale. Si materiale, non potest producere speciem spiritualem, qualem requirit intellectus Angelicus. Si spirituale, tunc deberet speciem educere ex intellectu ipsius Angeli, sed hoc non potest; operari quippe in substantiam & intellectum Angeli illi soli in solidum convenit, quæ intra ejus terminos illabitur, suâque virtute creativâ conservat DEUS solus.

7. Habet ergo species à DEO in primordio creationis infusas; veluti significatur Ezech. 28. ubi juxta PP. interpretationem sub figura Regis Tyrii de Lucifero dicitur: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradisi DEI fuisti à die conditionis tuæ.* Plenitudo verò decoris & sapientiæ includit perfectum apparatum specierum intelligibilium, rerum omnium naturas particulatim repræsentantium.

Ratio quoque (præter alterius qualiscunque modi repugnantiam primùm ostensam) ex S. D. est primò. Modus operandi sequitur modum essendi: ergo cùm Angelus à primordio suæ creationis simul obtineat omnem perfectionem pertinentem ad modum essendi, eodem modo habebit omnem perfectionem pertinentem ad modum operandi. Secundò. Intellectus comparatur ad formam intelligibilem, sicuti potentia physica ad formam spiritualem; sed substantiæ supremæ in ordine substantiæ corporeæ, nempe corpora cælestia habent ab initio creationis potentiam totaliter expletam per formam substantialem; ergo etiam substantia suprema in ordine intellectuali habet à primo instanti suæ creationis potentiam intellectivam totaliter expletam per formas intelligibiles, h. e. species.

§. III.

Solvuntur objectiones.

8. OBjicies primò: Substantia radicaliter intellectiva totius entis non potest comprehensivè cognosci, nisi cognoscatur omne ens tanquam terminus illius intellectivitatis: sed Angelus per suam substantiam cognoscit eandem substantiam, tanquam radicaliter intellectivam omnis entis; ergo etiam per suam substantiam absque specie superaddita cognoscit omne ens.

Respondeo, negando majorem; cùm enim substantia radicaliter intellectiva omnis entis, sit adhuc proximè incompleta in ordine ad quodlibet objectum in particulari, idcirco ipsâ comprehensâ non sequitur comprehendi omne ens distinctè in particulari, sed tantùm in confuso sub communi ratione entis. Aliàs sequeretur, quòd sicut Angelus se ipsum semper actu, & naturaliter comprehendit; sic etiam semper esset in actu cognoscendi omne ens possibile.

9. Objicies secundò. Perfectio, quæ convenit intelligenti inferiori, non debet denegari intelligenti superiori: sed species rerum habere à se productas est quædam perfectio intellectûs humani: ergo hæc perfectio non debet denegari intelligentiis Angelicis.

Respondeo distinguendo majorem. Si sit perfectio simpliciter talis, concedo, si sit perfectio secundùm quid, h. e. habens admixtam imperfectionem provenientem ex conditione talis naturæ, nego majorem: sed habere species à se productas est quædam perfectio secundùm quid, cum admixtâ imperfectione sensitivæ cognitionis ex conditione unionis cum corpore, concedo, perfectio simpliciter talis proveniens ex natura intellectionis ut sic, nego minorem & conseq.

Sed dices: Sequeretur saltem Angelicum intellectum fore imperfectiorem humano, supposito, quòd DEUS nullas species ipsi infunderet, vel infusas auferret: in hac quippe hypothesi, posset intellectus humanus propriis viribus aliquorum objectorum species, hisq; mediantibus eorum cognitionem comparare, quod non posset intellectus Angelicus. Respon-

Respondeo in illa hypothesi intellectum Angelicum fore secundùm quid imperfectiorem, quòd actu careret speciebus alia à se repræsentantibus; simpliciter tamen perfectiorem, quia & seipsum modo longè perfectiori cognosceret, & haberet radicalem inclinationem ac capacitatem ad habendas species longè perfectiores, quàm conveniat naturæ humanæ.

10. Objicies tertiò. Objecta sensibilia habent efficaciam ex se diffundendi species sensibiles: ergo etiam objecta intelligibilia habent efficaciam ex se diffundendi species intelligibiles in intellectum Angelicum.

Respondeo negando paritatem. Nam potentia sensitiva ceu materialis, sicut ab agente materiali fuit producta, ita etiam subest activitati objecti sensibilis materialis, adeóque per eductionem specierum sensibilium ab eodem immutari potest: at intellectus spiritualis Angeli, sicut consequitur actionem creativam DEI, ita à nullo extrinseco agente quàm DEO se patitur immutari.

11. Objicies quartò. Sequeretur primò. Angelum habere fermè infinitas species, cùm ejus cognitio versetur circa objecta propemodum infinita. Secundò. Angelum naturaliter cognoscere futura contingentia & secreta cordium; ea quippe naturaliter cognoscit, quorum inditas habet Species naturales; sed habet etiam istorum objectorum species inditas: ergo.

Respondeo ad 1. plura objecta Angelo per unam speciem repræsentari v. g. omnia individua Leonum per unam speciem repræsentativam totius naturæ Leoninæ, &c. unde non sequitur illatum.

12. Respondeo ad 2. negatâ utrâque sequelâ distinguendo majorem probationis: eorum habet naturalem cognitionem, quorum habet species, si adsint conditiones ad objecta in actu secundo repræsentanda, concedo, secùs, nego. quales autem sint illæ conditiones constabit ex disput. seq.

§. IV.

Corollaria.

13. Inferes primò. Species Angelicas non fluere ad instar proprietatum ex Angeli essentia: ita colligitur ex verbis Doctoris Angelici infr. q. 89 a. 1. ad 3. & a. 3. *in C.* dicentis: istas species esse *ex influentia Divini luminis participatas* & infusas.

Ratio est primò. Quælibet essentia est ab intrinseco determinata ad suas proprietates: sed Angelus non est ab intrinseco determinatus ad suas species: ergo illæ non sê habent ut proprietates. Minor probatur. Angelus non est magis determinatus ad species, quàm ad cognitionem objectorum, siquidem species, ut essentialiter imago sui objecti, deservit cognitioni, & datur propter ipsam; atqui Angelus non est ab intrinseco determinatus ad cognitionem horum objectorum: cùm objecta sint à DEO liberè posita, destruibilia, & multiplicabilia in infinitum: unde quòd Angeli habeant cognitionem, & specierum omnium in hoc mundo existentium, provenit ex suppositione liberi decreti, quo DEUS voluit condere hoc universum, tot talibusque speciebus instructum, in eóque Angelos collocare: quòd si vel extra omne Universum, vel in alio mundo Angelos condidisset, etiam istorum objectorum species non accepissent. Nec proindè species rectè dicuntur proprietates Angelicæ, cùm proprietas essentiæ necessariò, inseparabiliter, & ab intrinseco competat.

Secundò. Proprietates se tenent ex parte essentiæ, ex qua tanquam principio emanativo resultant; econtrà species intelligibiles tenent se ex parte objecti, & ad essentiam seu intellectum Angeli tanquam ad potentiam purè passivam, & ideò actuabilem comparantur, non igitur sunt ipsius proprietates.

Inferes secundò. Species tamen rectè dici connaturales Angelo: non quia ab essentia Angeli fluunt, ceu à principio emanativo; sed potiùs quidem, quia perficiunt intellectum Angelum, tanquam potentiam passivam à se connaturaliter perfectibilem; Secundò, quia à DEO infunduntur juxta intrinsecam exigentiam naturæ Angelicæ, quæ propter suam summam perfectionem petit, ut intellectivæ potentiæ capacitas ab initio creationis sit per formas intelligibiles simul expletæ & in actu primo completa. Quæ objiciuntur, ea via sunt, & à Philosophis in Tract. de anima plerùm solvuntur.

ARTICULUS II.

An perfectior Angelus habeat Species universaliores?

SUMMARIA.

1. *Notio universalitatis in specie intelligibili.*
2. *Ejus possibilitas ostenditur.*
3. *Talis species dicit perfectionem.*
4. *Angelus intelligit per species universales.*
5. *Perfectior per universaliores.*
6. *Universalitas in essendo est imperfectio.*
7. *Non sequitur, quòd Angelus omnia possit cognoscere per suam substantiam.*
8. *Species intelligibilis sumit unitatem ab objecto in esse objecti.*
9. *Quid dicendum in casu, quo DEUS crearet inferiores Angelos?*

§. I.

Exponitur universalitas Speciei.

Non loquimur de universalitate cognitionis ex parte objecti, & naturæ cognitæ, per quam natura communis à suis inferioribus præcisa cognoscitur, ideóque universalis in essendo denominatur: sed de universalitate cognitionis ex parte medii cognoscendi, sive speciei, per quam una eadémque species plura objecta, & quidditates specificas secundùm ultimas earum differentias clarè & distinctè objicit cognitioni, ideóque dicitur universalis in repræsentando. De-

De hac ſpecie univerſali ſuppono primò. Illam eſſe probabilem & poſſibilem in intellectu creato. Et primò, quia nulla oſtendi poteſt repugnantia, ut fatetur Herinx diſp. 3. q. 3. idque ex ſolutione objectionum conſtabit. Secundò, quia plures virtutes cauſarum poſſunt uniri in una virtute cauſæ ſuperioris, quæ proinde dicitur univerſalis in cauſando: cur ergo non etiam plures virtutes in eſſe intelligibili, h. e. ſpecies intentionales in ſpecie ſuperiori? Tertiò. Poteſt Divina eſſentia participari in eſſe intelligibili: ergo etiam in modo intelligendi; ſed modus intelligendi Divinus eſt, univerſaliter omnia objecta cognoſcere per unicam ſpeciem ſuæ Divinæ eſſentiæ: ergo. Quartò. Poteſt idea artificis, item unicus actus viſionis & cognitionis ſimul exhibere ferrum, ligna, lapides; idem ſigillum ſeu figura ceræ impreſſa leonem, equum, &c. ergo poteſt unica ſpecies intentionalis plura objecta ſpecificè diſtincta in eſſe repræſentativo adunare.

3. Suppono ſecundò. Univerſalitatem in repræſentando dicere perfectionem, ut quantò major eſt univerſalitas, tantò major ſit perfectio ſpeciei & cognitionis; quia quantò modus cognoſcendi eſt actualior, & plus participat de Divino & perfectiſſimo modo intelligendi, tantò eſt perfectior; ſed modus intelligendi per ſpecies univerſaliores, eſt actualior, plúsque participat de Divino modo cognoſcendi, ut modò dictum: ergo. Unde etiam habet diſcrimen, cur naturam univerſaliter cognoſcere univerſalitate in eſſendo, & ex parte objecti dicat imperfectionem, non autem univerſalitate in repræſentando & ex parte medii. Illa nempe cognitio inferiora non niſi confuſè in aliqua ſuperiori ratione attingit, iſta verò ultimas rerum cognitarum differentias non in una ratione objectivè abſtracta, ſed ſub una ſimplici ſpecie, & modo repræſentandi clarè ac diſtinctè penetrat. His poſitis.

§. II.

Aſſeritur univerſalitas ſpecierum major in Angelo perfectiori.

4. CONCLUSIO. *Angelus intelligit per ſpecies univerſales, & perfectior per magis univerſales.* Ita S. D. hîc a. 3. allegans Dionyſium Hierarch. c. 12. dicentem: *Angeli ſuperiores participant ſcientiam magis in univerſali, quàm inferiores.*

Prima pars probatur primò. Subſtantia intellectualis perfectior gaudet perfectiori modo intelligendi; ſed Angelus eſt ſubſtantia intellectualis ordinis ſublimioris, quàm homo; ergo gaudet perfectiori modo intelligendi quàm homo. Cùm igitur Angelus medius ſit inter DEUM & hominem, quorum ille omnia per unam ſpeciem univerſaliſſimè, iſte verò per particulares rationes particulatim cuncta cognoſcit, intelliget per plures quidem ſpecies, univerſales tamen in repræſentando, ideóque humanis nobiliores.

Probatur ſecundò. Ratio, quòd intellectus humanus quidditates rerum per ſpecies particulares intelligit, eſt, quia iſtas à rebus accipit; ſed ſpecies Angelicæ ſunt infuſæ, à Divina eſſentia derivatæ, non à rebus acceptæ; non ergo ſunt particulares.

Probatur tertiò. Quæ ſunt diviſa & diſperſa in inferioribus, reperiuntur adunata in ſuperioribus (ita cauſæ ſuperiores unitim continent virtutes cauſarum inferiorum) ergo objecta, quæ diviſim repræſentantur in ſpecie intelligentis inferioris, magis unitim repræſentantur in ſpecie intelligentis ſuperioris.

Secunda pars ſequitur ex præcedenti. Cùm enim 5. univerſalitas ſpeciei ſit adnexa perfectioni intellectûs Angelici, major perfectio requiret majorem univerſalitatem. & Confirmatur. Quantò Angelus eſt perfectior, tantò eſt ſimilior & propior actui puro, ac proinde tantò plus participat de perfectione ac modo Divino intelligendi: atqui tantò plus participat de Divino modo intelligendi, quanto ſpecies eſt univerſalior: ergo. Quæ rationes contra Nazarium probant, non ſolùm quemlibet Angelum in ſuperiori Hierarchia vel ordine, ſed etiam in ſuperiori ſpecie infimâ conſtitutum, habere ſpeciem univerſaliorem, quàm habeat Angelus inferioris naturæ.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. Naturam univerſaliter cognoſcere, eſt illam confuſè & imperfectè cognoſcere: ſed per ſpecies univerſales natura cognoſceretur univerſaliter: ergo cognoſceretur confuſè & imperfectè. 6.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Naturam cognoſcere univerſaliter ſecundùm univerſalitatem in eſſendo, & univerſalitate tenente ſe ex parte naturæ cognitæ, eſt imperfectè cognoſcere, concedo, cognoſcere univerſaliter univerſalitate in repræſentando, & univerſalitate tenente ſe ex parte medii, nego majorem & pariter diſtinctâ minore, nego conſequentiam.

Objic. ſecundò. Sequeretur, quòd poſſet creari Angelus, qui omnes creaturas intelligeret per ſuammet ſubſtantiam, quod repugnat noſtræ doctrinæ. Sequela probatur. Ponamus ſupremum Angelum omnes inferiores creaturas cognoſcere per unicam ſpeciem (neque enim ſuppoſitâ univerſalitate ſpecierum ulla eſt repugnantia, imò veriſimile eſt, ita de facto contingere) hoc poſito, ſi DEUS crearet Angelum adhuc nobiliorem, ut poteſt, tunc ille deberet creaturas ſeſe inferiores per ſuammet ſubſtantiam cognoſcere; aliàs quippe in perfectione modóque cognoſcendi non excelleret Angelum immediatè inferiorem: ſiquidem non haberet ſimpliciorem & perfectiorem modum cognoſcendi, quàm habet Angelus inferior. 7.

Reſpondeo negando ſequelam. Quia ſi DEUS crearet Angelum adhuc ſuperiorem ſupremo Angelo omnia inferiora per unam ſpeciem cognoſcente, tunc infunderet Angelo inferiori novam ſpeciem, quâ illum aperiorem cognoſceret, ac proinde haberet duas ſpecies accidentales; unam, quâ illum Angelum ſuperiorem; & alteram, per quam omnia inferiora cognoſceret. Superior verò Angelus de novo conditus per unicam ſpeciem infuſam, adeóque ſimpliciùs & univerſaliùs cuncta inferiora cognoſceret.

Objic. tertiò. Una ſpecies non poteſt repræſentare plures quidditates ſpecificas; ergo non 8.

potest esse universalis. Antecedens probatur. Species per se ordinata ad repræsentandum objectum sumit suam unitatem ab objecto: sed plures quidditates specificæ non habent inter se unitatem: ergo neque per unam speciem possunt repræsentari.

Respondeo negando antecedens, & majorem probationis distinguo. Species sumit unitatem ab objecto considerato in esse objecti, concedo, in esse rei, nego. & pariter distinctâ minore, nego consequentiam. Illud autem esse objecti, sub quo plures quidditates conveniunt & attinguntur ab una specie, est probabiliter earundem convenientia sub certa habitudine ad aliquem finem, vel ad ideas Divinas, à quibus Angelicæ species causantur & exemplantur.

9. Objic. quartò. Ponamus, quòd infimus Angelus per unicam speciem cognoscat 100. quidditates specie distinctas, tunc sequeretur, quòd DEUS crearet 1000. inferiores Angelos, millenus ex istis, quamlibet illarum quidditatum cognosceret ad minimum per 10. species; sed hoc repugnat apertè conclusioni: ergo.

Respondeo negando sequelam. Nam est probile, quòd quilibet Angelus omnes quidditates corporeas cognoscat per unicam speciem, ita ut diversitas universalitatis in speciebus Angelicis tantùm reperiatur in comparatione ad cognitionem mutuam Angelorum. Unde in isto casu possent inferiores Angeli habere æqualem universalitatem respectu corporearum quidditatum, in tamen, ut esset diversitas universalitatis respectu spiritualium & Angelicarum quidditatum.

DISPUTATIO XXX.

DE

Obiecto cognitionis Angelicæ.

Ad q. 56. & 57.

CUm intelligibilitas sit entis proprietas, cum illo convertibilis, ideo sicut aliud genus entis est materiale, aliud immateriale, ita pariter obiectum cognitionis Angelicæ, aliud est immateriale, aliud materiale; & de illo D. Th. agit q. 56. de isto q. 57. Nos in præsenti disputatione de utroque.

ARTICULUS I.

Quomodo Angelus intelligat seipsum?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Angelus cognoscit se per suam substantiam ceu speciem impressam.*
3. *Non autem tanquam per speciem expressam.*
4. *Essentia Angeli respectu sui intellectûs non est prior & posterior in eodem proximo genere causæ.*
5. *Potest substantia esse immediatè operativa per modum complementi potentiæ in ordine intelligibili.*
6. *Non semper species intelligibilis subordinatur intellectui.*
7. *Substantia Angeli non est immediatè intellecta in actu.*
8. *Etiam anima separata se per seipsam intelligit.*
9. *Angelus per suam substantiam cognoscit suas operationes, species & proprietates.*

§. I.

An Angelus seipsum intelligat per suam substantiam tanquam speciem impressam vel expressam?

1. CUm Angelo non possit aliquod objectum esse connaturalius seipso, certum est, quòd Angelus cognoscat seipsum. Dubium porrò est, an ad ejusmodi cognitionem indigeat specie accidentali suæ substantiæ superadditâ, sive in actu primo, ut Vasquio placuit, sive in actu secundo, ut Gonet cum communi Thomistarum; vel utrùm ad utrumque munus tam impressæ, quàm expressæ speciei, Angelo sua substantia sufficiat; quo modo essentiam Divinam ad beatificam visionem concurrere dictum est in Tract. de visione: quòd Cajetano & Nazario probabile visum est.

CONCLUSIO I. *Angelus ad sui cognitionem non indiget specie impressâ accidentali suæ substantiæ superadditâ.* S. D. hîc. a. 1. Ratio est. Essentia Angeli habet omnia requisita, ut sit per seipsam intelligibilis in actu primo: ergo omnis alia species impressa est superflua. Consequentia patet. Officium quippe speciei impressæ est ut sit vicaria objecti, cùm objectum seipso intellectui debitè præsens & unitum esse non possit. Antecedens probatur. Substantia Angeli est in eodem immaterialitatis gradu cum ejus intellectu, est intimè eidem præsens, & unita, siquidem intellectus in illa physicè radicatur; sed hæc sunt requisita, ut objectum sit proximè intelligibile in actu primo: ergo.

CONCLUSIO II. *Angeli substantia non potest seipsâ habere rationem verbi seu speciei expressæ: sed ad hoc necessariò requiritur species accidentalis.* Ratio est. Esse speciei expressæ est esse objecti intellectum in actu: sed esse intellectum in actu est Angelo accidentale; ergo etiam species expressa est ipsi accidentalis. Minor probatur. Si esse intellectum in actu esset Angelo substantiale Angelo

gelus esset suum intelligere, & actus purus; sicuti propterea Divina essentia est suum intelligere & actus purus: sed hoc implicat: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. Objicies primò. Si essentia Angeli haberet per se ipsam rationem speciei & formæ intelligibilis: tunc in eodem genere causæ esset prior & posterior, potentia & actus: consequens est absurdum. ergo. Sequela probatur. Species intelligibilis in genere causæ formalis actuat, & complet intellectum, & essentia in genere causæ formalis actuatur ab intellectu, ceu subjectum ab accidente & essentia à proprietate: ergo si essentia Angeli simul est species intelligibilis, tunc simul in eodem genere causæ formalis actuat, & actuatur, estque proinde seipsâ prior & posterior.

Respondeo distinguendo sequelam. Esset in eodem genere causæ remoto potentia & actus, concedo, proximo, nego. & ad probationem. Species in genere causæ formalis intelligibilis actuat potentiam, concedo, causæ formalis naturalis, nego: ergo essentia Angeli simul actuat in genere causæ formalis intelligibilis, & actuatur in genere causæ formalis naturalis, concedo, secùs, nego minorem & consequentiam.

5. Objicies secundò. Sequeretur, quòd aliqua substantia creata esset immediatè operativa: nam species est principium etiam effectivum cognitionis: sed ipsamet substantia Angeli esset species: ergo ipsa substantia Angeli nullo altero mediante foret effectiva intellectionis.

Respondeo distinguendo sequelam. Aliqua substantia esset immediatè operativa per modum complementi ipsius potentiæ, & in ordine intelligibili, concedo, per modum potentiæ, & in ordine entitativo, nego. Ratio responsionis est, quòd ultima actualitas formæ intelligibilis sit intelligere, sicut actus adæquatus essentiæ, est esse. Unde cùm substantia Angeli simul sit forma intelligibilis, pro suo actu adæquato in genere intelligibili respicit intellectionem, nec proinde prohibetur, quin saltem per modum complementi ad intellectionem immediatè concurrat: in ordine verò entitativo essentia pro actu adæquato non respicit intelligere, sed esse: & sic substantia Angeli pro principio Physicè elicitivo intellectionis requirit distinctam potentiam intellectivam. Nam esto, quòd substantia Angelica in eodem genere remoto causæ formalis esset simul actuans & actuata, esset tamen actuans solùm in genere proximo causæ formalis intelligibilis; esset verò actuata per intellectum duntaxat in genere proximo causæ formalis naturalis, quod nullam habet repugnantiam. Ita S. D. q. 8. de ver. a. 6. ad 2. *Essentia Angeli, quamvis non possit comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in essendo; comparatur tamen ad ipsum ut actus ad potentiam in intelligendo.*

6. Objicies tertiò. Species intelligibilis tanquam principium quo intelligendi subordinatur intellectui in ordine ad producendam cognitionem: sed substantia Angeli non subordinatur suo intellectui: aliàs quippe præpostero modo substantia subordinaretur accidentibus: ergo substantia Angeli non est species intelligibilis ipsius.

Respondeo vel negando vel distinguendo majorem. Subordinatur intellectui, quando ab ipso dependet in esse & sustentari, concedo, secùs, nego. atqui Angeli substantia in esse & conservari non dependet ab intellectu, sed è converso intellectus ab ipsa.

7. Objicies quartò. Angeli substantia est etiam semper intellectiva in actu secundo: ergo non est ratio, cur non etiam possit habere rationem speciei expressæ. Antecedens probatur. Quia ut jam dicetur, Angelus semper est in actu respectu suæ cognitionis.

Respondeo. Est semper intellectiva in actu secundo, qui sit actus immediatus suæmet essentiæ, nego. sic enim etiam foret suum esse, & actus purus, quod implicat; qui sit actus immediatus distinctæ & accidentalis cognitionis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

§. III.

Corollaria.

8. Colliges primò. Quòd anima rationalis in statu separationis constituta non indigeat specie accidentali impressâ, sed sibiipsi sufficiat ad sui cognitionem: cùm enim sit substantia immaterialis, & forma intelligibilis, remoto impedimento corporei vinculi (quo in præsenti vita adstringitur, ut tam sui, quàm aliorum objectorum accipiat cognitionem per conversionem ad phantasmata) ex iisdem rationibus sibi sufficit ad munus speciei impressæ, ex quibus Angeli essentiam sufficere diximus.

9. Colliges secundò. Angelos per suam essentiam cognoscere suas proprietates, operationes & accidentia connaturalia. Ratio est; cognitio perfecta & comprehensiva Angeli requirit speciem perfectam & comprehensivam, quæ repræsenret effectus in causis, sed Angelus per suam essentiam comprehensivè cognoscit seipsum: ergo essentia Angeli etiam repræsentat omnes suos effectus, qui in ipsa radicantur, aut in ipsa continentur; sed ejusmodi effectus sunt Angeli proprietates, quæ ab essentia promanant; operationes, quarum essentia est radicale principium; accidentia quoque connaturaliter debita veluti species infusæ; nam & ista, sicut esse, ita etiam intelligibilitatem suam in & à substantia habent, in qua continentur. major probatur. Cognitio, quæ sit per species seorsim repræsentantes causam & effectum, fit componendo & discurrendo, ut infrà dicetur; ergo non cognoscit per species divisim repræsentantes causam & effectum, substantiam & accidentia.

Confirmatur. Si species Angelicæ non viderentur per ipsam essentiam, vel cognoscerentur per se ipsas, vel per species superadditas: neutrum potest dici: non quòd per seipsas, quia sic non essent species incognitæ; non per alias species, quia hinc sequeretur processus in infinitum: nam & istæ species indigerent aliis speciebus, cùm non sit major ratio de una, quàm de altera.

ARTICULUS II.

Quomodo Angeli DEUM cognoscant?

SUMMARIA.

1. *Angelus cognoscit DEVM per suam substantiam tanquam per imaginem.*
2. *Non verò tanquam per speciem intelligibilem*
3. *Cùm sit medium cognitum.*
4. *Paritas de cognitione alterius Angeli.*
5. *Instantia de cognitione DEI in substantia superioris Angeli.*
6. *Instantia de visione creaturarum in Divina essentia.*
7. *Oppositæ Authoritas D. Thomæ.*
8. *Exponitur de similitudine objectiva.*

§. I.

An Angelus per suam substantiam tanquam per speciem DEUM cognoscat?

1. CErtissimum est, non tantùm supernaturali, sed etiam naturali cognitione admodum perfectâ DEUM ab Angelis cognosci, quæ tamen non sit intuitiva per propriam & quidditativam speciem, qualem in creata visione implicare dixi in Tract. de visione; sed abstractiva & per speciem alienam, & quidem per propriam substantiam, non tantùm prout est effectus Divinæ omnipotentiæ, quo modo omnis alia quoque creatura deducit in cognitionem DEI, sed etiam prout habet rationem imaginis. Ex quo postremo oritur dubitatio, utrùm substantia Angeli habens rationem imaginis, DEUM repræsentet per modum speciei intelligibilis & medii incogniti, vel per modum similitudinis objectivæ, & medii cogniti? Priorem partem Gonet, posteriorem Ysambertus cum aliis amplectitur. Sitque.

2. CONCLUSIO. *Angelus cognoscit DEVM per suam substantiam, non tanquam per speciem intelligibilem; sed similitudinem objectivam, & medium cognitum.*

Probatur primò. Ex S. D. hîc a. 3. in C. ubi dicit: quòd ista cognitio, quâ Angelus DEUM cognoscit, *magis teneat se cum notitia speculari*: sed cognitio specularis est cognitio objecti in alio tanquam medio cognito: ergo ad mentem S. D. cognitio, quâ DEUS per suam substantiam cognoscit DEUM, magis est tanquam per speculum, & in medio cognito, quàm per speciem intelligibilem, & per medium incognitum: magis, inquam, neque enim inficiamur, hanc cognitionem aliquid participare de modo cognoscendi per speciem intelligibilem, in quantum nempe substantia Angeli est quædam similitudo & imago DEI.

3. Probatur secundò ratione. Medium cognitum non est species intelligibilis, sed ad summum objectiva similitudo rei cognitæ (ut supp. ex dictis de Visione DEI) atqui essentia Angeli respectu DEI est medium cognitum: ergo, minor probatur. Objectum primarium est priùs naturâ cognitum, quàm objectum secundarium: atqui essentia Angeli respectu suæ connaturalis cognitionis est objectum primarium, DEUS verò secundarium: ergo Angelus priùs naturâ cognoscit suam essentiam, quàm DEUM. Minor præterquam quòd admittitur ab Adversariis, indeliquet, quia quæ per se primò sunt instituta ad essendum, priùs repræsentant seipsa & suum esse, deinde ratione sui attingunt illa, quæ habent connexionem cum sua essentia & esse: atqui essentia Angeli per se primò ordinatur ad esse: ergo.

Confirmatur primò. Angelus habet majorem similitudinem cum altero Angelo, quàm cum DEO, non ideo tamen cognoscit alterum Angelum per suam substantiam ceu speciem intelligibilem; ergo etiam ex hoc, quòd substantia Angeli sit quædam similitudo & imago DEI, non sequitur, quòd etiam sit species intelligibilis ipsius.

Neque dicas. Disparitatem esse, quòd Angeli essentia non procedat ab altero Angelo, quod tamen ad rationem imaginis requiritur: atque essentia Angeli procedit à DEO, ideóque habet rationem imaginis intelligibilis ipsius DEI.

Nam contrà est primò: quòd species intelligibiles Angelorum non procedant ab objectis, quorum sunt species, quia sunt infusæ. Contra est secundò, quòd ratio imaginis salvatur etiam in similitudine objectiva, & medio cognito, veluti cùm Cæsar in sua imagine cognoscitur, ex quo non rectè infertur, quòd illa imago sit species intelligibilis: adeóque

Confirmatur secundò. Angelus DEUM in substantia superioris Angeli perfectiùs cognoscit, quàm in sua; quia superior Angelus est perfectior imago DEI, sed in illius substantia cognoscit, quam in medio cognito: ergo etiam in sua substantia.

Confirmatur tertiò. Creaturæ videntur in Divina essentia, tanquam in medio cognito: ergo etiam Divina essentia in substantia Angeli sic videtur. Consequentia probatur. Sicut enim Divina essentia est primarium objectum, & creatura secundarium respectu suæ cognitionis, sic essentia Angeli est objectum primarium, DEUS verò secundarium respectu Angelicæ cognitionis.

§. II.

Respondetur ad fundamentum sententiæ oppositæ.

FUndamentum Adversariorum potissimùm sumitur ex Authoritate S. Script. Ezech. 1. ubi Angelus vocatur *Signaculum similitudinis DEI*. & ex D. Th. hîc a. 3. dicente. *Cognitio autem, quâ Angelus per suam naturalia cognoscit DEUM, similatur illi cognitioni, quâ videtur res per speciem ab ea acceptam: quia enim imago DEI est in ipsa natura Angeli impressa, per suam essentiam DEUM Angelus cognoscit, in quantum est similitudo DEI.*

Unde sic arguunt: Imago & similitudo objectiva, per quam cognoscitur objectum, est ipsius species intelligibilis: sed ipsa substantia Angeli est imago & similitudo DEI; ergo ipsa substantia Angeli est species intelligibilis in cognitione DEI.

Confirmatur. Essentia Angeli comparatur ad intellectum Angeli tanquam species intelligibilis ad

ad cognitionem suiipsius: ergo etiam ad ejus intellectum comparatur ut species intelligibilis in ordine ad cognitionem DEI: non enim minùs est apta repræsentare DEUM, quàm seipsam, cùm sit imago & similitudo ipsius.

Respondeo; Neutram authoritatem plus evincere, quàm objectivam similitudinem competentem medio cognito; non formalem competentem medio incognito. Ideo etiam S. Thomas non dicit, hanc Angeli cognitionem, quâ DEUM per sua naturalia cognoscit, esse *per speciem intelligibilem*; sed *similem illi, quâ videtur res per speciem ab ea acceptam*. quomodo similem? quia *imago DEI est in ipsa natura Angeli impressa*, & in quantum Angelus ad cognitionem DEI non indiget distinctâ specie. Interim cùm hæc ipsa cognitio secundùm eundem S. D. sit similior, *& magis se tenet cum cognitione speculari*; (uti omnis alia similitudo claudicat) est dissimilis cognitioni per speciem intelligibilem, in quantum deficit ab essentiali prædicato ipsius, quòd non sit immediata per medium incognitum, sed solùm mediata per medium cognitum.

Unde ad argumentum distinguo majorem. Imago & similitudo formalis quâ ut medio incognito objectum attingitur & cognoscitur, est species intelligibilis ipsius, concedo; quâ ut similitudine objectivâ, & in qua tanquam medio cognito attingitur & cognoscitur objectum, nego majorem, & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Ideo licèt superior Angelus sit perfectior imago & similitudo DEI, non tamen sequitur, quòd Angelus inferior DEUM cognoscat per substantiam superioris Angeli, tanquam per speciem intelligibilem.

Ad confirmationem disparitas est, quòd essentia Angeli sit objectum primarium seu primò cognitum cognitionis Angelicæ, adeóque non potest repræsentare seipsam ut medium cognitum, sed incognitum: atqui DEUS respectu intellectûs Angelici non est objectum primò, sed secundariò cognitum, ideóque ad illum substantia Angeli potiùs se habet ut speculum, quàm ut species, quemadmodum essentia Divina, licèt intellectum videntis actuet per modum speciei intelligibilis, non ideo tamen est species, sed speculum rerum creatarum.

ARTICULUS III.

Quomodo unus Angelus alterum cognoscat?

SUMMARIA.

1. *Angeli se invicem cognoscunt.*
2. *Angelus per suam substantiam non cognoscit alium Angelum, ut pote sibi dissimilem.*
3. *Quem nec formaliter nec eminenter in sua substantia continet.*
4. *Neque cognoscit per substantiam Angeli cogniti.*
5. *Neque potest ita cognoscere per absolutam potentiam.*
6. *Sed habet species infusas, quibus possit cognoscere.*
7. *Cur Angelus DEUM per suam substantiam cognoscat, non item Angelum?*
8. *Angelus quemlibet alium quidditativè & intuitivè cognoscit.*
9. *Divisio comprehensionis in intensivam & extensivam.*
10. *Angelus inferior superiorem non comprehendit intensivè.*
11. *Comprehendit tamen extensivè.*
12. *Solvitur instantia de visione omnium possibilium in DEO.*
13. *Ex comprehensione intensiva suarum specierum non sequitur intensiva comprehensio sup. Angeli.*
14. *Locus S. Doct. exponitur de intensiva comprehensione.*
15. *Superior Angelus intensivè comprehendit inferiorem.*
16. *Illuminatio superioris Angeli non causat intensivam sui comprehensionem in intellectu inferioris.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

1. CErtum sit primò. Quòd Angeli se mutuò cognoscant, teste Script. Genes. 18. Isa. 6. Ezech. 2. Luc. 11. ex quibus constat, Angelos spiritualem quandam rempublicam & Societatem constituere, sibi mutuò loqui, & in negotiis expediendis assistere, quæ omnia sine mutua cognitione fieri non possunt. Accedit ratio. Angelus quippe est perfectissima pars universi, & suprema intelligentium; congruum ergo est, ut habeat cognitionem totius entis creati, omniúmque partium ad universæ naturæ constitutionem concurrentium.

Secundò. Ad perfectionem vitæ humanæ pertinet mutua societas: ergo multò magis ad perfectionem vitæ Angelicæ: sed perfecta societas includit mutuam cognitionem: ergo.

Certum sit secundò. Unum Angelum non 2.
posse cognosci ab altero Angelo, per Angeli cognoscentis substantiam, &

Ratio est. Ut Angelus per suam substantiam cognosceret alterum Angelum, deberet esse intelligibilis imago vel similitudo ipsius: sed hæc non est: ergo. minor probatur. Non est imago, quia hæc procedere debet ab eo, cujus est imago: atqui substantia unius Angeli non procedit ab alterius substantia. Non etiam est intelligibilis similitudo, quia tametsi Angeli conveniant in gradu generico, differunt tamen in gradu specifico; sed quatenus aliqua specie differunt, non habent formalem similitudinem ad invicem: ergo neque Angeli se mutuò per modum formalis similitudinis repræsentare possunt.

Confirmatur. Ut Angelus per suammet sub- 3.
stantiam cognosceret alterum Angelum, deberet in sua substantia formaliter, vel eminenter continere substantiam alterius Angeli; neque enim aliâ ratione potest esse medium ducens in cognitionem alterius, prout in 1. Tract. de vis. ostendimus:

dimus: sed substantia Angeli cognoscentis formaliter non continet substantiam cogniti, quippe à qua differt in gradu specifico; neque eminenter, quia hoc convenit soli causæ totius entis: ergo non potest Angelus per suam substantiam cognoscere alterum Angelum.

4. Certum sit tertiò. Non posse cognosci Angelum per substantiam Angeli cogniti tanquam per speciem intelligibilem: quia ad hoc esset necessarium, ut substantia Angeli cogniti intimè uniretur cum intellectu Angeli cognoscentis, ut suppono ex dictis de Visione; sed uniri non potest: Unio quippe ista vel esset per identitatem, quo modo essentia Divina unitur cum suo intellectu; vel esset per naturalem colligationem, quo modo substantia Angeli unitur cum suo intellectu; vel per inhæsionem, uti species accidentales intellectui conjunguntur; vel per illapsum intra terminos essentiæ, quo modo Divina essentia unitur intellectui Beatorum: sed nullo ex his modis uniri potest, prout examinanti patebit: ergo.

5. Certum sit quartò. Contra Ysambertum, hanc impossibilitatem non tantùm esse de ordinaria sed etiam de absoluta potentia: non enim fundamur in illo levi principio, quòd aliàs unus Angelus alterum Angelum ipsò invitò non posset cognoscere: sed in ipsa intrinseca natura cognitionis & speciei intelligibilis, quæ non tantùm ordinariam & de facto, sed etiam absolutam implicantiam probat: unde.

6. Certùm sit quintò, Angelum indigere speciebus suæ essentiæ superadditis & infusis, ut alium Angelum cognoscat: vel enim per substantiam alterutrius, vel per speciem accidentalem cognoscit, non per substantiam, neque Angeli cognoscentis, neque cogniti, ut ostensum est: ergo per speciem accidentalem superadditam, & illam non ab objecto acceptam & emanatam: neque enim Angelus habet virtutem activam in intellectum alterius Angeli, ejúsque immutativam: ergo per speciem infusam.

7. Dices. Magis distat substantia Angeli à DEO, quàm ab altero Angelo: ergo si potest per suam substantiam DEUM cognoscere, potest & alium Angelum cognoscere per suam substantiam.

Respondeo negando consequentiam, ejúsque suppositum; nam ratio, quòd Angelus per suam substantiam DEUM cognoscat, est, quia ab ipso emanat, & procedit tanquam effectus intelligibilis, & analogicè conveniens in gradu intellectualitatis, quod sufficit ad analogicam rationem imaginis, Angelus verò non procedit ab altero, & ut esset species alterius, deberet esse similitudo non analogica sed univoca ipsius, quia quidditativè repræsentaret, quod tamen implicat. His positis superest dubium, sitne hæc cognitio quidditativa, intuitiva, & comprehensiva? De quo sit

§. II.

Asseritur non tantùm quidditativa, sed etiam comprehensiva cognitio alterius Angeli.

8. CONCLUSIO I. *Cognitio, quâ unus Angelus alium cognoscit, est quidditativa & intuitiva.* S. D. hîc a. 2. Ratio est: quandocunque objectum cognoscitur per proprias species perfectè ordinatas ad claram & distinctam repræsentationem totius essentiæ, ut in se actu existentis, tunc quidditativè & intuitivè cognoscitur: sed hoc modo quilibet Angelus alterum cognoscit; habet quippe species alterius sibi infusas, quæ ipsius essentiam ut substantem exercitio actualis existentiæ clarè atque distinctè repræsentant: ergo.

Maius est dubium, an illa cognitio sit comprehensiva? Ubi videtur distinguendum esse inter comprehensionem intensivam & extensivam. Comprehensiva nempe cognitio absolutè est & dicitur, quâ objectum cognoscitur, in quantum est cognoscibile. quod fieri potest dupliciter: primò ut objectum cognoscatur tantâ claritate, quantâ potest cognosci, ita, ut tanta sit claritas, tamque perfectus modus cognitionis in cognoscente, quanta est claritas, quamque perfectus modus cognoscibilitatis in cognito. Secundò. Ut quidem clarè & distinctè cognoscatur quidquid perfectionis & quidditatis est in cognito, modus tamen cognitionis non adæquet modum cognoscibilitatis, quo objectum in se, & à se cognosci potest: primò modò objectum comprehenditur intensivè; secundò modò extensivè, quâ distinctione cognabimur componere dissidentes Authorum easdem Thomistarum sententias: Nam Bannez, Salmanticenses disp. 6. dub. 3. absolutè affirmant unum Angelum ab alio comprehensivè cognosci. Murcus à Serra. Nazarius q. 56. a. 2. Suarez de Angelis c. 31. absolutè negant. Joannes à S. Thoma gat superiores Angelos ab inferioribus comprehendi vi propriæ virtutis intellectivæ; contra verò comprehendi virtute corroborationis, quam inferiores accipiunt ex illuminatione Superiorum Angelorum, cum quo sentit Gonet. hic disp. 3. a. 2. §. 1. sit igitur.

CONCLUSIO II. *Angelus inferior superiorem comprehendit* (1.) *non intensivè* (2.) *sed extensivè.* Ita Ysambertus hîc.

Primæ partis ratio est primò. Ad intensivam comprehensionem requiritur tam perfecta intellectualitas cognoscentis, quàm perfecta est intelligibilitas cogniti; sed Angelus inferior non habet tam perfectam intellectualitatem, quàm perfectam intelligibilitatem habet Angelus superior: ergo Angelus inferior intensivè non comprehendit superiorem. majorem habet S. D. in 4. d. 49 q. 2. a. 3. dicens. *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitum stat sub ali virtutis cognoscitivæ, & non excedit ipsam.* Unus comprehendere in rigore est suâ cognitione adæquare cognoscibilitatem objecti, ita ut tanta sit claritas tamque perfectus modus cognoscendi in cognoscente, quanta claritas & modus cognoscibilitatis est in cognito.

Minor quoque probatur ex eodem S. D. qui in l. de causis lect. 8. de intelligentia loquens: *Superiora*, inquit, *cognoscit per modum substantiæ suæ, inferiori modo, quam res superior sit in seipsa.* Et ratio est: Tam intellectualitas cognoscentis, quàm intelligibilitas cogniti sundatur in immaterialitate, & actualitate: ergo cùm Angelus inferior sit minoris; superior perfectioris actualitatis, & immaterialitatis, non poterit esse tam perfecta intellectualitas in Angelo inferiori cognoscente, quàm

quàm perfecta intelligibilitas in Angelo superiori cognito.

Secundò. Si inferior Angelus intensivè comprehenderet superiorem, non esset ratio, cur non etiam intensivè comprehenderet species ipsius; sed has non comprehendit intensivè: ergo. minor probatur. Angelus superior uti habet species universaliores, ita & perfectiores, quàm Angelus inferior: ergo Angelus inferior illas intensivè non comprehendit.

11. Secunda pars probatur: ad extensivam comprehensionem sufficit, ut nihil quidditatis sit in re cognita, quod lateat cognoscentem; sed hoc modo Angelus inferior potest cognoscere superiorem; habet quippe speciem quidditativam, quâ simul & Angeli superioris essentiam, & omnia, quæ in ipsa vel formaliter vel eminenter continentur, intuetur. Favet Authoritas S. D. in 2. contr. gentes. c. 99. dicentis, quòd *intellectus Angeli habet virtutem comprehendendi omnes species & differentias entis.* Quod cùm in inferiori Angelo non possit accipi de comprehensione intensiva Angeli superioris juxta prælegatos textus, solùm de extensiva comprehensione potest intelligi.

§. III.

Solvuntur objectiones.

12. Objicies primò. Illa cognitio est comprehensiva, quâ videtur, quidquid in objecto continetur; sed Angelus inferior sic videt superiorem; aliàs quippe nec quidditativè ampliùs ipsum cognosceret: ergo etiam comprehensivè illum cognoscit.

Confirmatur. Si quæ creatura videret omnia, quæ formaliter & eminenter continentur in DEO, DEUM, ejúsque omnipotentiam etiam intensivè comprehenderet: ergo si Angelus intuitivè cognoscat omnes rationes, quæ sunt formaliter aut eminenter in Angelo superiori, etiam intensivè illum comprehendit.

Respondeo, distinguendo majorem, quâ videtur quidquid in objecto continetur cognitione adæquante cognoscibilitatem objecti, concedo, non adæquante, nego. & pariter distinctâ minore nego consequentiam.

Ad confirmationem, nego consequentiam & paritatem. Quia si quæ creatura in DEO videret omnia possibilia, ipsamet essentia & omnipotentia Divina esset medium cognitum repræsentans illa: non autem potest ex seipsa ostendere omnes effectus, nisi simul se exhibeat cum omni virtute & claritate, quàm in se ipsâ habet, prout in Tract. de Vis. dictum. Atqui species inferioris Angeli repræsentant perfectiones Angeli superioris secundùm modum essendi & intelligendi, non quem habet Angelus superior, sed inferior, nec proinde adæquant ipsius cognoscibilitatem.

13. Objic. secundò. Angelus suas species comprehendit intensivè; ergo etiam intensivè comprehendit speciem repræsentativam Angeli superioris. Atqui species Angeli in esse repræsentativo est ipse Angelus: ergo Angelus inferior etiam intensivè comprehendit Angelum superiorem.

Respondeo distinguendo consequens: ergo Angelus intensivè comprehendit speciem repræsentativam Angeli superioris juxta gradum & proportionem immaterialitatis, quàm habet cum sua essentia, concedo, juxta improportionem, quam habet cum immaterialitate Angeli superioris, nego, similiter distinguo subsumptum. Species quidditativa Angeli est ipse Angelus, in eodem gradu specifico immaterialitatis, nego, in minori. concedo subsumptum, & nego consequentiam.

14. Objic. tertiò. Angelus inferior non potest comprehendere superiorem, nisi comprehendat etiam species ipsius intelligibiles, sed has non potest comprehendere: ergo nec Angelum superiorem. Major est S. D. q. 16. de malo. a. 8. ubi habet. *Unusquisque intellectus aliter se habet ad species intelligibiles superioris intellectûs, & aliter ad species inferioris intellectûs: nam species intelligibiles superioris intellectûs sunt universaliores, & ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectûs.*

Respondeo distinguendo minorem. Non potest comprehendere intensivè, concedo, extensivè, nego minorem, & sic distincto consequente, nego consequentiam. Nec alio sensu loquitur S. D, quàm de comprehensione rigorosè & intensivè accepta.

15. Sequitur ex dictis primò. Inferiores Angelos à superioribus etiam intensivè comprehendi, quia in modo intelligendi non tantùm adæquant, sed excedunt perfectionem inferioris Angeli.

16. Sequitur secundò. Confortationem & illuminationem superioris Angeli nihil conducere ad conferendam Angelo inferiori intensivam comprehensionem, quia, ut optimè arguit Illustrissimus Reding, illa illuminatio Angeli superioris non communicat inferiori aliquod lumen & claritatem intrinsecam, quâ immutetur ipsius connaturalis modus cognoscendi: ergo adhuc cognoscit superiorem Angelum juxta proprium & inferiorem modum cognoscendi, nec proinde intensivè illum comprehendit.

ARTICULUS IV.

Quomodo Angeli cognoscant materialia & singularia?

SUMMARIA.

1. *Angelorum cognitioni subsunt materialia & singularia.*
2. *Ad quam sufficit species, quâ naturam specificam cognoscunt.*
3. *Quomodo materialia sint intra proportionatum objectum Angeli?*
4. *Non sequitur, naturaliter cognosci futura contingentia.*
5. *Neque species habere infinitam virtutem repræsentandi.*

§. I. *De-*

§. I.

Defenditur cognitio omnium singularium per speciem repræsentativam totius naturæ.

1. CErtum est, quòd Angelus cognoscat materialia & singularia, ut enim discurrit S. D. q. 57. a. 2. fide certum est, hæc inferiora administrari per Angelos, cùm *omnes* sint *administratorii Spiritûs Hebr. 1.* non autem possent administrari, nisi Angeli haberent notitiam singularium, siquidem providentia est de singularibus. Præterea homo cognoscit singularia & materialia; idque est de perfectione cognitionis: ergo multò magis illa cognoscit Angelus. Disceptatur tamen inter Scotistas & Thomistas, an Angelus ad cognoscenda singularia, eorúmque proprietates & accidentia indigeat speciebus distinctis, vel utrùm eâdem specie, quâ Angelus cognoscit naturam specificam, attingat quoque singularia, eorúmque proprietates & accidentia? Et prior quidem sententia Scoto, posterior D. Thomæ placuit. Cum quo sit.

2. CONCLUSIO. *Angelus per speciem, quâ totam naturam specificam intelligit, etiam directè cognoscit omnia singularia, eorúmque proprietates & accidentia.* Utramque doctrinam tradit S. D. hîc a. 2. in c. & quodlib. 7. a. 3. ad 2.

Probatur primò. Magis inter se distant distinctæ naturæ, quàm individua ejusdem naturæ: sed Angelica species propter suam universalitatem repræsentat plures quidditates & naturas: ergo multò magis repræsentat plura individua ejusdem naturæ.

Secundò. Species Angelica non est à rebus accepta, sed ad imitationem suæ ideæ à DEO infusa: ergo directè repræsentat singularia. Consequentia probatur. Quia participatio Divinæ ideæ imitatur perfectionem ipsius: sed de perfectione Divinæ ideæ est, ut directè repræsentet singularia: ergo.

Tertiò. Ideo species humanæ cognitionis directè solùm repræsentant naturam universalem, quia sunt à singularibus abstractæ: ergo à contrario species Angelicæ, quia non sunt abstractæ, sed infusæ, directè repræsentant singularia.

Quartò. Si species Angeli repræsentans naturam, non etiam repræsentaret singularia, Angelus non haberet intuitivam & perfectam cognitionem naturæ: quia cognitio universalium est abstractiva & infusa. At consequens non est conveniens perfectioni intellectûs Angelici: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

3. OBjicies primò. Illud ab Angelo directè non cognoscitur, quod est extra objectum proportionatum ipsius: sed singularia & materialia sunt extra objectum proportionatum ipsius: ergo. Minor probatur. Res materiales sunt extra proportionatum objectum potentiæ totaliter independentis à materia, siquidem inter materiale & immateriale nulla est proportio: sed intellectus Angelicus est totaliter independens à materia: ergo.

Respondeo, præterquàm, quòd hoc argumentum nimium probet, quòd videlicèt nec DEUS cognosceret singularia & materialia, distinguendo minorem. entia materialia & singularia in esse rei materialiter spectata, & secundùm modum essendi, quem in seipsis habent, sunt extra objectum proportionatum, concedo, in esse objecti formaliter & secundùm modum essendi, quem habent in specie infusa. nego. Item inter ens materiale & immateriale nulla est proportio, in esse rei, transeat, in esse objecti, nego.

Inquies. Ergo Angelus non cognoscit materialia secundùm esse proprium ipsorum, sed tantùm secundùm esse ideale, quod habent in suo intellectu & specie.

Respondeo ly *secundùm* accipiendo ex parte medii, concedo, nam & ipsa materialia conjunguntur in esse intelligibili cum intellectu Angeli modò spirituali secundùm modum intelligendi Angelo proprium: ly *secundùm* accipiendo ex parte objecti, nego: neque enim Angelus speciem rei materialis, sed per speciem rem ipsam materialem, ut in se est, intelligit.

Objicies secundò. Sequeretur, quòd Angelus naturaliter cognosceret futura contingentia, sed hoc est contra doctrinam sequentis Articuli: ergo. Sequela probatur. Illa Angelus naturaliter cognoscit, quorum duratio per species ab initio creationis infusas ipsi repræsentatur: sed rerum omnium singularium, adeóque & contingentium duratio ipsis per species infusas repræsentatur: ergo.

Respondeo negando sequelam, ejúsque probationem distinguo: quorum duratio repræsentatur in actu secundo & exercito, concedo, in actu signato & quasi in actu primo, sic nego majorem, sed rerum omnium singularium duratio repræsentatur in actu signato & primo, concedo, in actu secundo & exercito, nego minorem & conseq.

Objicies tertiò. Si species Angelicæ omnia individua alicujus naturæ repræsentarent, essent infinitæ perfectionis; consequens implicat: ergo & antecedens. Sequela probatur. Posse repræsentare infinita individua dicit infinitam virtutem; sed intra eandem naturam specificam possibilia sunt infinita individua, eaque per species Angelicas repræsentarentur: ergo deberent esse infinitæ virtutis.

Respondeo, negando sequelam, & majorem probationis: nam ad repræsentanda objecta syncategorematicè infinita, qualia sunt singularia cujuslibet naturæ, non requiritur virtus aut species infinita, velut patet in scientia Christi sese actu extendente ad omnes cogitationes Beatorum in omnem æternitatem. Adde, quòd Angeli non cognoscunt singularia, nisi cùm existunt ut art. seq.

AR-

ARTICULUS V.

Utrùm Angeli naturaliter & certò cognoscant futura contingentia?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Authoritas Script. & PP. soli DEO tribuit naturalem cognitionem futurorum contingentium.*
3. *Ratio probat Angelis non competere naturalem cognitionem futurorum contingentium.*
4. *Disparitas inter æternitatem DEI, & ævum Angelicum.*
5. *Angelus habet species omnium futurorum repræsentativas in actu primo.*
6. *Species intelligibiles animæ Christi erant perfectiores Angelicis quoad multitudinem cognitorum.*
7. *Quandò præterita Angelus naturaliter cognoscat?*
8. *An dæmones possint futura prædicere?*

§. I.

Negatur Angelis naturalis cognitio futurorum contingentium.

1. Loquitur titulus §. primò de naturali cognitione, non supernaturali: neque enim dubium est, per supernaturalem revelationem Angelum in futurorum contingentium notitiam venire posse. Secundò. De cognitione futurorum non necessariorum, nam & ista videt in causis, quas comprehendit; sed contingentium, quæ videlicet vel continentur in causa libera & indifferenti, vel certè à concursu causæ contingentis & liberæ dependent, veluti eventus fortuiti & casuales. Tertiò. De cognitione certa, non conjecturali; cùm enim intellectûs humani acumen futura contingentia in causarum indifferentium propensione per probabiles conjecturas venari & ominari possit: id longè sagaciùs poterit Angelici intellectûs perspicacia.

2. CONCLUSIO. *Angelus naturaliter futura contingentia certò præscire non potest.* Ita S. D. hic a. 3. & constat primò ex S. Scriptura, ubi prædictio futurorum habetur pro Charactere Divinitatis, veluti Isaiæ 41. *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.*

Secundò. Communi in hanc sententiam consensu PP. è quibus Chrysost. hom. 18. *in Joann. prædictio futurorum immortalis DEI duntaxat opus est.* Isid. l. d. *Summo bon.* c. 10. *futura Angeli nisi revelatione Divinâ cognoscere non possunt.*

3. Probatur tertiò ratione. Vel Angelus futura contingentia cognosceret in suis causis, vel in seipsis: neutro modo: ergo nullo. Non in suis causis, quia istæ, cùm sint indifferentes & indeterminatæ non possunt fundare certam & determinatam cognitionem eventûs. Non in seipsis, quia in se ipsis nondum sunt.

Confirmatur. Ideo DEUS futura contingentia certò videt, quia vel videt in causis à se prædeterminatis, ut docent Thomistæ; vel quia omnia sunt ipsi præsentia in mensura suæ æternitatis, etiam ad futuram rerum durationem virtualiter se extendente; ut iidem Thomistæ cum quibusdam RR. & dictum in Tract. de DEO. Vel quia DEUS ex sua illimitatione est determinatus ad cognoscendam omnem veritatem; ad quam pertinet objectiva & determinata veritas alterutrius ex duobus contradictoriis, veluti placet RR. sed nullum ex his Angelis convenire potest; ergo solus DEUS habet scientiam de futuris contingentibus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. DEUS cognoscit futura contingentia in mensura suæ æternitatis, eò 4.
quòd ista sit superior mensura respectu futurorum contingentium: ergo etiam Angelus cognoscit futura contingentia in mensura sui ævi, eò quòd etiam hæc duratio sit superior, quàm mensura futurorum contingentium.

Respondeo distinguendo antecedens. Eò quòd æternitas sit superior propter infinitatem immmutabilis simultatis, concedo, aliâ quâlibet ratione, nego (de quo in Tract. de ætern. DEI) antecedens & consequentiam; nam Angelorum ævum tantùm est superius dignitate, non etiam infinitate.

Objicies secundò. Illa omnia cognoscit Ange- 5.
lus, quorum habet species; sed habet species futurorum contingentium: ergo. Minor est certa. Quia habet species rerum cognoscibilium ab initio creationis infusas. Major inde constat, quia nullum apparet impedimentum, cur Angelus non cognoscat objecta, ad quorum cognitionem expedita habet principia.

R. distinguendo majorem. Illa cognoscit Angelus, quorum habet species repræsentativas in actu secundo, concedo, in actu primo, nego. Sed habet species futurorum contingentium in actu primo, repræsentativas, concedo, in actu secundo, nego minorem & consequentiam.

Si quæras, cur non etiam sint repræsentativæ in actu secundo? Respondeo deesse actualem eorum existentiam, quæ per modum necessariæ conditionis ex parte objecti requiritur. Et ratio est: quia Angelus cognoscit singularia, in quantum sunt partes universi: sed non nisi per actualem existentiam fiunt partes universi: ergo tantùm cognoscit singularia, cum actu existunt. Item species Angelicæ sunt ordinatæ, ut objecta intuitivè, & secundùm exercitium suæ existentiæ repræsentent: sed hoc non obtinetur, nisi positâ illorum existentiâ. Audi S. D. hîc ad 3. *Ea, quæ sunt præsentia, habent naturam per quam assimilantur speciebus, quæ sunt in mente Angeli, & sic per eas cognosci possunt; sed quæ futura sunt, nondum habent naturam, per quam illi assimilentur; unde per eas cognosci non possunt.*

Objicies tertiò. Species Angelicæ sunt perfe- 6.
ctiores, quàm sint illæ species, quas habet anima Christi:

Christi: sed anima Christi per species infusas cognovit futura contingentia: ergo & illa per species infusas cognoscit Angelus.

Respondeo distinguendo majorem, sunt perfectiores quoad modum repræsentandi, & universalitatem specierum, concedo, quoad multitudinem objectorum, nego. Nam quia species Christi D. debebant servire supernaturali scientiæ ipsius, per quam ceu Caput hominum & Angelorum omnia futura, cordiúmque secreta cognoscit, ideo habebant virtutem superadditam futura repræsentandi, prout docet S. D. in 3. p. q. 11. a. 4.

7. Colliges ex dictis primò. Quamvis Angelus intelligat omnia illa præterita, quæ vidit aliquando præsentia, vel quæ suæ existentiæ aliquod vestigium reliquerunt; non tamen posse naturaliter cognoscere illa præterita libera & contingentia, quæ nunquam cognovit præsentia, & quæ nullum sui vestigium reliquerunt: quia hæc ita se habent ad intellectum Angeli, ac si nunquam extitissent: nec est aliquid assignabile, ratione cujus illorum notitia Angelo tribui possit. Unde & Sacra Scriptura pro nota divinitatis non solùm ponit summorum, sed etiam præteritorum cognitionem in illo Isa. 41. *Accedant & nuntient nobis, quæcunque ventura sunt, priora quæ fuerunt, nuntiate, & ponamus cor nostrum, &c.* hoc est, interprete D. Hieron. *Dicite nobis præterita, vel futura, & ex earum eventibus vestram potentiam demonstrate.*

Colliges secundò. Dæmones non posse futura verè prædicere, nisi DEUS mediantibus bonis Angelis ipsis revelet, sicut & improbis hominibus quandoque revelat, quemadmodum constat in Balaamo, Caipha, & Sybillis. Advertit quoque S. Augustinus l. 1. de Gen. ad litt. dæmones aliquando futura expiscari ex scriptis & dictis aliorum, quibus facta est revelatio, vel illa conjecturaliter cognoscere ex propensione causarum, aut concursu syderum, ad quorum cognitionem sunt sagacissimi.

ARTICULUS VI.

An Angeli naturaliter cognoscant secreta cordium?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Authoritates contra naturalem cognitionem secretorum.*
3. *Ratio intrinseca à jure & exigentia cognitionis Angelicæ.*
4. *Ratio a posteriori ex præjudicio locutionis Angelicæ.*
5. *Objecta PP. Authoritas explicatur.*
6. *Actus liberi non continentur intra objectum proportionatum intellectûs Angelici.*
7. *Conditio necessaria ad cognoscenda secreta cordium est directio voluntatis illa communicantis.*
8. *Objecta contra directionem voluntatis diluuntur.*
9. *Occultatio secretorum cordis non fit ex denegatione extrinseca Divini concursus, aut defectu speciei repræsentantis.*
10. *Angelus naturaliter non cognoscit mysteria gratiæ.*
11. *Cognoscit tamen naturaliter alterius Angeli species & habitus.*

§. I.

Statuitur resolutio negativa.

1. PEr secreta cordium intelligimus internos actus intellectûs & voluntatis, qui sistunt intra potentiam, neque in alio signo, vel actu externo relucent; quorum aliqui sunt necessarii, alii verò liberi, vel elicitivè, ut actus voluntatis, vel imperativè ut actus intellectûs. De actibus necessariis, velut etiam de actibus phantasiæ & appetitûs sensitivi communis est sententia cum S. D. hîc a. 3. illos quoad substantiam ab Angelo cognosci, quia ut sic sunt effectus verè naturales communes brutis animantibus, pertinentes ad ordinem naturæ, adeóque continentur sub objecto proportionato naturæ intellectualis. De liberis ergo actibus instituta quæstione, sit

2. CONCLUSIO *Angelus non potest naturaliter cognoscere secreta cordium: seclusâ vel speciali revelatione, vel ad Angelum cognoscentem directione.* S. D. hîc a. 4. Ita pluribus locis S. Scriptura insinuat soli DEO ejusmodi cognitionem tribuens: veluti Psalmo 7. *scrutans corda & renes DEVS.* & Jer. 17. *pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda & renes.* In quæ verba D. Hieron. *Hinc discimus, quòd nullus scit cogitationes hominum, nisi solus DEVS.* Accedit D. August. in Psal. 41. loquens: *antequam DEVS manifestus in die Judicii consilia cordium, omne cor omni corde clausum est.* Et D. Athanas. Epist. 27. *Præscius rerum*, inquit, *& cognitor cordium DEVS*, neque enim Angeli cordis abscondita vel futura videre possunt. D. quoque Ambrosius Christi Divinitatem probat ex eo, quòd *vidit cogitationes eorum.* Luc. 11.

Probatur primò ratione S. D. à priori. Illa solùm objecta ex se Angelus naturaliter cognoscit, quæ sunt partes universi, pertinentes ad ordinem universi, suove dominio subjiciuntur; sed liberi actus voluntatis non pertinent ad ordinem universi, nec sunt partes ipsius, nec ejus dominio subjiciuntur: ergo illos Angelus naturaliter non cognoscit. major inde patet, quia illa solùm continentur intra objectum proportionatum cognitioni Angelicæ; ad quæ cognoscenda Angelus jus habet aut exigentiam naturalem; sed jus habet in tantùm actus, quippe suo dominio subjectos, non item in alienos, quippe alterius Angeli liberam & dominio subjectos: exigentiam quoque naturalem tantùm habet ad cognoscendas omnes partes hujus universi, tanquam pars primaria & nobilissima universi: ergo hæc sola objecta Angelus naturaliter cognoscit. Minor quoq; probatur. Ordo partis hujus universi consistit in concatenatione causarum, seu dependentia & communicatione influxuum, quam habent causæ superiores cum inferioribus; unde si quæ causa vel potêtia est exempta ab ejusmodi influxûs dependentia & cõmunicatione, est etiam extra ordinem universi, nec proinde actus ipsius alteri potentiæ, quàm à qua elicitur, & à qua

in eliciendo depender, potest esse subjectus. Atqui liberi actus interni voluntatis sive eliciti, & intra voluntatem existentes, sive imperati & existentes in intellectu nullam habent dependentiam, & communicationem influxûs, præterquam ab ipsa voluntate vel intellectu elicientis: ergo non sunt partes pertinentes ad ordinem universi.

4. Probatur 3. ratione à posteriori. Si cogitationes & actus interni, quamprimum eliciuntur, fierent juris publici, & prostituerentur aliorum quorumcunque cognitioni, rueret dominium, quod habet natura intellectualis in suos actus liberos, & mutua locutio Angelorũ: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Ad perfectum dominium & jus in suos actus pertinet, ut tollantur impedimenta, quæ perfecto dominio præjudicium inferunt: sed hæc impedimenta non tolluntur: siquidem stante tali publicatione conceptuum natura rationalis multùm retraheretur ab eliciendis suis actibus, & voluntas multa quasi invita deceneret: nulla quoque foret communicatio & directio conceptuum, in qua locutionem Angelorum consistere in seq. dicemus, siquidem conceptus ante omnem directionem jam omnibus forent manifesti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. OBjicies primò authoritatem SS. PP. è quibus noster Venerabilis Beda l. 2. in Job. c. 7. sic loquitur. *Non enim quidquam affectuum suorum ad invicem latere potest: simplices enim creaturæ nullum habentes quasi obstaculum corpulentum perspicua sibi sunt.* Et D. Gregorius noster l. 18. moral. c. 27. *In beatitudine resurgentium unus erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi: & cùm unusquisque intellectus attenditur, simul conscientia penetratur.*

Respondeo, SS. PP. mentem esse, nos post resurrectionem nullum habituros obstaculum ex corporum conjunctione, quale nunc patimur, ne unus internas alterius cogitationes (suppositâ tamen illius directione & communicatione) possit cognoscere: ut enim S. D. hîc a. 4. duplex datur impedimentum, quò minùs unus alterius mentem penetret, scilicet *propter grossitiem corporis, & propter voluntatem claudentem sua secreta: primum autem obstaculum tolletur in resurrectione, nec est in Angelis: sed secundum impedimentum manebit post resurrectionem, & modò est in Angelis.*

6. Objicies secundò. Angelus naturaliter cognoscit, quidquid pertinet ad proportionatum objectum ipsius: Sed actus liberi pertinent ad proportionatum objectum intellectûs Angelici: ergo illos naturaliter cognoscit. Minor probatur. Omnis entitas naturalis continetur intra objectum proportionatum intellectûs Angelici: sed actus liberi utique sunt quædam entitates naturales: ergo continentur intra proportionatum objectum intellectûs Angelici.

Respondeo negando minorem, cujus probationem distinguo. Omnis entitas naturalis & pertinens ad ordinem naturæ continetur intra proportionatum, &c. concedo majorem, pertinens ad ordinem moralem, nego majorem, & sic distinctâ minore, nego consequentiam.

7. Dices. Angelus habet species liberorum actuum repræsentativas, & quidem in actu secundo, siquidem actu existunt: ergo illos actu cognoscit.

Respondeo negando alterum membrum antecedentis, ejúsque probationem distinguo: actu existunt, ut tamen remaneant sub libertate & dominio elicientis, donec per directionem suæ liberæ voluntatis illum velit aliis innotescere, concedo; ut trahantur ad naturalem ordinem universi, sic nego. Igitur ulteriùs requiritur, ut Angelus velit, & consentiat, suum conceptum alteri Angelo esse cognitum, quâ directione voluntatis, tanquam conditione sine quâ non positâ, jam alteri Angelo quodammodo jus acquiritur, ad illius conceptûs cognitionem, & species, quæ illum conceptum priùs repræsentabat tantùm in actu signato, jam etiam repræsentat in actu secundò & exercito.

8. Objicies tertiò. Si liberi actus voluntatis non continentur intra proportionatum objectum Angelici intellectûs, tunc ne quidem post conceptûs directionem & communicationem poterit Angelus illos cognoscere, siquidem directio conceptûs non facit, quòd sint pars universi: at consequens est absurdum: ergo.

Confirmatur primò. Ipsamet directio & manifestatio conceptûs est actus liber voluntatis: ergo ad ipsius manifestationem necessaria erit nova directio, & sic in infinitum.

Confirmatur secundò. Angelus inferior per directionem sui conceptûs posset illuminare superiorem, quia illuminatio est manifestatio veritatis ignotæ, sed consequens est absurdum: ergo.

Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico: licèt Angelus per directionem sui conceptûs non faciat, ut suus conceptus sit pars universi, facit tamen, ut sit pars objecti alterius Angeli: non enim tantùm illud omne pertinet ad objectum Angelicæ cognitionis, quod est pars actualis universi; sed etiam ad quod cognoscendum Angelus jus habet & exigentiam; sed positâ directione Angeli loquentis, alter Angelus jus habet & exigentiam ad percipiendum illum conceptum, cùm hoc sit Angelicæ societatis proprium: ergo.

Ad 1. confirmationem Respondeo. Directionem & se ipsam & alium actum internum eâdem operâ manifestare, quemadmodum lux simul se & colorem manifestat.

Ad 2. confirmationem negatur sequela, quia, ut mox dicetur, illuminatio Angelorum non est qualiscunque veritatis ignotæ manifestatio, sed per modum magisterii, & de veritatibus specialiter à DEO revelante pendentibus.

§. III.

Corollaria.

9. INferes ex dictis primò. Cogitationes cordis Angelicæ cognitioni occultari, non ex sola extrinseca denegatione divini concursûs, ut Scotus voluit: aut enim talis concursus esset debitus, aut indebitus. Si indebitus, reddenda est ratio, & aliud fundamentum ostendi debet, cur ad cogitationum cognitionem Angelo non debeatur concursus,

cursus, qui tamen ipsi debetur ad cognitionem aliorum entium & effectuum naturalium. Aut est debitus; & tunc sequeretur, quòd DEUS Angelis etiam Beatis inferret perpetuam violentiam, denegando concursum debitum ad objecti proportionati cognitionem. Sed neque ex defectu speciei repræsentantis, ut docent Suarez & Arrubal; non enim Angelus objectorum naturaliter à se cognoscibilium species successivè acquirit, sed habet illas simul ab initio creationis infusas: atque ad cognoscendam Angeli operationem non eget aliâ specie, quàm quæ ipsam Angeli essentiam repræsentat, velut infrà (ubi de Angelorum locutione) dicetur.

Oritur ergo hæc occultatio ex intrinseca impotentia cognoscendi, eò quòd secreta cordium nec ad ipsum Angelum, neque ad ordinem universi, adeóque nec ad objectum proportionatum Angelicæ cognitionis pertineant, priusquam ad ipsum Angelum dirigantur: hâc quippe positâ directione jam Angelo jus ad illorum cognitionem acquiritur, illâque latitudinem objecti Angelici ingrediuntur.

10. Inferes secundò. Angelos non cognoscere naturaliter mysteria gratiæ: tum quia sunt altioris & supernaturalis ordinis, ac proinde excedunt proportionem cujuslibet creati intellectûs; tum quia si Angelus alterius Angeli cogitationes non novit, quia istæ à libera ejus voluntate dependent, multò minùs potest naturaliter intelligere illa mysteria, quæ ex sola DEI voluntate dependent; qua de causa Apost. 1. Corinth. 2. *quæ sunt hominis*, inquit, *nemo novit, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ sunt DEI, nemo novit nisi Spiritus DEI.*

Inferes tertiò. Ab Angelo cognosci species alterius Angeli intellectui infusas, & habitus intra ipsius intellectum aut voluntatem productos.

Ratio est: quòd species & habitus sunt accidentia, quibus Physica & naturalis virtus Angeli necessariò modò perficitur & informatur; sicque habent se per modum naturæ, & pertinent ad integrationem & ornatum Universi: Sed quæ tali modo se habent, pertinent ad ad objectum proportionatum cognitionis Angelicæ: ergo.

Verùm, cognoscúntne etiam nostros habitus liberis actibus acquisitos? Respondeo affirmativè: nam & isti semel producti per modum formæ naturalis potentias animæ perficiunt, vel informant. Nec refert, quòd Angelus possit exinde devenire in cognitionem nostri actûs liberi, quia hoc modo Angelus non cognoscit actum liberum in seipso, & prout egreditur à voluntate, sed solùm in aliquo effectu, & signo naturali, quod non est inconveniens: cùm hoc modo actus internos eorumque intensionem cognoscere possit ex actibus externis.

DISPUTATIO XXXI.

DE

Modo cognitionis Angelicæ.

Ad q. 58.

VIdimus cum S. D. quidditatem, medium, & objectum cognitionis Angelicæ. Supereſt, ut & modum, quo objecta cognoscit, disquiramus: ad hunc porrò pertinent duratio, unitas & simplicitas Angelicæ cognitionis, de quibus sit

ARTICULUS I.

An Angelus aliqua objecta semper, aut plura simul intelligat?

SUMMARIA.

1. *Angelus semper est in actu secundo cognoscendi seipsum.*
2. *Et DEVM tanquam terminum suæ dependentiæ.*
3. *Alia objecta non semper actu cognoscit.*
4. *Quid sit cognoscere multa ut multa?*
5. *Angelus non cognoscit simul multa ut multa.*
6. *Potest intelligere simul plura diversi ordinis.*
7. *Disparitas inter plures species in actu primo, & intellectiones in actu secundo.*
8. *Quinam habitus in intellectu Angelico admitti possint?*

§. I.

Resolvitur prima pars quæsiti.

1. QUæstio solùm movetur de naturali Angeli cognitione. (nam beatificâ visione divinam essentiam à Beatis Angelis jugiter intelligi aliunde constat) Et ad primæ partis resolutionem sit

CONCLUSIO *Intellectus Angeli* (1.) *sit*, & (2.) *DEVM semper actu cognoscit*: (3.) *non autem alia objecta.*

Prima pars probatur. Omne vivens semper est in actu alicujus operationis vitalis sibi maximè connaturali, & radice aliarum operationum: ergo & Angelus. Sed non est aliqua operatio connaturaliot Angelo tanquam substantia intellectuali, quæque sit aliarum radix, quàm cognitio suiipsius; nam & objectum connaturalissimum est ipsi sua essentia, eáque se ipsam intellectui per modum speciei identidem repræsentat; & ex cognitione suæ substantiæ Angelus ad aliorum quoque cognitionem determinatur: ergo.

Secunda pars probatur. Cognitio comprehensiva effectûs etiam attingit causam: ergo cognitione

sione comprehensivâ, quâ Angelus perpetuò cognoscit seipsum, etiam perpetuò cognoscit DEUM, ut sui causam.

Tertiæ partis ratio est primò. Quòd multa sunt objecta, quæ defectu existentiæ in actu secundo non semper, sed solùm successivè, quo modo in rerum natura ponuntur, Angelo repræsentantur. Secundò. Quia species subjiciuntur libero usui & applicationi ipsius Angeli: Unde potest illas ad hujus vel illius objecti repræsentationem quoties, quomodo, & quando vult, applicare.

§. II.

Resolvitur altera pars quæsiti.

4. PRo alterius quæsiti resolutione præmittendum: sensum esse, an Angelus possit objecta non tantùm in se & materialiter multa, sed etiam formaliter, & ut multa sunt, simul intelligere. Quod tunc demum fieret, si plura objecta, vel plures cognitiones Angeli ad se non subordinarentur: objecta quippe inter se coordinata (ut patet in scientiis) unum formaliter objectum; cognitiones quoque subordinatæ unam formaliter cognitionem constituunt, juxta illud: Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantùm. Hoc posito.

5. CONCLUSIO. *Angelus non potest intelligere multa ut multa.* S. D. hic a. 2. Ratio est. Angelus vel intelligeret multa ut multa per unum actum, vel per plures. Neutrum potest dici. Non per unum actum, quia *sicut ad unitatem motûs requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti*; sed objectum non esset unum ex hypothesi; ergo nec operatio. Non etiam per plures actus: quia idem subjectum vel potentia simul in actu perfecto pluribus formis adæquatis, & ultimis actualitatibus ejusdem ordinis & generis completi non potest, ut ex Philosophia supponitur; sed intellectio est ultima actualitas, & terminus potentiæ intellectivæ; ergo intellectus plures actus intellectionis ejusdem ordinis & generis simul elicere non potest.

6. Dixi *ejusdem ordinis & generis*. Nihil enim obstat, quin Angelus simul plures cognitiones subordinatas de objectis diversi ordinis itidem inter se coordinatis possit elicere. Ita Angelus de facto DEUM intelligit per beatificam visionem, sese per suammet substantiam, & alia à se per species superadditas; quæ cognitiones non minùs, quàm objecta ipsarũ, cùm inter se sint coordinatæ, ideo Angelus non plura, ut plura, sed per modũ unius censetur cognoscere. Species quippe & cognitiones inferiores subordinantur superioribus, veluti operationes sensuum externorum subordinantur operationi sensûs interni; & species superior eminenter in se continens inferiorem est ratio determinativa ad usum speciei inferioris. Atqui Essentia Divina, nec non propria essentia Angeli est species superior in se eminenter continens species intelligibiles infusas: ergo Angelus Divinam essentiam clarè videns, & seipsum comprehendens, exinde ad usum aliarum specierum intelligibilium, ac variorum objectorum cognitionem simul & semel determinari potest.

7. Hinc etiam dabis disparitatis rationem, cur Angelus plures species intelligibiles in actu primo, non item plures cognitiones adæquatas in actu secundo habere possit.

Ratio enim est: quòd species intelligibiles in actu primo habeant se per modum habitûs & formæ incompletæ; intellectiones verò per modum ultimæ actualitatis: non est autem inconveniens, plures formas incompletas concurrere ad unum principium totale complendum: est verò absurdum, dari ejusdem potentiæ plures terminos completos & ultimatos, ejusdem ordinis & rationis, dum quilibet eorum esset, & non esset ultimatus, seu adæquatus.

8. Quæres, utrùm in intellectu Angelico dentur habitus? Respondeo. Nullos dari habitus (1.) scientiarum, vel artium: dari tamen posse habitus (2.) opinionis & fidei acquisitæ, in ordine ad cognoscenda futura contingentia, & cordium secreta.

Ratio primi est, quòd habitus scientifici dantur ad tollendam difficultatem, quàm patitur intellectus in deducendis conclusionibus è suis principiis, & habitus artificiosi ad sublevandam difficultatem, quam patitur idem intellectus in introductione formæ in materiam; sed intellectus Angelicus in neutro patitur difficultatem, quippe qui exactissimè penetrat conclusiones in suis principiis, & effectus in causis; optiméque novit, quo modo forma artificialis conveniat suo subjecto: ergo.

Ratio secundi est: quia difficultas, quæ reperitur in formidine oppositi, cùm assentimur, vel conjecturaliter propter quædam indicia & signa, vel propter authoritatem dicentis, superatur per habitus opinionis & fidei acquisitæ: sed Angelus in assensu circa futura contingentia, vel secreta cordium, quandoque patitur difficultatem, & formidinem oppositi: ergo circa talia objecta habere poterit habitus opinionis & fidei.

ARTICULUS II.

An Angelus intelligat, discurrendo, componendo, dividendo?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Angelus nihil intelligit discurrendo.*
3. *Considerat conclusiones in principiis.*
4. *Etiamsi suâ specie utatur inadæquatè, non tamen cognoscere potest illativè.*
5. *Disparitas inter species Angelicas, & animæ Christi.*
6. *Quomodo sine discursu in effectu naturali Angelus cognoscat causam supernaturalem?*
7. *Quomodo dæmones in judicando decipi possint?*
8. *Possitne eadem cognitio respectu diversorum objectorum esse evidens & inevidens, naturalis & supernaturalis?*

9. *Quomodo Angeli dicantur consultare, & mirari?*
10. *Disparitas inter intentionem & cognitionem principiorum.*
11. *Angelus non intelligit componendo & dividendo.*
12. *Nec ideo ipsius cognitio simul est naturalis & supernaturalis.*

§. I.

Removetur formalis discursus.

1. LOquimur de discursu non virtuali, quem uti DEO, ita & Angelis communis Theologorum concedit, sed de formali, quo nempe ex cognitione rei magis notæ illativè, & ex vi ipsius deducimur in cognitionem rei minùs notæ. Unde ad discursum formalem non sufficit primò, ut sit cognitio unius in alio, sive ut unum objectum sit ratio cognoscendi alterum: id enim solummodò probat discursum virtualem, quo modo Divina essentia tam DEO, quàm Beatis est ratio videndi creaturas, velut. in Tract. de DEO diximus. Neque sufficit secundò, quòd sit unius cognitio post aliud, hoc enim solummodò dicit successionem actuum, sive, ut vocant, discursum secundùm successionem, qualem Angelis nemo denegat. Requiritur ergo, ut sit cognitio unius ex alio non solùm ex parte rei cognitæ, sed etiam ipsorum actuum, ita ut unus actus ab altero in causando dependeat, & ex vi ipsius sequatur, qua de causa etiam vocatur discursus secundùm causalitatem. His positis Scotus admittit in Angelis discursum circa obiecta tam naturalia, quàm supernaturalia, tam evidenter quàm inevidenter cognita. Suarez, à quo non multùm distat Molina, admittit circa supernaturalia, & inevidenter cognita. D. Thomas cum sua Schola illum universaliter negat. Cum quo

2. CONCLUSIO. I. *Angelus nihil potest intelligere discurrendo.* S. D. hîc a. 3. cum S. Dionys. c. 7. De Divin. nomin. dicente, *Angelos non congregare Divinam cognitionem à sermonibus diffusis*, h. e. discursibus mentalibus.

Ratio S. D. est. Primò. Quæ sunt perfecta in aliquo ordine & genere, non possunt acquirere suam perfectionem, eo modo, quo illam acquirunt, quæ sunt imperfecta in illo ordine & genere: sed Angelus in ordine intelligentium est perfectus; homo verò est infimum in isto ordine & genere: ergo fieri non potest, ut notitiam veritatis, quæ est intelligentis perfectio, acquirat modo imperfecto, qui est proprius homini, tanquam infimo intelligentium: atqui in comparanda notitia veritatis procedere ab ignotioribus ad notiora, à potentia ad actum, ab imperfectis ad perfectiora (quod ipsum est discurrere) est modus imperfectus assequendi veritatem; uti econtrà uno simplici intuitu actu perspicere totam veritatem, effectus in causis, conclusiones in principiis est maxima intelligentis perfectio: ergo Angelus discurrendo intelligere non potest.

Confirmatur primò paritate & exemplo substantiæ corporeæ. Quia corpora cælestia inter naturas corporeas excellunt, ideo suam perfectionem non obtinent per imperfectos motus augmentationis & alterationis, uti corpora inferiora: ergo quia Angeli inter naturas spirituales principantur, notitiam veritatis non acquirunt modo & motu imperfecto discursûs, quo modo infimum intelligentium homo, qui etiam hac de causa rationalis, ut econtrà Angelus propter simplicem intelligendi modum intelligentia vocatur.

Unde confirmatur secundò. Proprietas alicujus naturæ neque per se, neque per accidens alteri naturæ convenire potest: sed discurrere & ratiocinari est proprietas humanæ naturæ, sicuti ens rationale est ejus essentia: ergo Angelo nec per se, nec per accidens convenire potest, quemadmodum nec equo rugitus, nec leoni hinnitus convenire potest.

Ratio est secundò. Ille intellectus non est discursivus, qui, quandocunque considerat conclusiones, illas considerat prout sunt in suis principiis; *sed Angelus quandocunque considerat conclusiones, considerat eas, prout sunt in suis principiis*, inquit S. D. 1. 2. q. 89. a. 4. ergo ipsius intellectus non est discursivus. Major est certa, neque enim aliter fit discursus, quàm: principiis descendendo ad conclusiones. Minor est D. Thomæ, & inde constat, quòd perfectissimo intellectûs & luminis Angelici, juxta priùs dicta, requirit, ut Angelus cognoscendo objectum, simul videat, quidquid in illo virtute continetur, omnisque ipsius habitudines, sive necessarias, sive probabiles, ad quoscunque effectus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò, quamvis hæ rationes probent, Angelum non discurrere, quando suâ specie utitur adæquatè, tunc enim videt in causis effectus, in principiis conclusiones, quid autem prohibet ipsum discurrere, si (ut in sententia Thomistica potest) velit suâ specie uti inadæquatè, & modo seorsim causam, modò effectum cognoscere?

Confirmatur. Quamquam Christus D. potuerit per species infusas objecta sine discursu percipere; potuit nihilominùs easdem species applicare ad discursivam cognitionem: ergo hoc ipsum poterit Angelus, si species velit inadæquatè videre.

Respondeo. Angelus potest suâ specie uti inadæquatè, sistendo intra simplicem tendentiam ejusdem luminis & judicii, concedo, mutando simplicem tendentiam in lumen & judicium discursivum, nego. Neque enim est in potestate Angeli mutare suum naturalem modum intelligendi; sed ejus naturalis modus intelligendi est, ut simplici intuitu feratur in objectum, non discursivo: ergo.

Ad confirmationem Respondeo, disparitatem esse, quòd species infusæ Christi sint minùs universales speciebus Angelicis, atque attemperatæ subjecto, h. e. animæ rationali Christi, quæ cum esset naturaliter discursiva, poterat illas species applicare modo suæ naturæ proportionato ad eliciendam illativam cognitionem ex alterius subjecti inadæquata cognitione.

Objicies secundò. Poterit saltem Angelus discursum formare de supernaturalibus, tunc manifestè;

trè, cùm ex cognitione naturalium attingit cognitionem supernaturalium. Si enim tunc supernaturalia non attingeret arguitivè, attingeret uno simplici intuitu videndo supernaturalia in naturalibus: sed hoc non potest: quia supernaturalia contineri non possunt in naturalibus, nisi secundùm potentiam obedientialem, quam Angelus naturaliter non cognoscit.

Sed contrà est, quòd sicut gratia non destruit, sed perficit naturam, ita & cognitio supernaturalium non evertit modum cognoscendi naturalem in Angelo, præsertim, cùm lumen supernaturale ex se nullò modò exigat esse discursivum: ergo etiam in cognitione supernaturalium Angelus non procedit discursivè.

Unde ad argumentum Respondeo, quòd Angelus uno simplici intuitu in effectu naturali quandoque cognoscat causam supernaturalem; non secundùm distinctam, sed communem & confusam rationem ordinis supernaturalis, e. g. cùm naturaliter videt hominem à mortuis resuscitatum, vel absentiam creatæ personalitatis in Christo, hâc ipsâ cognitione sine ulla illatione judicat adesse causam superiorem omni naturâ, à qua ille effectus procedat. Neque est absurdum, ut causa supernaturalis secundùm communem rationem ordinis supernaturalis connectatur, & in esse manifestabilis contineatur in aliquo naturali, ita e. g. omnipotentia Divina, ut excedens omnem causam creatam contineatur in natura resuscitata, & humanitate carente propriâ subsistentiâ, hôc ipsô, quòd talis effectus à nulla causa creata sit producibilis.

7. Instabis primò. Hâc ratione dæmones nunquam errarent, aut deciperentur in conjecturali judicio de supernaturalibus, & conjecturalibus: quod est contra D. Th. hîc q. 58. a. 5. Sequela probatur. In simplici cognitione unius rei in altera propter habitudinem, & connexionem cum illa non est error; sed dæmones simplici intuitu cognoscerent supernaturalia in naturalibus propter habitudinem & connexionem cum illis: ergo non errarent.

Respondeo, negando sequelam, & dico, dæmones errare & decipi in judicando, non quidem per se, h. e. ex defectu sufficientis virtutis ad judicandum, sed per accidens. h. e. ex affectata & practica inconsideratione, cùm per suæ speciei partialem suppressionem judicant aliquid ut certò & absolutè connexum, quod non nisi probabiliter & conjecturaliter cum altero est connexum, ut e. g. dæmon videat hominem gravibus concupiscentiæ motibus tentatum, species ipsi repræsentat illos motus sub disjunctione vel cum consensu vel cum dissensu voluntatis conjunctos. Quòd si tamen voluntariè, suppressâ alterâ parte disjunctionis judicet absolutè illos motus cum consensu conjunctos, falli & errare poterit.

8. Instabis secundò. Hinc sequi, quòd eadem cognitio simul esset intuitiva & abstractiva; simul certa & incerta, clara & obscura, naturalis & supernaturalis: hoc autem Molinæ videtur impossibile.

Respondeo ad prima tria membra. Nullum ex his esse absurdum in ordine ad diversa objecta; ipsa sanè Divina intellectio est intuitiva respectu suæ essentiæ, abstractiva respectu creaturarum possibilium. Denominatio quippe intuitivi & abstractivi desumitur ex terminatione ad diversa objecta materialia: cum ergo idem actus possit ad diversa objecta terminari, quorum unum ratione exercitæ suæ existentiæ sit aptum videri; alterum ex opposita ratione non sit aptum intuitivè videri; poterit quoq; una eadémq; cognitio simul habere denominationem intuitivæ & abstractivæ: sed neque repugnat eandem cognitionem, ut & speciem respectu diversorum objectorum esse evidentem & inevidentem, certam & incertam, quemadmodum eadem visio corporea rem distantem confusè, propinquam clarè percipit.

Ad ultimum membrum Respondeo. Si cognitio directè terminetur ad objectum supernaturale, fore supernaturalem, quamvis indirectè attingat objectum naturale; sic Angelus sub lumine fidei attingens Christi Humanitatem, attingit risibilitatem, aliásque humanæ naturæ conditiones.

Instabis tertiò. Angeli consultant & mirantur super mysteriis supernaturalibus, veluti patet ex Psal. 23. *Quis est iste Rex gloriæ?* Is. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom.* Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit? &c.* Sed hæc non fiunt absque discursu: ergo. 9.

Respondeo, consilium in Angelis non esse, quantùm ad formalem inquisitionem, sed quantùm ad certitudinem judicii & sententiæ de rebus agendis; similiter admirationem Angelis non concedendam, quoad comparationem & collationem effectûs cum sua causa, sed præcisè quoad simplicem cognitionem causæ occultæ. Unde isti actus potiùs virtualiter, quàm formaliter sunt in Angelis.

Objicies tertiò. Unus actus voluntatis v. g. intentio potest in Angelo causare alium actum v. g. electionem: ergo etiam una cognitio poterit ex altera causari. Consequentia probatur. Uti se habet in voluntate intentio finis, ita in intellectu cognitio principiorum: ergo sicut intentio finis potest movere ad electionem mediorum, ita cognitio principiorum potest causare notitiam conclusionum. 10.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Quia causalitas cognitionum pugnat cum perfectione intellectûs Angelici; non autem causalitas volitionum cum perfectione voluntatis. Cujus ratio est: quòd, ut loquitur S. D. q. 60. a. 2. in c. *actus appetitivæ virtutis est secundum ordinem appetitûs ad res*, ut in se sunt, unde quia in rebus aliquid est per se bonum & appetibile, aliud verò tantùm est bonum & appetibile propter aliud, non est imperfectio appetentis, si, quod est appetibile ratione sui, intendat ut finem; aliud verò, quod non est appetibile ratione sui, sed propter aliud, eligat ut medium. Econtrà verò cognitio fit, *secundùm quod cognitum est in cognoscente*; est autem imperfectio cognoscentis, si species & objecta intelligibilia non habeat sufficienter conjuncta, quod sequeretur, si per formalem discursum ab uno moveretur ad aliud.

§. III.

Removetur compositio & divisio.

Conclusio secunda. *Angelus non intelligit componendo, aut dividendo.* Ut hîc a. 4. S. D. 11.

S. D. Noster enim intellectus componit, ac dividit, non ideo præcisè, quia utitur diversis speciebus ad cognitionem subjecti & prædicati; sed quia apprehenso uno extremo, non statim videt convenientiam, aut repugnantiam cum alio extremo, ideóque est ipsi necessaria conferentia unius extremi cum altero, ut visâ utriusque convenientiâ vel disconvenientiâ possit unum cum altero vel componere affirmando, vel ab altero dividere negando: sed de perfectione Angelici intellectûs est, ut sicuti species ipsius repræsentant in principiis conclusiones, ita in uno extremo cognito videat habitudinem, aut repugnantiam cum omni alio extremo, adeóque intellectus ipsius nec componit nec dividit.

Neque dicas. Si cognitio, quâ Angelus simultè cognoscit objectum naturale & supernaturale, non esset composita: esset simul naturalis & supernaturalis: sed hoc est inconveniens: ergo.

Respondeo negando sequelam. Et dico, si objectum, quod per se primò attingitur, sit supernaturale, etiam cognitionem fore supernaturalem, quantumvis objectum, quòd secundariò attingitur, sit naturale, sin' objectum, quod per se primò attingitur, sit naturale, cognitio quoque erit naturalis.

DISPUTATIO XXXII.

DE

Voluntate Angeli.

COgnitionem appetitus, intellectum voluntas sequitur: Unde S. D. q. 59. & 60. disputat an, & quomodo in Angelis voluntas datur, ubi prætermissis, quæ ex Tract. de anima constare possunt, ea solùm determinabimus, quæ ad necessariam, vel liberam Angeli dilectionem pertinent.

ARTICULUS Unicus.

Quænam objecta Angelus liberè & necessariò amet?

SUMMARIA.

1. *Angelus necessariò amat seipsum quoad specificationem.*
2. *Et quoad exercitium.*
3. *Nec minùs necessitatur ad amandum DEUM ut Authorem naturæ.*
4. *Et quidem plùs, quàm seipsum.*
5. *Unde dæmones DEUM tantùm aversantur ut Judicem.*
6. *Nec sunt naturaliter, sed moraliter à DEO aversi.*
7. *Alios Angelos diligunt necessariò quoad specificationem, ut sunt unum in natura.*

1. CONCLUSIO I. *Angelus necessitatur ad amorem sui tam quoad* (1.) *specificationem, quàm* (2.) *quoad exercitium.* Ratio primæ partis est: quòd voluntas est tantùm boni; bonum verò dicitur, quod est supposito conveniens; ergo Angelus non potest velle, nisi quod sibi conveniens: sed velle sibi bonum, est se amare: ergo.

2. Ratio secundæ partis est primò. Voluntas sequitur cognitionem; sed Angelus semper est in actuali cognitione suiipsius, tanquam objecti summè proportionati: ergo etiam semper est in actu amandi seipsum.

Secundò. Si Angelus posset liberè cessare à dilectione suiipsius, deberet ipsi in actuali sui dilectione apparere aliquod tædium, aut difficultas: sed nulla potest apparere: ergo.

3. CONCLUSIO II. *Angelus pariformiter necessitatur* (1.) ad DEUM *ut Authorem naturæ* diligendum (2.) *& quidem plùs, quàm seipsum.* S. D. a. 5.

Ratio primæ partis est: Angelus non potest efficaciter sibi velle proprium esse, aliaque bona naturalia, nisi etiam amet & velit illa, à quibus per se dependent; sed per se dependent à DEO, ut Authore naturæ: ergo quàm necessariò seipsum diligit, & vult sibiipsi efficaciter bona naturalia, tam necessariò diligit DEUM ut Authorem naturæ.

Ratio secundæ partis est: Inclinatio & dilectio, quâ Angelus se, DEUMque prosequitur, debet esse recta, utpote à DEO ipso insita: sed recta & ordinata dilectio petit, ut plùs ametur DEUS tanquam bonum totius, quàm Angelus tanquam bonum partis: ergo.

Neque opponas primò. Quòd dæmones DEUM odio habeant. Ex quo non videntur posse simul ipsum naturali dilectione prosequi. Secundò, quòd ab ipso sint aversi per peccatum, tam ut ultimo fine naturali, quàm supernaturali: non ergo per dilectionem naturalem possunt in ipsum esse conversi.

Nam Respondeo ad 1. dæmones sub diversa ratione DEUM diligere & aversari. Diligunt ut Authorem & conservatorem sui esse; aversantur quatenus Judicem & Authorem suppliciorum.

Ad 2. Respondeo. Dæmones per peccatum sunt à DEO aversi naturaliter, nego, moraliter, concedo. Ex mala nempe circumstantia, quòd dilectionem DEI ut ultimi finis naturalis, non subordinant dilectioni ipsius, ut ultimi finis supernaturalis.

CONCLUSIO III. *Unus Angelus diligit Angelos, quatenus secum in natura conveniunt, diligit necessariò quoad specificationem, non quoad exercitium.* S. D. hic a. 4. Ratio primæ partis est. Quòd Angelus alterum odisse non potest,

est, quatenus est unum cum ipso, sed quatenus in prædicatis genericis convenit, est unum cum ipso: ergo. Dixi: quatenus in natura convenit, nil enim impedit, quin simul bonus malum, & malus bonum odio habeat, quatenus differt in bonis naturæ superadditis. Ratio secundæ partis est, quòd amor sequitur cognitionem: ergo sicuti unus Angelus non necessariò de altero semper cogitat; (uti nec de aliis creaturis) ita & illum non semper actu diligit.

DISPUTATIO XXXIII.

DE

Gratia & merito Angelorum.

Consideravimus Angelos secundùm suæ naturæ statum ac conditionem, nunc cum S. D. in q. 62. eosdem contemplamur secundùm perfectionem gratiæ & gloriæ, naturæ superadditam. de qua quæritur primò. Fuerintne Angeli creati in gloria? Secundò, an saltem in gratia? Tertiò. An ad gloriam veluti viatores tendendo seu merendo, & quantâ temporis duratione pervenerint? Unde sit

ARTICULUS I.

An Angeli fuerint in sua creatione beati?

SUMMARIA.

1. *Divisio beatitudinis in naturalem & supernaturalem, simpliciter & secundùm quid.*
2. *Angeli sunt creati in naturali beatitudine,*
3. *Non in supernaturali.*
4. *Authoritates in contrarium.*
5. *Locus Ezechielis exponitur.*
6. *Quo sensu D. Augustinus neget Angelos bonos fuisse peregrinatos à Domino?*
7. *Quomodo omnes Angeli fuerint participes lucis?*
8. *Non sequitur damones esse beatos beatitudine naturali.*

§. I.

Adstruitur beatitudo naturalis, non supernaturalis.

1. PRænotandum, duplicem esse beatitudinem, naturalem, & supernaturalem. Naturalis est ultima perfectio, ad quam natura Angelica potest per vires naturæ pervenire, seu perfectissima operatio circa optimum objectum, quæ est naturalis abstractiva cognitio, & dilectio DEI tanquam Authoris naturalis. Supernaturalis consistit in perfectissima operatione supernaturali, quam esse beatificam & claram DEI visionem dicemus in prima secundæ. Cæterùm beatitudo vel est simpliciter & perfectè, vel est imperfectè talis, & secundùm quid. Perfectè & simpliciter talis est, quæ se solâ explet rationalem appetitum, estque simpliciter inamissibilis: imperfectè talis, & secundùm quid, se solâ non explet appetitum rationalem, & simpliciter amitti potest.

2. CONCLUSIO. *Angeli in primo suæ creationis instanti fuerunt beati* (1.) *beatitudine naturali* (2.) *non supernaturali.* Et ratio primi est: Angelus in primo suæ creationis instanti habuit perfectissimam non minùs cognitionem, quàm dilectionem naturalem DEI ut Authoris naturæ: ergo habuit perfectissimam operationem intra limites naturæ circa optimum objectum sui appetitûs satiativum: sed hæc est beatitudo naturalis: ergo.

Ratio secundi est: quia vel habuissent beatificam visionem (in qua illa beatitudo consistit) transeunter, vel permanenter: non transeunter; nam visionem pro primo & unico instanti Angelis fuisse communicatam, móxque iterum subtractam, in eum finem, ut illam Angeli proprio actu mereri possent, gratissimè & absque ullo S. Scripturæ & rationis fundamento dicitur. Non permanenter: primò, quia meritum & via non stat cum præmio & termino viæ; sed gloria, seu visio beatifica, juxta Concilia & PP. confertur Angelis ex merito, & per modum præmii: ergo. Secundò, quia Angeli potuerunt deviare & excidere à termino vitæ æternæ, ac de facto multi peccando exciderunt: at non potuissent excidere, si gloriam habuissent permanenter collatam, partim ex conditione gloriæ, quæ ab intrinseco petit esse inamissibilis, & peccabilitatem excludit, partim ex conditione naturæ Angelicæ, cujus arbitrium post perfectam electionem est ab intrinseco inflexibile. 3.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies varias Authoritates: inprimis ex S. Scriptura illud Ezech. 28. *In deliciis paradisi DEI fuisti:* sed paradisus DEI videtur esse vita & beatitudo æterna. 4.

Secundò. D. August. 11. de civit. c. 9. dicit *bonos Angelos nunquam fuisse peregrinatos à DEO:* ergo nunquam fuere viatores. Si nunquam viatores: ergo semper comprehensores & beati. Tertiò idem S. Pater l. cit. c. 22. habet: quòd Angeli *à principio fuerint participes lucis & claritatis æternæ.*

Respondeo ad 1. per *delicias paradisi DEI* intelligi dona supernaturalia, quibus Angeli in cælo Empyreo, qui *paradisus DEI* dicitur, fuerunt exornati. 5.

6. Ad 2. est duplex *Responsio*. Primò. Quòd via seu status merendi Angelorum fuerit tam brevis, ut pro peregrinatione (quæ longiorem viam significat) reputari non debeat. Secundò & meliùs, quòd boni Angeli nunquam à DEO peccando recesserint, sicut Lucæ 15. Filius prodigus dicitur *peregrè profectus*, quia à statu gratiæ peccando deflexit.

7. Ad 3. Respondeo. Ly *à principio* accipi posse vel pro initio & primo instanti creationis, & tunc per ly *lucis* & *claritatis* non intelligi visionem beatificam, sed præstantem cognitionem mysteriorum gratiæ extra Verbum, quam omnes Angeli habuerunt: vel pro duratione proximè consequente Angeli & mundi creationem; & tunc sensus erit, solos bonos Angelos statim & non diu post suam creationem fuisse elevatos ad visionis beatificæ claritatem.

8. Objicies ex ratione. Sequitur ex nostra assertione, quòd dæmones de facto essent beati saltem beatitudine naturali: sed hoc est falsum: cùm naturalis beatitudo consistere nequeat cum summa miseria naturali, quam dæmones æternis suppliciis cruciati patiuntur. Sequela probatur primò, quia de ratione beatitudinis est, quòd sit inamissibilis: ergo si Angeli habuerunt in primo instanti creationis beatitudinem naturalem, illam etiamnum inamissibiliter obtinent. Secundò. Quia juxta D. Dion. *naturalia in dæmonibus manserunt integra*, sed beatitudo naturalis est quid purè naturale, quippe consistens in naturali cognitione & dilectione DEI Authoris naturæ: ergo.

Respondeo negando sequelam, cujus primam probationem ita distinguo: de ratione beatitudinis simpliciter est, quòd sit inamissibilis, concedo, de ratione beatitudinis secundùm quid, nego antecedens & consequentiam. Nam beatitudo naturalis non est beatitudo simpliciter, sed secundùm quid. Suppositâ namque elevatione naturæ intellectualis in finem & beatitudinem supernaturalem, jam beatitudo naturalis alteri supernaturali subordinata (sicque non nisi beatitudo secundùm quid) se solâ nequit explere appetitum rationalem, & illâ amissâ ipsa quoque indirectè & ex consequenti amitti potest. Ad 2. quoque probationem distinguo majorem. naturalia in dæmonibus manserunt integra, quoad entitatem & in ordine Physico, concedo (& ita intelligendum est illud axioma è D. Dionys. desumptum) quoad omnem modum perfectionis, & in ordine morali, nego. Sed beatitudo naturalis est quid naturale, pertinens tamen ad ordinem moralem, & includens rectitudinem voluntatis, concedo, non pertinens ad hunc ordinem, nec includens rectitudinem voluntatis, nego minorem & consequentiam.

ARTICULUS II.

An, & quâ suâ dispositione Angeli fuerint creati in gratia?

SUMMARIA.

1. *Authoritate probatur omnes Angelos esse creatos in gratia.*
2. *Ratio Doctoris Angelici.*
3. *Exponitur, quomodo diabolus ab initio peccaverit?*
4. *Exponitur dictum Joannis Papæ.*
5. *Sufficit gratiæ prioritas & medietas naturæ inter naturam & gloriam.*
6. *Angelus proprio charitatis actu fuit dispositus ad gratiam.*
7. *Ille actus erat imperfectè liber.*
8. *Tametsi esset ex gratia, potuit disponere ad gratiam.*
9. *SS. PP. adstruunt proportionem gratiæ secundùm gradum naturalis perfectionis in Angelis.*
10. *Ratio Doctoris Angelici.*
11. *Non tamen perfectio naturalis est dispositio, vel motivum ad majorem gratiam.*
12. *Disparitas de homine, & operatione naturali.*

§. I.

Adstruitur Angelorum creatio in gratia.

1. CONCLUSIO. I. *Omnes Angeli fuerunt creati in gratia.* S. D. hîc a. 3.

Probatur primò ex illo Ezech. 28. ubi de Lucifero; *Tu, Cherubin in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ergo habuit Angelus perfectionem ab initio suæ creationis, quam peccando amisit: sed hæc non fuit naturalis: ergo supernaturalis, quæ potissimùm in gratia & charitate consistit.

Probatur secundò. Authorit. SS. PP. è quibus D. Hieron. in Os. c. 3. *sicut dæmones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ possidentes aridi sunt.* Et in illud Job. 4. *Et in Angelis suis reperit pravitatem, dicitur*, inquit, *Diabolo, qui quondam sanctus Angelus fuit.* D. Gregor. verba Ezech. suprà citata explanans l. 32. Moral. c. 13. *quia*, inquit, *inter Angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloriæ conditionis extitit.*

Probatur 3. ratione. DEUS Angelos condidit in ordine ad gloriam propriis actibus & meritis, ut dicetur, consequendam: sed hanc per merita non potuerunt consequi sine gratia; ergo DEUS ipsis contulit gratiam seu principium meriti & semen gloriæ. Subsumo: atqui DEUS rebus omnibus ab initio suæ conditionis indidit semina virtutem ad producendos effectus, quibus finis præstitutum consequerentur: ergo etiam Angelo ab initio suæ creationis collata fuit gratia, quâ posset actus meritorios producere & gloriâ coronari.

Confirmatur à paritate Adami, cui gratiam sanctificantem initio creationis concessam fuisse, definitum est à Trid. Sess. 5. Can. 1. Nil minus igitur de Angelis quoque est sentiendum.

Neque obstat primò. Illud Jo. 8. ubi dicitur; *ab initio diabolus peccat.* Nam primò ly *initium* non est accipiendum Mathematicè pro primo instanti creationis, neque enim in illo Angelum peccare potuisse dicetur in seq. sed moraliter pro

dura-

durâtione non multum distante à prima creatione. Secundò juxta expositionem S. D. q. 63. a. 5. ad 3. ex D. Aug. 11. *de Civit.* desumptam, *non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, scilicet quia nunquam a peccato recessit.*

4. Neque obstat secundò Authoritas Jo. Papæ in c. *vi sis litteris* 16. q. 2. de diabolo dicentis: *dolet enim satis & erubescit, charitatem, quam in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea natura tenere in terris.* Nam ly *habere* hoc loco accipitur in sensu, quo & ly *tenere*, pro *constanter possidere*, sicque S. Pontifex loquitur solùm de charitate perseveranter conservata, non de primò acquisita.

5. Nec obstat tertiò, quòd gratia sit media inter naturam & gloriam, quia hæc medietas & prioritas inter naturam & gratiam, non est necessariò temporis, sed naturæ, ut patet in Adamo.

§. II.

Fuerintne Angeli dispositi ad gratiam?

6. CONCLUSIO II. *Angelus ad gratiam in primo sua creationis instanti acceptam fuit dispositus per proprium actum charitatis.* Ita communis Thomist. contra Capreolum, & Molinam.

Ratio est: de Lege DEI ordinaria nulli viatori adulto infunditur gratia, sine propria liberi arbitrii dispositione & motu, ut aliunde suppono, sed Angeli se habent, sicut Viatores adulti, siquidem in illis nulla fuit rationis infantia; ergo gratia fuit ipsis concessa juxta cujusque propriam dispositionem: sed motus liberi arbitrii proximè disponens ad gratiam est, & in Angelo alius esse non potuit, quàm actus charitatis: ergo.

7. Dices tamen primò. Si Angelus in primo instanti suæ creationis elicuisset actum charitatis, non potuisset in secundo instanti peccare, consequens est falsum: ergo. Sequela probatur. Angelus est inflexibilis arbitrii (ut infrà dicetur) ita ut, quod semel elegerit, respuere non possit. ergo si in primo instanti creationis DEUM super omnia dilexisset, etiamnum diligeret.

Respondeo, negando sequelam, cujus probationem distinguo. Angelus, quod semel ex perfecta deliberatione & propria applicatione elegerit, respuere non potest, concedo, ex imperfecta libertate & extrinseca applicatione, ac speciali DEI motione nego. In primo autem instanti speciali DEI motione Angelus applicatur ad dilectionem, in secundo primùm semetipsum ex perfecta deliberatione applicat, & movet in finem, de quo in sequentibus.

8. Dices secundò. Actus Charitatis, quem habuit Angelus, necessariò est ex gratia: ergo non disponit ad gratiam. Consequentia probatur. Si disponeret, esset prior gratiâ; sed non potest esse prior hoc ipsò, quòd procedat ex gratia: ergo.

Respondeo ex iis, quæ docentur de gratia, negando consequentiam, & probationem distinguo; esset prior in genere causæ materialis, & dispositivæ, concedo, formalis, vel efficientis, nego, & similiter distincta minore, nego consequentiam,

§. III.

Mensura gratiæ Angelicæ.

9. CONCLUSIO III. *Angeli gratiam, consequenter gloriam acceperunt juxta proportionem & inæqualitatem naturalis perfectionis.* Ita S. D. a. 6.

Probatur primò authoritate SS. PP. è quibus D. Basilius l. d. Spiritu S. c. 16. ait: *Cælorum virtutes non suâpte naturâ sanctæ sunt, sed juxta proportionem, quâ se invicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram.* Et Damasc. 2. de fide c. 3. *per Verbum igitur Angeli omnes creati sunt, ac per sancti Spiritûs sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, ut pro sua quisque dignitate & classe luminis, gratiæque participes sint.*

10. Probatur secundò ratione. Perfectior effectus à sapiente artifice ordinatur in finem perfectiorem: sed DEUS Angelos ordinat in finem beatitudinis æternæ: ergo perfectiores Angelos ordinat in perfectiorem beatitudinem, sed beatitudo confertur juxta gradum gratiæ, quæ est semen gloriæ: ergo perfectior Angelus accipit perfectiorem gratiam.

11. Cæterùm cùm dicimus, Angelo perfectiori secundùm naturam conferri perfectiorem gratiam, non volumus, quòd ipsa natura sit vel ratio mensurans, vel dispositio vel initium, vel motivum aliquod Divinæ gratiæ, quod contra Pelagianos & Semipelagianos rejectum ex Tract. de gratia supponimus; sed quòd DEUS juxta Divinæ suæ artis sapientissimam dispositionem, quam ex SS. PP. dictis colligimus, perfectiores Angelos ad perfectiorem gratiam & gloriam extrinsecè ordinaverit, & juxta quantitatem naturalis perfectionis extrinseco suo & gratuito beneplacito quantitatem gratiæ & gloriæ mensuraverit.

12. Oppones primò: In hominibus gratia non confertur secundùm majorem perfectionem naturæ: ergo neque in Angelis. Secundò non datur perfectior gratia & gloria intuitu perfectioris operationis naturalis; ergo neque intuitu perfectioris naturæ.

Respondeo negando utramque paritatem. Et ad 1. ratio disparitatis est, quòd diversitas formalis & specifica est ob diversitatem finis, non autem diversitas tantùm materialis, vel accidentalis: atqui in Angelis est diversitas formalis & specifica; in hominibus verò tantùm materialis vel accidentalis: & sic conveniens erat perfectiores Angelos ordinari ad perfectiorem gratiam & gloriam, non autem perfectiores homines. Ad 2. quoque disparitas est: quòd si major gratia daretur intuitu perfectioris operationis naturalis, censeretur tribui per modum mercedis, siquidem meritum in operatione consistit: at cùm tribuitur major gratia intuitu perfectioris naturæ, tantùm censetur tribui propter extrinsecam ordinationem creantis; quâ nempe DEUS libero suo beneplacito perfectiorem Angeli naturam ad perfectiorem gratiam & gloriam ordinavit. Unde natura Angelica non se habet vel ut dispositio, vel ut motivum vel initium, aut ratio mensurans Divinæ gratiæ, sed præcisè ut subjectum Divinæ ordinationis, neque in rigore loquendo, dicendum

dum est, quòd DEUS intuitu perfectioris naturæ det majorem gratiam, sed quòd secundùm proportionem naturalis perfectionis det gratiam supernaturalem.

ARTICULUS III.

An & quantô tempore Angeli meruerint suam beatitudinem?

SUMMARIA.

1. *Authoritas SS. PP. pro merito beatitudinis.*
2. *Ratio, proportionatus modus assequendi suam beatitudinem.*
3. *Etiam omnes Angeli in primo creationis instanti merebantur beatitudinem.*
4. *Dubium de libertate actûs.*
5. *Defenditur libertas.*
6. *Respondetur ad rationem dubitandi.*
7. *Quid sint instantia viæ Angelicæ.*
8. *Via malorum*
9. *Et bonorum Angelorum constat tribus instantibus.*
10. *Angeli boni consecuti beatitudinem statim post instans plenæ libertatis.*

§. I.

Adstruitur meritum beatitudinis.

1. CONCLUSIO I. *SS. Angeli meruerunt beatitudinem.* Ita D. Th. hic a. 4. cum comm. DD. & SS. PP. è quibus clarissimè D. Gregor. M. hom. 7. in Ezech. *Natura Angelica, quando creata est, liberum accepit, utrùm vellet in humilitate persistere, & in omnipotentis DEI conspectu permanere: an ad superbiam laberetur, & à beatitudine caderet; sed quia cadentibus aliis, sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent.* Et D. Anselm. l. d. cas. diab. c. 24. *palam igitur est, quia sicut illi* (malo Angelo) *non posse recuperare, quod deseruit, est pœna peccati: ita huic* (bono Angelo) *non posse deserere, quod tenuit, est præmium justitiæ.*

Ratio est: quælibet creatura pertingit ad suum
2. finem per propriam operationem proportionatam naturæ, & fini ipsius; unde si agens sit naturale, finem suum actione naturali consequitur; si morale, ut natura intellectualis, etiam moraliter, h. e. meritoriè, illum consequitur: atqui Angelus (agens intellectuale & morale) est creatus ad obtinendam beatitudinem supernaturalem: ergo etiam illam meritoriè consequitur.

3. CONCLUSIO II. *Angeli omnes in primo instanti suæ creationis meruerunt gloriam per actum charitatis.* Ita S. D. hîc q. 63. a. 5. ad 3. & 4. & a. 6. in c. quamvis aliquando videatur sensisse oppositum, nempe q. 16. de malo. a. 4. ad 3. Ratio est, quòd actui charitatis in primo instanti elicito nil desit, quò minùs sit & dicatur meritorius: nam est actus viatoris, in gratia constituti, supernaturalis, & in ultimum finem supernaturalem relatus & liber.

4. De ultima conditione solâ potest esse dubium. Nam quo pacto potest actus esse liber pro eo instanti, pro quo non poni non potuit? sed pro eo instanti non poni non potuit, quia Angeli voluntas ad illum actum specialiter fuit à DEO determinata, & si Angelus illum omisisset, peccâsset, supposito præcepto dilectionis: atqui Angelus in primo instanti peccare non potuit, ut dicetur inferiùs.

Sed nihilominùs etiam ista conditio non defuit, actui dilectionis ab Angelo in primo suæ creationis instanti elicito: ut licèt non haberet plenam & completam libertatem contrarietatis, quæ sufficeret ad peccandum; haberet tamen inchoatam libertatem & contradictionis, quæ sufficeret ad merendum. oportebat enim Angelicam creaturam etiam in illo instanti modo suæ naturæ proportionato operari, & à DEO ad operandum applicari; sed modus operandi creaturæ Angelicæ pro illo statu proportionatus fuit, ut liberè operaretur; ergo sic fuit operata, atque ad talem operationem à DEO applicata.

5. Ad rationem dubitandi Respondeo. Illum actum potuisse non poni absolutè & in sensu diviso; non potuisse non poni in sensu compositi, & ex suppositione tum præcepti tum applicationis Divinæ; quæ necessitas quia non est antecedens, sed consequens, juxta doctrinam Thomisticam in Tract. de gratia, non tollit libertatem dilectionis Angelicæ. Nec ideo Angelus in primo instanti peccare potuit; quia non poterat illum actum omittere in sensu composito præcepti, & cum indifferentia contrarietatis ad bonum & malum; sed solùm in sensu diviso præcepti & cum indifferentia exercitii & contradictionis: de quo plura partim in Tract. de incar. partim de grat.

§. II.

Instantia viæ Angelicæ.

VIa Angelorum est status merendi, quo pote-
7. runt tendere & pervenire ad terminum vitæ æternæ. Instantia Angelica non sunt momenta nostri temporis Mathematicè indivisibilia, sed operationes Angelicæ, unde tot sunt ponenda instantia pro duratione viæ Angelicæ, quot diversis operationibus illa absolvitur.

CONCLUSIO I. *Malorum Angelorum via*
8. *constat tribus instantibus.*

Ratio est, Quia tot sunt diversæ operationes ipsorum vel intrinsecè componentes statum viæ, vel illum extrinsecè terminantes. Nam in primo instanti creationis erant per supernaturalem dilectionem conversi in DEUM: postea per peccatum à DEO liberè aversi. Tertiò in statu damnationis summâ tristitiâ affecti, odio DEI ac desperatione repleti. Adde, quòd Angelus in uno instanti non possit mutare locum, ut suprà dictum; cum ergo malus Angelus fuerit de cœlo in infernum detrusus, necesse est, poni duo instantia, in quorum uno ultimò fuit in cœlo, in altero verò primò fuit in inferno.

CONCLUSIO II. *Etiam bonorum Angelo-*
9. *rum via tribus constat instantibus.* Nam & *in his reperitur triplex saltem moralis differentia operationum.* Nam *in primo amabant suam naturalem excellentiam* ac perfectionem cum subjectione & sub-

subordinatione ad finem supernaturalem, sub judicio solùm indifferenti quoad exercitium, sine plena libertate. Deinde eandem suam perfectionem eodem modo amabant cum plena libertate etiam quoad specificationem, propriâ applicatione & novâ difficultate seu tentatione ex malo exemplo & scandaloso lapsu Angelorum peccantium. Tertiò elicuerunt actum visionis & amorem beatificum absque omni indifferentia. Unde licèt supernaturalis DEI dilectio fuerit eadem Physicè, fuit tamen propter diversitatem triplicis judicii practici, quo regulabatur, in esse moris ita diversificata, ut ad tria instantia & triplicem statum Angeli beati constituendum sufficeret.

10. Inferes ex dictis. Angelos suam beatitudinem consecutos fuisse (1.) non tantùm ante Christi resurrectionem (2.) & lapsum Adami (3.) sed statim post primum instans, in quo plenâ libertate sunt meriti.

Primum constat ex manifesta Authoritate S. Script. tum Daniel. 7. ubi dicitur. *Decies millies centena millia assistebant ei.* Quam assistentiam SS. PP. explicant de clara DEI visione; tum vel maximè ex Matth. 18. ubi Christus ante suam resurrectionem loquitur de Angelis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.*

Secundum itidem patet ex S. Script. referente Evam à Diabolo tentatam, & *invidiâ Diaboli* mortem introductam esse in mundum Sap. 2.

Tertii ratio est: quòd nulla sit ratio differendi præmium post perfectum Angeli meritum; cò quòd gratia perficiat subjectum juxta modum naturæ; At naturalis Angeli modus operandi per voluntatem est, ut per primum actum plenè liberum perfectè disponatur circa suum finem, eique immobiliter ad hæreat, ut in seq. dicetur; ergò etiam hoc modo disponebatur circa finem supernaturalem. Nec obstat Authoritas D. Greg. Nazian. or. 42. in Pasch. dicentis: *Hodie salus mundo tam visibili, quàm invisibili:* nam vel per mundum invisibilem intelligit animas PP. in limbo detentas, vel solùm vult Angelorum ruinas per Christi resurrectionem fuisse reparatas.

Cæterùm quanta proportionaliter ad nostrum tempus fuerit mora, quam in secundo viæ instanti mali Angeli peccando, boni perseverando insumpserunt, definiri non potest; brevissimam fuisse ex dictis patet, non tamen omnino instantaneam viderut ostendere modus loquendi, quo S. Script. pugnam inter malos, bonósque Angelos commemorat.

DISPUTATIO XXXIIII.

DE

Malitia, seu peccato Angelorum.

Ad q. 63.

DUplex malum Angelus peccando incurrit, malum culpæ & malum pœnæ. Nos cum S. D. q. 63. priùs de illo, postea de isto. Et quia occasione peccati etiam quæritur de peccabilitate, & impeccabilitate creaturæ, ideo sit

ARTICULUS I.

Utrùm dari possit creatura impeccabilis?

SUMMARIA.

1. *De facto non datur creatura simpliciter impeccabilis,*
2. *Duplex defectibilitas à DEO ut fine supernaturali, & naturali.*
3. *Indefectibilitas à fine supernaturali est impeccabilitas simpliciter: à fine naturali, secundum quid.*
4. *Contra finem naturalem peccari potest directè vel indirectè.*
5. *Impeccabilitatis implicantia monstratur Authoritate.*
6. *Ratio ex defectibilitate in essendo.*
7. *Quæ non tantùm infert Physicam, sed etiam moralem defectibilitatem in operando.*
8. *Nec creatura potest esse sua regula in operando.*
9. *Nec possunt ipsi deberi omnia principia rectè operandi supernaturaliter,*
10. *Impeccabilitas secundum quid adstruitur.*
11. *Angelus determinatur ad prosecutionem suæ beatitudinis naturalis in particulari.*
12. *Nec potest errare circa legem naturalem.*
13. *Dæmones ex odio DEI ut finis supernaturalis inducunt homines ad peccata præceptis naturalibus contraria.*
14. *Angelus in statu puræ naturæ haberet libertatem contradictionis ad implenda præcepta.*
15. *Potest Angelus naturaliter cognoscere finem supernaturalem in confuso.*
16. *Etiam in statu puræ naturæ Angelus esset remotè peccabilis.*

§. I.

Prænotanda circa statum quæstionis.

SUppono primò tanquam de fide certum, de 1.
facto nullam puram creaturam fuisse conditam, quæ esset simpliciter impeccabilis, siquidem non tantùm de hominum, sed etiam de Angelorum peccato clarè meminit sacer textus Job. 4. *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prævitatem, &c.* quæstio igitur solùm est de possibilitate creaturæ impeccabilis? De qua.

2. Suppono secundò. Cùm peccare nihil aliud sit, quàm deficere ab ultimo fine, ideo peccabilitatem quoque, nihil aliud esse, quàm defectibilitatem à DEO ut ultimo fine, & prima regula conducente ad ultimum finem. Quod dupliciter fieri potest, vel ut sit defectibilitas à DEO, ut ultimo fine supernaturali, qui est DEUS ut Author gratiæ in seipso intuitivè visibilis; vel à DEO, ut ultimo fine naturali, qui est DEUS ut Author naturæ abstractivâ cognitione assequibilis.

3. Porrò exclusio defectibilitatis à DEO ut ultimo fine supernaturali dicitur impeccabilitas simpliciter, quia cùm ratio ultimi finis naturalis sit subordinata ultimo fini supernaturali, hoc ipso quòd quis non possit deficere ab ultimo fine supernaturali, neque ab ultimo fine naturali, adeóque nullo modo possit deficere: estque proinde simpliciter impeccabilis. Exclusio verò defectibilitatis ab ultimo fine naturali tantùm dicitur impeccabilitas secundùm quid, quia cùm iste finis ultimus supra se habeat altiorem finem supernaturalem, eique subordinari possit; ideo fieri potest, ut quamvis aliqua natura circa ultimum finem naturalem sit indefectibilis, tamen adhuc ab ordine finis & regulæ supernaturalis possit deficere.

4. Suppono tertiò. Duplici modo posse contingere defectum & peccatum contra ultimum finem naturalem, directè vel indirectè. Directè fit, cùm peccatum ex specie actûs & objecti repugnat honestati, vel præcepto naturali. Indirectè, cùm peccatum ex specie actûs & objecti repugnat præcepto supernaturali, ex consequenti tamen etiam pugnat cum præcepto naturali, in quantum suppositâ elevatione naturæ rationalis in finem supernaturalem ipsa ratio naturalis dictat, non esse violandum ordinem Charitatis supernaturalis, per quem bonum rationis perficitur. Quibus positis Scotus in 2. dist. 23. q. un. §. *Dico igitur*, existimat magis Authoritate S. Augustini l. 3. contra Maximum. c. 13. & §. Anselmi in l. cur DEUS homo c. 10. quàm efficaciâ rationis deduci, non posse dari creaturam simpliciter impeccabilem; Econtrà Thomistæ sentiunt, ita concludendum esse etiam ex efficacia rationis.

§. II.

Excluditur impeccabilitas simpliciter.

5. CONCLUSIO I. *Implicat creatura rationalis ab intrinseco simpliciter impeccabilis.* S. D. hîc a. 1. & q. 24. de Verit. a. 7. & Scotus in 2. dist. 23.

Probatur primò S. Scripturæ & SS. PP. authoritate. Nam 1. Timoth. 6. dicitur de DEO, *qui solus habet immortalitatem*, ubi Apostolus juxta interpretationem SS. PP. DEO soli tribuit immortalitatem, ut oppositam morti peccati, h. e. impeccabilitatem. Ex PP. verò Hieron. Epist. 146. ait: *Solus DEVS est, in quem peccatum non cadit.* Et August. l. 3. *contra Maximinum.* c. 12. *Cuicunque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed DEI gratiæ.*

6. Probatur secundò ratione: Quisquis est defectibilis in operando, est etiam simpliciter peccabilis: sed omnis creatura ex intrinseca ratione creaturæ est defectibilis in operando, ergo etiam ex intrinseca ratione est simpliciter peccabilis. Major patet ex notando secundo. Minor probatur primò. Modus operandi sequitur modum essendi, h. e. non potest aliqua natura habere perfectiorem modum operandi, quàm sit perfectio & modus essendi, siquidem virtus operandi radicatur in modo essendi: sed omnis creatura ab intrinseco habet defectibilem modum essendi, ita, ut non minùs sit annihilabilis, quàm ex nihilo; ergo etiam habet defectibilem modum operandi.

Neque dicas. Hinc tantùm probari Physicam non etiam moralem defectibilitatem in operando. Nam contrà est: quia defectibilitas in attingendo finem, est defectibilitas moralis; sed ex nostra ratione omnis creatura rationalis habet defectibilitatem in attingendo finem: habet enim defectibilitatē in modo proprio operandi; sed modus proprius operandi creaturæ rationalis est operari propter finem: ergo creatura rationalis etiam habet defectibilitatem in attingendo finem.

Eadem minor probatur secundò. Agens indefectibile in operando, aut est ipsa regula operandi, aut immobiliter conjunctum cum regula diligente in finem, sic enim (est exemplum S. Doctoris) contingit aliquando manum in scindendo vel scribendo errare, quia ipsa non est regula, neque immobiliter conjuncta cum regula scindendi, vel scribendi, & ideo quandoque deviat à tali regula: atqui creatura rationalis nec est sua regula operandi, neque ipsi immobiliter conjuncta. Illa quippe sola voluntas est sua regula operandi, quæ non habet superiorem, ut est voluntas Divina: conjunctio quoque naturæ rationalis cum regula supernaturali & voluntatis creatæ cum Divina animante in finem supernaturalem fit secundùm potentiam obedientialem; adeóque non potest ipsi esse naturaliter & immobiliter debita.

Probatur tertiò. Si quæ creatura esset per naturam simpliciter impeccabilis, tunc ipsi deberentur omnia principia rectè operandi in ordine supernaturali: sed hoc implicat; jam enim non essent principia supernaturaliter operandi, si non transcenderent omnem ordinem & exigentiam naturæ. Rursus tali creaturæ tanquam immobiliter conjunctæ cum fine supernaturali connaturaliter deberetur gratia consummata, & lumen gloriæ, & esset ejusmodi creatura substantia supernaturalis, quæ omnia manent refutata ex dictis in 1. Tractatu de Visione. Ex quibus colliges assertionem D. Thomæ non minus pondus habere à ratione, quàm ab authoritate.

§. III.

Asseritur impeccabilitas secundùm quid.

CONCLUSIO II. *Potest dari creatura ab intrinseco directè impeccabilis secundùm quid, & solùm peccabilis per ordinem ad finem ultimum supernaturalem; imò Angeli de facto hoc modo sunt impeccabiles.* S. D. hîc ad 3. & q. 16. de malo a. 3. in c.

Ratio est primò. Creatura rationalis per actualem dilectionem ex necessitate naturæ semper conjuncta cum ultimo fine, non potest directè deficere ab illo, & consequenter est circa illum impeccabilis; atqui potest aliqua creatura per actualem dile-

dilectionem ita esse conjuncta cum ultimo fine, ut illum necessariò amet necessitate non solùm specificationis, sed etiam exercitii, imò de facto Angelos ita DEUM naturali dilectione diligere supra disp. 29. A. 2. vidimus: ergo.

12. Ratio est secundò. Ita se habet Angelus ad prosecutionem finis & beatitudinis naturalis in particulari, sicut se habet homo ad prosecutionem finis & beatitudinis naturalis in communi; sed homo necessitatur saltem quoad specificationem ad ejus prosecutionem, ita ut non possit ab illo deficere; ergo & Angelus hoc modo necessitatur ad prosecutionem finis ultimi, suæque beatitudinis naturalis in particulari. Major probatur. Nam sicuti hominis cognitio incipit ab universalibus, ideóque homo primitus determinatur solùm ad prosecutionem finis ultimi in universali; sic econtrà cognitio Angeli incipit à singularibus, ideóque determinat ad amorem finis ultimi in particulari.

13. Ratio est tertiò. Ut Angelus directè peccaret contra præcepta, & finem naturalem, deberet habere quemdam errorem & inconsiderationem immediatè circa finem & legem naturalem, ut supp. ex Tract. de Vit. & pecc. sed hoc dici non potest; ut patebit ex sequentibus: ergo.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

13. Objicies primò. Inducere alium ad peccandum contra legem naturalem, est peccare directè contra legem naturalem: sed dæmones sæpissimè inducunt homines in peccata contra naturam: ergo.

Respondeo distinguendo majorem. Inducere alium ad peccandum contra legem naturalem ex odio DEI ut ultimi finis naturalis, est directè contra legem naturalem, concedo, ex odio DEI ultimi finis supernaturalis, nego majorem. Sed dæmones ita inducunt homines ad peccatum ex odio DEI ut finis ultimi supernaturalis, concedo; naturalis, nego minorem & consequentiam. Sic enim ut dixi, tantùm indirectè, materialiter & mediatè peccant contra legem naturalem, in quantum peccare contra legem supernaturalem est contra bonum rationis, quod per legem naturalem præcipitur.

14. Objicies secundò. Sequeretur, quòd si DEUS condidisset Angelum in statu puræ naturæ sine elevatione in finem supernaturalem, quòd tamen per observantiam præceptorum naturalium nihil potuisset mereri: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Ut Angelus mereretur per observantiam præceptorum, tunc ista deberet ipsi esse libera, sed in statu puræ naturæ observantia præceptorum non esset ipsi libera, cùm transgressio illorum ipsi foret impossibilis propter impeccabilitatem circa finem naturalem.

Respondeo negando sequelam & probationem distinguendo: observantia præceptorum deberet ipsi esse libera libertate exercitii & contradictionis, concedo, specificationis & contrarietatis, nego. Ergo, inquis, potuisset non observare illa præcepta, sed non observare est illa transgredi, & peccare,

Respondeo negando sequelam. Potuisset enim in illo statu non facere rem præceptam tantùm præcisivè, & in sensu diviso præcepti, non etiam contrariè aut privativè, & in sensu composito præcepti; atqui non observare præceptum facit sensum compositū & privativum. Videantur, quæ in Tract. de incarn. de libertate & merito Christi non obstante ipsius impeccabilitate dicuntur.

15. Objicies tertio: Posset Angelus lumine naturali cognoscere finem supernaturalem, quod est absurdum: Sequela probatur. Angelus lumine naturali cognoscit se esse peccabilem: sed non cognoscit se peccabilem circa finem naturalem: ergo circa finem ultimum supernaturalem, & consequenter illum lumine naturali cognoscit.

Respondeo distinguendo sequelam. Posset naturaliter cognoscere finem supernaturalem sub confusa & communi ratione, concedo, sub aliqua distincta & particulari ratione, nego.

16. Objicies quartò. Sequeretur ex nostra secunda assertione, quòd Angelus in pura natura conditus foret eò ipsò simpliciter impeccabilis; consequens est contra primam assertionem: ergo & antecedens. Sequela probatur. Non posset peccare contra finem naturalem, neque directè, ut probant nostræ rationes; neque indirectè, cùm non esset subordinatus fini supernaturali, ratione cujus subordinationis solummodò potest indirectè peccare contra finem ultimum naturalem: neque contra finem supernaturalem posset peccare, quippe ad quem non est elevatus.

Respondeo negando sequelam; & dico, adhuc posse indirectè peccare contra ultimum finem naturalem, quia haberet potentiam & capacitatem obedientialem etiam in statu puræ naturæ, ut eleyaretur ad finem ultimum supernaturalem.

ARTICULUS II.

Utrùm Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis?

SUMMARIA.

1. *Angelus de facto in primo instanti non peccavit.*
2. *Sed neque in ullo statu naturæ peccare tunc potuit.*
3. *Primus actus Angeli adscribitur DEO, ut causæ specialiter applicanti.*
4. *Evasio Adversariorum depellitur.*
5. *Prima viventis operatio tribuitur generanti.*
6. *Primum dictamen practicum Angeli non potuit esse defectuosum.*
7. *Disparitas inter primum instans Angeli, & hominis pervenientis ad usum rationis.*
8. *Angelus in primo instanti non habuit omnia requisita ad peccandum.*
9. *Quomodo plus requiratur ad merendum, quàm demerendum?*
10. *Quo-*

10. *Quomodo prima operatio Angeli fuerit ex gratia speciali.*

§. I.

Negativa eligitur.

1. ANgelum de facto non tantùm naturâ malum non esse (ut Priscillianistæ & Manichæi blasphemabant) sed neque suâ voluntate & actu libero in primo instanti malum esse, certum est apud Scholasticos, & sequitur ex superiùs dictis in §. 2. & 3. disput. præcedenti, ubi ostendimus, Angelum non modò in gratia conditum fuisse, sed etiam in primo instanti suæ creationis meruisse. Quæritur ergo, an absolutè saltem fieri potuerit, ut Angelus in primo instanti sui esse peccaret? Affirmativa placet Scoto, Suarezio & aliis, negativam S. D. hîc a. 4. amplectitur; cum quo sit

2. Conclusio. *Angelus in primo instanti suæ creationis peccare non potuit.*

Ratio est primò Angelus aut fuisset conditus in statu puræ naturæ, aut elevatæ in finem supernaturalem. Si in statu puræ naturæ, fuisset non tantùm pro illo instanti, sed pro tota sua duratione impeccabilis, ut patet ex §. præced. Si in statu naturæ elevatæ, tunc fuisset conditus in gratia, sed peccatum actuale non potest pro eodem instanti simul stare cum gratia: ergo Angelus in primo instanti suæ creationis peccare non potuit.

3. Ratio est secundò. Si Angelus (eadem est ratio de alia quacunque creatura rationali) in primo instanti suæ creationis peccaret, illud peccatum esset à DEO, ut causa speciali; sed hoc est impossibile: ergo. Sequela probatur. Respectu illius actûs DEUS est causa specialis, ad cujus productionem voluntatem creatam solus & unicè applicat: sed in primo instanti ad actum producendum solus DEUS applicat voluntatem; ergo si ille actus sit peccaminosus, DEUS erit causa specialis illius peccati. Major videtur certa; illa enim est utique causa specialis, præter quam nulla alia est assignabilis, sed in ratione causæ applicativæ ad primam operationem Angeli, nulla est assignabilis præter DEUM: ergo. minor etiam probatur. Causa movens & applicans voluntatem ad suam operationem est illa, quæ causat notitiam & practicum dictamen in intellectu, ad quod proximè sequitur operatio ipsius voluntatis: sed in primo instanti solus DEUS potest causare notitiam & dictamen practicum intellectûs: nam voluntas Angeli non causat dictamen practicum intellectûs, nisi per actum proprium, sed in primo instanti & pro prima operatione non præsupponitur aliquis actus ipsius: ergo sola causa extrinseca, nempe DEUS, qui solus in intellectum Angeli illabitur, potest causare primam notitiam & judicium practicum, ad quod consequitur operatio voluntatis.

4. *Unde non dicas:* sufficere, quòd voluntas in primo instanti sit principium elicitivum suæ operationis, motum à DEO per concursum generalem, quo concurrit ad omnes operationes. Nam contrà est primò. Quòd voluntas non potest esse principium elicitivum suæ operationis, nisi quatenus est applicata & determinata per prævium dictamen practicum intellectûs: atqui in illo primo instanti seipsam non applicat ad primam operationem, aliàs jam non esset prima operatio Angeli contra hypothesin, & daretur processus in infinitum. Ergo est necesse, ut non tantùm DEUS per modum causæ universalis concurrat ad electionem actûs, sed etiam ut causando primam notitiam & dictamen practicum intellectûs voluntatem specialiter applicet, sicut & ipsa voluntas seipsam ad actus sequentes specialiter applicat, movendo intellectum ad actum Imperii, ut docetur in Tract. de actibus hum.

Contrà est secundò. Angelus non peccat, nisi seipsum movendo & applicando ad actum peccaminosum (aliàs enim operatio non est contrariè libera) sed in primo instanti seipsum non potest applicare & movere ad actum peccaminosum: ergo.

Confirmatur primò Operatio, quæ incipit cum esse rei, tribuitur generanti, & Authori ipsius naturæ: ergo si prima Angeli operatio esset peccaminosa, tribueretur DEO, tanquam Authori naturæ. Antecedens probatur. Prima operatio vitæ est quoddam complementum naturæ, consequens ad inclinationem ipsius: sed hoc tribuitur Authori naturæ, sicut & ipsa naturæ inclinatio: qui enim dat esse, dat etiam consequentia ad esse, qua de causa motus cordis in animalibus, item motus gravium & levium generanti adscribitur.

Confirmatur secundò. Si Angeli prima operatio esset peccatum, tunc primum judicium & dictamen intellectûs esset defectuosum & erroneum, non enim est peccatum in voluntate, quamdiu non præcedit error, aut inconsideratio in intellectu, veluti supp. ex Tract. de vit. & pec. Sed primum Angeli judicium non potuit esse defectuosum aut erroneum; cùm enim illa mala cogitatio præcederet omnem liberam electionem, ac determinationem voluntatis, esséque omnium prima, etiam esset necessariò à DEO immissa & causata, quod implicat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: Homo perveniens ad instans perfecti usûs rationis potest in illo instanti peccare mortaliter absque hoc inconvenienti, ut illud peccatum DEO ut speciali causæ tribuatur: Ergo etiam Angelus potest in primo instanti peccare mortaliter absque illo inconvenienti. Patitur probatur primò. Quia Angelus in primo instanti habet longè perfectiorem usum rationis, quam parvulus. Secundò. Quia sicut instans creationis est primum instans Angeli, ut Angelus est Angelico modo operans; ita instans usûs rationis est primum instans hominis, ut homo est, & humano modo operans.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quòd instans primæ operationis Angelicæ est Mathematicè & Physicè unum: in quo voluntas Angeli simultaneè applicatur ad amorem ultimi finis in particulari. Unde cum seipsam juxta supr. dicta applicare non possit ad talem actum, debet à principio extrinseco applicari. Econtrà instans usûs rationis in homine non est Mathematicè & Physicè, sed tantùm moraliter unum & integratum ex pluribus instantibus: Nam homo non nisi per discursum & pro-

cessum ab actibus imperfectis ad perfectos, & à propositione universali ad particularem tandem pervenit ad ultimum judicium practicum de ultimo fine in particulari. Complectitur ergo instans usûs rationis aliud instans initiativum, in quo nempe inchoatur discursus practicus, & excitatur cogitatio de prosequenda beatitudine in communi, aliud instans terminativum seu completivum, in quo videlicet completur deliberatio, & formatur ultimatum judicium practicum de ultimo fine in particulari. Operatio respondens instanti initiativo semper est bona, & à DEO specialiter movente & applicante; operatio verò respondens instanti terminativo non semper est bona, nec à DEO ut specialiter movente, quia voluntas per primam operationem in instanti initiativo jam sufficienter actuata potest defectuosè movere, & applicare intellectum, ut in suo discursu malè subsumat, ac tandem in ultimo instanti completivo practicè inferat, ultimum finem esse collocandum in bono sensibili. Unde defectus operationis in ipsam voluntatem hominis tanquam principium defectuosè applicans resunditur.

1. Objic. secundò. Angelus in primo instanti habuit omnia requisita ad peccandum: ergo tunc potuit peccare. Anteced. probatur. Quia in primo instanti habuit potentiam peccandi (utpote creatus ex nihilo) & libertatem: sed hæc sunt requisita sufficientia ad peccandum: ergo.

Respondeo, negando antecedens, & primum membrum probationis distinguo. Habuit in primo instanti potentiam peccandi, & pro illo instanti, nego, pro aliis consequentibus, concedo. Alterum quoque membrum distinguo. Habuit libertatem quoad exercitium tantùm, concedo, quoad specificationem, nego.

Instabis primò. Libertas exercitii sufficiebat 9.
Angelo ad merendum: ergo etiam ad demerendum. Consequentia probatur. Quia plus requiritur ad meritum, quàm ad demeritum, cùm bonum sit ex toto, malum verò ex quolibet defectu, ad peccatum sufficiat voluntarium indirectum, non item ad actum bonum.

Respondeo negando consequentiam, ejúsque probationem distinguo, plus requiritur ad meritum, quantùm ad causas bonitatis, concedo, quantùm ad causas libertatis, nego. ad meritum quippe (juxta doctrinam Thomistarum de merito Christi) sufficit libertas quoad exercitium, quæ salvatur per propositionem objecti, hîc & nunc eligendi, ut tamen posset absolutè non eligi; ad peccandum verò requiritur libertas contrarietatis ad bonum & malum.

Instabis secundò. Prima Angelorum opera- 10.
tio bona & supernaturalis fuit ex gratia speciali: ergo potuit DEUS denegare illam gratiam, sed si denegâsset, tunc Angelus peccâsset: ergo prima Angeli operatio potuit esse peccatum.

Respondeo, est ex gratia speciali, quatenus illa gratia est supernaturalis, & causativa valoris meritorii, concedo, quatenus est impeditiva peccati, nego. Sic enim est beneficium generale debitum Jure creationis, non verò gratia specialis.

ARTICULUS III.

Quodnam fuerit, aut potuerit esse primum Angeli peccatum?

SUMMARIA.

1. *In Angelo non potest esse veniale peccatum.*
2. *Sola peccata Spiritualia quoad affectum, alia quoad reatum possunt esse in Angelis.*
3. *Status quæstionis.*
4. *Superbia aliter generaliter, aliter accipitur specificè.*
5. *Superbiam fuisse primum peccatum Angeli docet Authoritas.*
6. *Nec aliud potuisse esse probat ratio.*
7. *Non subdi regulæ superioris aliquando est peccatum inobedientiæ, aliquando superbiæ.*
8. *Non semper est conditio generalis.*
9. *Dæmon voluit DEO subjici in actu exercito, non in actu signato.*
10. *Excluditur luxuria spiritualis.*
11. *Item inobedientia & invidia à primo peccato Angeli.*

§. I.

Præsupposita.

1. Suppono primò. Angelum non posse peccare venialiter: *Primò:* quia veniale committitur vel propter imperfectam deliberationem, vel propter levitatem materiæ, unde peccans venialiter non tam deordinatur ab ultimo fine, quàm à mediis ad finem: sed neutrum de Angelo dici potest. Non quòd peccet propter imperfectam deliberationem, quia ista repugnat cum modo Angelico operandi: non propter levitatem materiæ, quia, quoties Angelus peccat, toties errat circa finem simpliciter ultimum, quem in omni sua operatione efficaciter attingit. Unde licèt aliquando dæmones videantur aliquod leve peccatum committere, v. g. inducendo homines in aliquam venialem levitatem, mendacium, &c. semper tamen peccant mortaliter, eò quòd hæc omnia faciant ex fine mortaliter malo, nempe ex odio DEI.

Secundò. Angelus Viator in statu gratiæ constitutus non est minoris perfectionis, quàm Adamus in statu innocentiæ; sed iste non potuit peccare venialiter uti Thomistæ docent in 1. secundæ; ergo nec Angelus Viator in statu gratiæ. Dixi *Angelus Viator in statu gratiæ*: nam si Angelum consideras extra statum viæ ac gratiæ, jam alio & novo titulo ipsi repugnabit peccare venialiter: aut enim erit in statu puræ naturæ, & sic esse impeccabilem superiùs dictum est: aut in statu beatitudinis æternæ, & sic ex vi statûs beatifici est ab intrinseco impeccabilis, juxta ea, quæ docentur de Act. hum. aut in statu damnationis, & sic dæmones semper peccant mortaliter, eò quòd immobiliter adhæreant ultimo fini inordinato & omnia ex ejus intentione operentur, veluti disp. seq. exponemus.

Suppono secundò. Licet omnia peccata etiam 2.
carnalia, quoad reatum & imputationem possint esse in dæmonibus, cùm videlicèt suadendo homi-

nes in illa inducunt, sola tamen spiritualia in illis quoad affectum reperiri; quia ad hæc sola possunt affici, eáque proprio actu committere, quorum materia in ipsis reperitur, sed in ipsis utpote spiritibus incorporeis non datur materia peccatorum carnalium, datur autem materia peccatorum spiritualium, ut superbiæ, invidiæ, &c. ergo.

3. Suppono tertiò. Angelos lapsos plura peccata præsertim superbiæ & invidiæ commisisse, veluti clarè constat ex S. Script. & PP. mox referendis. Unde controversia solùm est, quodnam ex iis fuerit omnium primum & radix cæterorum. Nam Scotus in 2. *dist.* 6. *q.* 2. vult, primum Angeli peccatum fuisse quandam Luxuriam spiritualem, consistentem in immoderata delectatione de propria perfectione. Valentiæ opinio est, quamvis de facto primum ejus peccatum fuerit superbia, potuisse tamen peccatum esse alterius generis & speciei. Schola Thomistica contendit, primum Angeli peccatum nec aliud fuisse, nec esse potuisse, quàm superbiam. pro qua sententia.

4. Notandum, quòd superbia accipi possit generaliter & specificè: generaliter accipitur pro negatione subjectionis ad legem & præceptum superioris, sicq; est quædam generalis conditio inclusa in omni peccato: specificè accipitur pro inordinato appetitu propriæ dignitatis & excellentiæ, qui est peccatum speciale, unum ex septem Capitalibus. Et sub hac acceptione posteriori procedit quæstio.

§. II.

Primum Angeli peccatum superbia

5. CONCLUSIO. *Primum Angeli peccatum aliud nec fuit, nec esse potuit, quàm superbia.* S. D. hîc a. 2. in c. Et primam quidem partem apertè adstruunt S. Script. & PP. Nam Isa. 14. de Lucifero allegoricè dicitur: *detracta est ad inferos superbia tua, &c.* Et Ezech. 28. *elevatum est cor tuum in decore tuo.* 1. Timoth. 3. *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* h. e. ne imitans diaboli superbiam ipsius damnationem incurrat. Tob. 4. *in ipsa* (superbiâ) *initium sumpsit omnis perditio.* Ex SS. PP. S. Augustinus frequenter hoc ipsum asserit; præsertim l. 11. de Gen. *ad litt.* & 12. de civit. c. 6. *Hoc vitium* (Angeli peccantis) *quid aliud, quàm superbia nuncupatur? initium quippe omnis peccati superbia. Hic primus defectus & prima impia, primumq; vitium ejus naturæ.* Ambros. Ep. 84. ad Demetr. *Sive in lapsu diaboli sive in prævaricatione hominis initiùm peccati superbia est.* S. Chrysost. hom. 15. in Joan. *quid hâc superbiâ insanius? non esset à cælo ejectus, neq; in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere coinquinâsset. Hoc malorum omnium ei causa fuit.* D. Leo. Serm. 4. de Collect. *Inventor ille authorq; peccati primùm superbus, ut caderet, deinde invidus, ut noceret.*

6. Utraque pars ostenditur ratione. Primum Angeli peccatum non potuit esse aliud, quàm inordinatus affectus ad bonum spirituale; sed hic est superbia: ergo. major inde probatur. quòd primum peccatum Angeli non potuit esse circa malum, quia fuga mali præsupponit affectum boni, ut aliunde suppono: ergo fuit circa bonum.

Non circa bonum corporeum; hoc enim non erat Angelo conveniens & proportionatum: ergo fuit affectus ad bonum spirituale. Atqui affectus ad bonum spirituale non potest esse malus, nisi quatenus est inordinatus: ergo primum Angeli peccatum debebat consistere in affectu inordinato ad bonum spirituale. Minor pariter probatur. In prosecutione bonorum spiritualium (præsertim propriæ perfectionis, dignitatis & excellentiæ) nolle subjici mensuræ seu regulæ superioris est peccatum superbiæ: sed prosecutio bonorum spiritualium in Angelo non poterat aliter esse inordinata, quàm quatenus in illa nolebat subjici mensuræ seu regulæ superioris (ut ex seq. §. constabit): ergo prosecutio inordinata bonorum spiritualium in Angelo fuit peccatum superbiæ.

Dices primò. Non subdi regulæ superioris potiùs pertinere ad peccatum inobedientiæ, quàm superbiæ. Respondeo, non subdi regulæ superioris ut formaliter habentis rationem legis & præcepti est peccatum inobedientiæ, concedo, ut habentis rationem mensuræ, cuivis creatæ perfectioni, dignitati & excellentiæ debitum modum præscribentis, nego; sic enim directè contrariatur virtuti humilitatis.

Dices secundò. Non subdi regulæ superioris conditio quædam generalis, quæ reperitur in omni peccato: ergo non constituit speciale peccatum superbiæ. Respondeo. Non subdi, si solùm connotandum per accidens, & se habeat merè concomitanter ad aliquem actum, concedo, si intendatur per se saltem ex parte modi volendi, quemadmodum in Angelis contigit, nego.

Dices tertiò. Si Angelus per se directè voluit DEO non subjici, tunc elegisset objectum formaliter malum, adeóque in intellectu Angelico præcessisset error formalis; sed hoc est contra dicta: ergo.

Respondeo ex jam dictis, si ex parte rei voliti, & in actu signato voluisset DEO non subjici, concedo, si ex parte modi tendendi & in actu exercito, nego. Angelus itaque ex parte modi tendendi & in actu exercito (per se tamen) voluit DEO non subjici, quatenus in suæ perfectionis naturali prosecutione non curavit servare modum à superiore præscriptum.

At inquis, nunquid hoc potiùs erit peccatum omissionis, quàm commissionis? Nego. nam omittere debitam circumstantiam in actu positivo contrariante alicui præcepto negativo pertinet ad peccata commissionis, uti patet in eo, qui orat sine attentione.

Colliges ex dictis primo. Primum Angeli peccatum non esse luxuriam spiritualem, ut Scotus voluit; nam primò, nisi nominibus abuti velimus, luxuria non significat quamlibet inordinatam delectationem, sed eam, quæ est de rebus venereis, aliàs non erit ratio, cur non etiam peccata gulæ hoc nomine appelles.

Secundò. Quia delectatio de bonis propriæ & spiritualibus non aliâ ratione potuit in Angelo reddi vitiosa, quàm propter subtractionem à divina regula & fine supernaturali; sed hâc ratione constituit peccatum superbiæ, ut modò vidimus.

Colliges secundò. Primum Angeli peccatum non esse potuisse inobedientiam, nec invidiam; utrumque enim peccatum nominat actum fugæ, qui prius naturâ supponit prosecutionem boni. Unde operatus est, diabolum priùs inordinatè appetere bona spiritualia, quàm illa homini invideret.

A R.

ARTICULUS IV.

Quale obiectum habuerit dæmonum superbia?

SUMMARIA.

1. *Repugnat in Angelo error formalis.*
2. *Primus actus Angeli debuit esse efficax circa obiectum possibile.*
3. *Peccatum superbiæ in dæmonibus fuit circa beatitudinem naturalem.*
4. *Quia debuit esse circa finem ipsi proportionatum.*
5. *Dæmon non possidebat beatitudinem naturalem, quo modo appetiit.*
6. *Non peccavit primò per peccatum omissionis contra præceptum charitatis.*
7. *Nec peccato pusillanimitatis.*
8. *Quomodo habuerit judicium erroneum?*
9. *Qualiter voluerit esse similis Altissimo?*
10. *Non affectavit Tyrannicam potestatem.*
11. *Non inordinatè appetiit beatitudinem supernaturalem.*
12. *Neque moralem independentiam à DEO.*
13. *Neque peccavit unionem hypostaticam appetendo vel invidendo.*
14. *Lucifer seduxit alios Angelos.*
15. *Fuit primus dignitate inter omnes.*
16. *Angelorum Beatorum numerus major, quàm damnatorum.*

§. I.

Pro obiecto superbiæ in dæmonibus statuitur propria Beatitudo naturalis.

1. SUppono primò. Quòd in intellectu Angeli, priusquam peccaret, non potuerit esse formalis error, aut ignorantia, uti habet S. D. hîc q. 63. a. 1. ad 4. Et colligitur ex Ezech. 28. Ubi Lucifer appellatur *plenus sapientiâ*. Ratio quoque est, quòd ignorantia & error contingit ex defectu alicujus principii ad perfectam cognitionem requisiti; sed Angelus nullum ejusmodi defectum habuit, neque circa objecta naturalia, quippe quorum species perfectè repræsentativas initio suæ creationis accepit; neque circa supernaturalia, quorum habuit sufficientem fidem, & certam revelationem, cùm aliàs nequaquam fuisset *plenus sapientiâ*.

2. Suppono secundò. Actum, quo Angelus peccavit, fuisse absolutum & efficacem, uti colligitur ex Is. 14. ubi peccatum Luciferi exprimitur per verba voluntatem absolutam & efficacem significantia: *Ascendam, exaltabo, similis ero, &c.* Ratio potissima est, quòd voluntas & deliberatio de ultimo fine, quâ quis se & omnia sua ordinat in aliquem finem ultimum, est voluntas absoluta & efficax, sed primus actus Angeli fuit hoc modo deliberativus de ultimo fine, quia fuit actus in primo instanti perfectæ deliberationis elicitus, in quo natura rationalis debet determinare de ultimo fine & sua beatitudine: est quoque naturâ prius deliberare de ultimo fine, quàm de finibus intermediis, cùm fines intermedii moveant in virtute primi, Ex quibus.

Suppono tertiò. Primũ actum & peccatũ Luciferi non fuisse vel esse potuisse de objecto impossibili. Nam aliquod objectũ, vel est simpliciter & absolutè impossibile, uti quòd creatura sit ens à se, vel est impossibile per accidens & ex suppositione, veluti ex suppositione quòd Judas peccaverit, impossibile est, ipsum non peccâsse. Atqui primus actus Luciferi non poterat esse circa objectum impossibile simpliciter, quia voluntas nullo modo potest ferri in impossibile, nisi quatenus repræsentatur ut possibile, & ut sic conveniens voluntati; sed Angelo id, quod est simpliciter impossibile, non potest repræsentari ut possibile, quia talis repræsentatio est formaliter erronea & falsa: ergo primus actus Luciferi non potuit esse circa objectum simpliciter impossibile. Sed neque poterat esse circa objectum impossibile ex suppositione, quia hoc objectum solummodò terminat actum conditionatum & inefficacem, ut est actus pœnitentis conditionatus ex parte objecti, quo dicit; opto, ut nunquam offendissem DEUM, si esset possibile: sed primus actus Angeli fuit absolutus & efficax applicativus mediorum ad finem: ergo non potuit esse circa objectum impossibile ex suppositione. His positis magna est sententiarum diversitas, prout ex §. 3. apparebit. Interea sit nostra.

3. CONCLUSIO. *Objectum peccati Luciferi fuit beatitudo naturalis ex modo volendi inordinatè volita: in quantum Angelus suæ naturalis perfectionis & excellentiæ amore absorptus, illam non curavit ordinare ac referre in finem & beatitudinem supernaturalem.* Ita S. D. tùm hîc, tum 3. cont. gent. c. 10. inquiens: *Sicut in nobis peccatum est ex hoc, quòd bona inferiora, scilicet corporis appetimus absque ordine rationis, ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quòd proprium bonum non retulit in Divinum bonum.*

Colligitur primò ex S. Script. Verbis Ezech. 28. ubi casum Luciferi refert in nimiam complacentiam suæ naturalis perfectionis; *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Item. *In multitudine sapientiæ tuæ elevatum est cor tuum.* Secundò accedit Authoritas SS. PP. Augustini l. 12. de civit. c. 6. asserentis, Angelum peccâsse, *quia ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit.* S. Greg. l. 34. Moral. c. 14. dicentis, quòd Angeli *ab illo, qui summè est, aversi, ad se conversi sunt.*

4. *Tertiò probatur ratione.* Objectum, quod Angelus inordinatè amavit, debuit fuisse bonum excellens, & Angelo maximè proportionatum, in quod per primum actum perfectæ deliberationis tendere potuit: atqui tale objectum est ipsius beatitudo naturalis. ergo illam prosequendo peccavit. Major patet ex præced. §. quia primum peccatum Angeli fuit peccatum superbiæ primo actu perfectè deliberato commissum. Minor probatur. Voluntas maximè Angelica priùs (& quidem in primo instanti) fertur in finem, quàm in media, non poterat autem ferri in alium finem ultimum, quàm in suam vel naturalem, vel supernaturalem beatitudinem. Porrò non poterat peccare tendendo in beatitudinem supernaturalem: ergo solùm tendendo in suam beatitudinem naturalem. Præterea sicuti Angelus in primo instanti habuit perfectam notitiam suæ perfectionis, ita etiam dilectio-

lectionem suæ beatitudinis naturalis, & quidem ceu boni sibi maximè proportionati & excellentis; ergo Angeli beatitudo naturalis est illud bonum excellens, quod Angelus in primo instanti prosequebatur, adeóque in ejus prosecutione peccavit. Jam verò non peccavit diligendo suam beatitudinem naturalem cum subordinatione ad supernaturalem, cùm ut sic fuisset bonum honestum & actus meritorius: ergo tantùm peccavit, illam cum omissione talis debitæ subordinationis diligendo.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

5. OBjicies primò: Superbia Luciferi debuit fuisse appetitus excellentiæ nondum possessæ: atqui beatitudinem naturalem possidebat ab initio suæ creationis: ergo ipsius amore peccare non potuit. Major colligitur ex verbis S. Script. præcitatis, *ascendam, similis ero, &c.* & ex D. Anselm. in l. de casu Diaboli dicente, *Angelum peccâsse appetendo id, ad quod pervenisset, si stetisset.* Hoc autem non est beatitudo naturalis, sed supernaturalis, ut per se patet.

Respondeo, distinguendo minorem, beatitudinem naturalem materialiter & entitativè spectatam jam possidebat, concedo, formaliter & quatenus independenter à fine supernaturali habendam, sic nego. ergo amando suam beatitudinem materialiter & entitativè spectatam non peccavit, concedo, formaliter habendam & ut deordinatam ab ultimo fine supernaturali, nego.

Ad authoritatem D. Anselmi, nego subsumptum, nam Angelus peccavit inordinatè amando suam beatitudinem naturalem, ut inamissibilem, ad quam etiam inamissibiliter obtinendam pervenisset, nisi inordinatè amando peccâsset.

Parì modo, si dicas. Beatitudo naturalis est objectum necessarii amoris, & pertinet ad ultimum finem naturalem, contra quem juxta suprà dicta Angelus directè pecare non potest: ergo Angelus amando suam beatitudinem peccare non potuit, distinguo antecedens beatitudo naturalis materialiter in se spectata est necessarii amoris objectum, concedo, ut subordinata fini supernaturali, sic nego. Item pertinet ad ultimum finem naturalem sub ptiori consideratione, concedo, sub posteriori, & ut subordinata, nego. Sic enim substat præcepto supernaturali, quo tenebatur Angelus ex infusa virtute humilitatis suam beatitudinẽ diligere cum subordinatione ad finem ultimum supernaturalem.

6. Objic. secundò. Si Angelus peccâsset, suam beatitudinem non ordinando in finem supernaturalem tunc peccâsset peccatò omissionis, & quidem contra præceptum Charitatis, quo tenebatur se & omnia sua referre in DEUM: sicut homo in primo instanti usûs rationis omittendo hanc ordinationem peccat contra præceptum dilectionis DEI super omnia.

Respondeo distinguendo majorem. Si Angelus peccâsset præcisè omittendo actum dilectionis, quo se & omnia referret in DEUM juxta positivum præceptum dilectionis, tunc peccâsset peccato omissionis, contra præceptum charitatis, concedo. Si peccâsset eliciendo actum dilectionis erga seipsum, sine ordine ad supremam dignitatem, nego, sic enim repugnabat præcepto humilitatis negativo, quo prohibemur complacentiam nostrarum perfectionum subtrahere superiori dignitati & excellentiæ.

Dices. Juxta S. D. 2, 2. q. 133. a. 1. quiescere in minori recusando tendere ad majora est peccatum pusillanimitatis; sed si Angelus peccâsset quiescendo in sua naturali perfectione cum neglectu superioris beatitudinis, haud aliter peccâsset: ergo ipsius peccatum non fuisset superbiæ, sed pusillanimitatis.

Respondeo. Si quis recusat tendere ad majora ex animi dejectione, & desperatione illa consequendi est vitium pusillanimitatis, concedo, si recuset ex illorum virtuali contemptu & complacentia inferiorum, quo modo Angelus neglexit tendere ad beatitudinem supernaturalem, nego.

Objic. tertiò. Si Lucifer juxta nostrum explicandi modum peccâsset, tunc illum appetitum beatitudinis naturalis præcedere debuisset judicium in intellectu practico, quo practicè judicaret, beatitudinem naturalem sibi esse prosequendam sine ordine ad DEUM, ut ultimum finem supernaturalem: quia voluntas tanquam cæca potentia nullum amplectitur objectum, nisi quòd duce intellectu intimatur, & judicatur amplectendum, atqui tale judicium in Angelico intellectu præcedere non potuit: cùm sit formaliter erroneum: ergo.

Respondeo, distinguendo majorem, debuisse præcedere tale judicium, quo judicaret in actu exercito & ex modo tendendi omittendum esse ordinem ad finem supernaturalem, concedo, quo judicaret in actu signato & ex parte voliti, nego majorem, sed tale judicium non potuit præcedere, cùm sit formaliter erroneum; posteriori modo, concedo; priori, nego minorem & consequens.

Sensus est, quòd cùm in primo instanti creationis primus Angelus haberet judicium practicum de amanda sua beatitudine cum subordinatione ad ultimum finem supernaturalem, in secundo instanti malitiosâ voluntatis applicatione intellectus practicus ipsius neglexerit attendere ad illam debitam subordinationem, & regulam præceptivam ipsius, quam privativam inconsiderationem, seu neglectum debitæ attentionis ad regulam superioris in voluntate statim subsecutus fuit inordinatus amor propriæ naturalis perfectionis & beatitudinis. Unde quia omissio debiti ordinis non relucebat, aut proponebatur ab intellectu ex parte ipsius objecti, non erat judicium practicum de omittendo tali ordine in actu signato; erat tamen in actu exercito, eò quòd intellectus in ipso exercitio repræsentandi beatitudinem naturalem neglexerit attendere ad regulam præceptivam illius ordinis, qui error non dicitur formalis, siquidem non ingreditur ipsum objectum; dicitur tamen virtualis, quia est culpabilis inconsideratio, atque sufficiens ad peccaminosam determinationem voluntatis, ac si formalis error præcessisset.

Dices. Si illa intellectûs practici inconsideratio fuit privativa, defectuosa & culpabilis, tunc fuit ex mala applicatione voluntatis malitiosè nimirum applicantis intellectum ad neglectum debitæ attentionis: ergo illam voluntatis applicantis malitiam iterum debuit præcedere aliud defectuosum judicium intellectûs, & sic in infinitum.

Re-

Respondeo intellectum dirigentem & voluntatem applicantem ad invicem exercere mutuam causalitatem ac prioritatem à quo, & sic voluntatis applicatio secundùm prioritatem in genere causæ efficientis applicativæ præcedit defectuosum judicium & inconsiderationem intellectûs practici, cuius judicium practicum seu inconsideratio privativa præcedit malitiosam applicationem voluntatis in genere causæ formalis directivæ, unde non sequitur processus in infinitum.

§. III.

Refelluntur consectanea aliorum opiniones.

9. INferes primò. Angelum non peccâsse formaliter appetendo veram æqualitatem cum DEO; quia primum Angeli peccatum fuit actus absolutus & efficax; sed is non potuit terminari ad æqualitatem cum DEO: actus quippe absolutus & efficax non potest terminari ad objectum simpliciter & absolutè impossibile: sed tale objectum est æqualitas cum DEO. Neque dici potest, quòd Angelus illam æqualitatem appetierit ut possibilem, sic enim supponeretur formalis & crassissimus error in Angeli intellectu. Dixi tamen *formaliter appetendo veram æqualitatem*: Cùm enim Angelus peccans ex modo tendendi in suis naturalibus constituerit totam suam beatitudinem, ac si ad illam sibi ipsi sufficeret, neque eandem alteri deberet, ideo bene dici potest, quòd virtualiter & interpretativè æqualitatem non quidem Arithmeticam, sed proportionalem affectaverit cum DEO, qui solus sibi ad beatitudinem sufficit. Et in hunc sensum exponi debent illa Is. 14. *Similis ero altissimo*, similitudine nimirum virtuali & proportionali, non formali.

10. Inferes secundò. Lucifetum non peccâsse per affectationem Tyrannicæ potestatis & dominationis. Primò, quia Angeli peccatum fuit circa finem ultimum, sed talis dominatio non potest esse finis ultimus. Secundò, quòd ejusmodi peccatum sit ambitionis, quod præsupponit superbiam. Tertiò, quia primus Angelus peccando attraxit & seduxit alios, sed affectando Tyrannicam dominationem in alios, potiùs illos à se fecisset aversos.

11. Inferes tertiò. Angelum non peccâsse inordinato appetitu beatitudinis supernaturalis. Vel enim peccâsset illam appetendo, tanquam propriis viribus consequendam, & sic appetiisset bonum Chimæricum & impossibile, quod primùm rejecimus. Vel appetendo cum nimia intensione, uti Scotus existimat, sed neque istud dici potest, quia actus ex se honestus intensione non inficitur, sed perficitur. Vel quòd voluerit celeriùs illam obtinere, quàm fuerit à DEO statutum. Sed & iste loquendi modus est inconveniens, quæ enim mora brevior & celerior modus beatitudinem acquirendi haberi poterat, quàm ut Angelus post primum & unicum actum meritorium illam beatitudinem consequeretur?

12. Inferes quartò. Neque peccatum Luciferi habere pro objecto exemptionem & independentiam moralem à DEO, eò quòd voluerit suo arbitrio relinqui nullis à DEO impositis præceptis, atque à regimine ejus absolutus, ut Derckennis existimat. Nisi enim prædictum appetitum independentiæ ad sensum nostræ conclusionis explices, non minùs hæc independentia moralis à Divinis præceptis est objectum simpliciter impossibile, quàm independentia naturalis; præsupponeret quoque in Angelo judicium formaliter erroneum, quo judicaret sibi possibilem rationem primæ regulæ: quæ cuncta dici non possunt. Adde, quòd independentia à præceptis & regimine superioris magis sit objectum inobedientiæ, quàm superbiæ; fugæ, quàm prosecutionis, ac superbiam prius naturâ supponat: ex inordinato enim affectu excellendi provenit libido dominandi, ex libidine dominandi, quòd *nec Cæsar ferre priorem* possit, *Pompeiúsque parem*.

Inferes quintò. Unionem hypostaticam non fuisse objectum hujus primi peccati. Vel enim Angelus peccâsset unionem hypostaticam sibi in primo instanti revelatam humanæ naturæ invidendo, vel inordinatè appetendo. Neutrum dici potest. Non quòd peccâsset invidendo, quia invidia est actus fugæ, & circa alterum: atqui prima Voluntas Angeli non potuit esse actus fugæ, quippe naturâ suâ præsupponens amorem & prosecutionem boni: nec potuit esse ad alterum, cùm prima deliberatio naturæ rationalis sit circa seipsam, & ultimum finem. Non etiam secundum dici potest, primò, quia primus actus Angeli est de ultimo fine, atqui unio hypostatica non est ultimus finis Angeli. Secundò, quia actus efficax fertur in objectum, ut propriis mediis assequibile; sed Angelus sine gravissimo errore non potuit apprehendere unionem hypostaticam, tanquam propriis mediis assequibilem. 13.

§. IV.

Aliqua quæsita expediuntur.

QUæres primò. An Lucifer alios Angelos seduxerit? Respondeo seduxisse tum exemplo, tum suasione. D. Th. hîc a. 8. Colligitur ex S. Script. Is. 14. ubi dicitur ad Luciferum juxta SS. PP. & Interpretum expositionem: *Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti.* Et Job. 41. appellatur *Rex super omnes filios superbiæ.* Et SS. quoque PP. D. Bernardus de gradu humil. *Lucifer*, inquit, *filios superbiæ studuit suæ malitiæ æstibus inflammare.* Et Greg. Naz. Carm. 6. *multas sic ille cohortes, Regis ab obsequio magni, catúsque piorum abductos ad se allexit, &c.* Cæterùm quòd non solùm exemplo, sed & suasione reliquos seduxerit, inde constat: non potuit alios exemplo seducere, nisi eis locutione manifestaret secretam suæ voluntatis superbiam, sed hanc ipsis manifestando, videtur eò ipsò suasisse, ad quem enim alium in finem manifestâsset, quàm ut in similem sententiam induceret? cùm præcipuè hoc superbis sit proprium, ut velint habere suarum opinionum sequaces & approbatores? 14.

Quæres secundò. An Lucifer non tantùm fuerit primus dignitate inter Angelos peccantes, ut est comm. SS. PP. sed & inter omnes? 15.

Respondeo affirmativè. Ita S. D. hîc a. 6. conformiter ad S. Script. in qua Job. c. 40. sub figura Behemot Lucifer appellatur *principium viarum.* (h. e. creaturarum) *DEI.* quod interpretans D. Greg. 32. Moral. c. 24. inquit: *Hunc primum*

condidit quia, cæteris eminentiorem fecit. Neque refert, quòd Ezech. 28. Cherubinus appelletur, qui ordo inferior est ordine Seraphinorum: ita enim appellatur, exponente S. D. a. 7. ad 1. non quòd fuerit ex illo ordine, sed quia *Cherub* significat *plenitudinem scientiæ*, quæ stare potest cum peccato, *Seraphim* verò denominatur ab ardore charitatis, quem Angelus peccando amisit.

16. Quæres tertiò. An Angelorum Beatorum numerus sit major, quàm damnatorum? Respondeo affirmativè. cum S. D. hîc a. ult. Cujus ratio est, quòd non sit verosimile majorem partem naturæ Angelicæ fuisse corruptam peccato, quod est contra totalem inclinationem illius naturæ: ut econtrà ideo plures homines damnantur, quàm salvantur, quia peccatum non est contra totam hominis naturam, quippe ex appetitu sensitivo & rationali conflatam, & plures sequuntur appetitum sensitivum, quàm rationalem.

DISPUTATIO XXXV.

DE

Pœna Dæmonum.

Ad q. 64.

CUlpam presso pede pœna consequitur, & ideo cum S. D. q. 64. agendum de Angelorum pœna post explicatam culpam. Hæc porrò est duplex, una ab extrinseco illata, videlicet pœna damni & sensus; alia interna & ad actus atque potentias Angeli internas pertinens; éstque duplex, nempe obtenebratio ex parte intellectûs, & obstinatio in malo ex parte voluntatis. De obtenebratione agit, & cum communi Catholicorum hîc a. 1. concludit S. D. intellectum dæmonis esse obtenebratum, quantùm ad cognitionem supernaturalium; siquidem omne donum fidei & sapientiæ supernaturalis peccando amisit, ut indicatur Ezech. 21. *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Non tamen fuit obtenebratus ipsius intellectus per imminutionem cognitionis & scientiæ naturalis, nisi quatenus illa pendet à voluntate, hanc enim post peccatum servavit integram, sicut & ipsam naturam. Progredimur ergo ad reliquas pœnas discutiendas, de quibus est major difficultas. Unde sit.

ARTICULUS I.

An & quomodo voluntas Dæmonis sit obstinata in malo?

SUMMARIA.

1. *Veritas fidei docet de facto dæmones esse immutabiles ad bonum.*
2. *Probatur etiam esse immutabiles per intrinsecam inflexibilitatem arbitrii Angelici.*
3. *Quæ est in actibus perfectè deliberatis.*
4. *Testimonia S. Script. in oppositum solvuntur.*
5. *Angelus non potest uti suâ specie inadæquatè, cùm procedit ad perfectam deliberationem.*
6. *Angelus post plenam determinationem non habet eodem modo principia libertatis, ut ante illam.*

§. I.

Statuitur intrinseca inflexibilitas voluntatis Angelicæ.

1. CErtum est, quòd de facto voluntas dæmonis non possit à peccato resurgere, cùm ex Script. constet, sitque ab Ecclesia definitum, quòd pœna Angelorum sit absolutè perpetua: veluti Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Item Marc. 9. Eccl. 11. Apoc. 14. & 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* in c. *firmiter de Summ. Trinit. recipient reprobi cum diabolo pœnam perpetuam.* Sed si voluntas dæmonis esset mutabilis in bonum, posset cessare pœna; cùm pœna non sit, nisi propter culpam: ergo hôc ipsô, quod pœna sit perpetua, etiam voluntas dæmonum non est mutabilis ampliùs in bonum.

Controversia igitur est, utrum hæc obstinatio dæmonis proveniat ex sola extrinseca denegatione Divinæ gratiæ, ut in animabus damnatis, an verò etiam ex intrinseca & naturali inflexibilitate arbitrii & voluntatis Angelicæ, quâ Angelus immobiliter adhæret objecto, quod semel cum perfecta deliberatione fuit amplexus. Prior est Scoti, posterior D. Thomæ sententia. Ex ejus Doctrina sit

CONCLUSIO. *Obstinatio dæmonum in malo 1. etiam provenit ex intrinseca inflexibilitate arbitrii sub sensu proposito. Ita Thomistæ contra Scotum & Suarem.*

Ratio est. Modus tendendi, quo voluntas fertur in bonum, sequitur modum intelligendi, quo intellus judicat, illud esse prosequendum: voluntas quippe veluti potentia cæca, nihil agit, nisi ex ductu & directione intellectûs; ideo si intellectus proponit objectum cum indifferentia, voluntas liberè; si absque indifferentia, voluntas necessariò in objectum fertur. Si intellectus proponit bonum universale, etiam voluntas universale; si particulare, etiam voluntas appetit bonum par-

particulare. Atqui intellectus Angeli circa objectum plenè & perfectè cognitum est intrinsecè inflexibilis: ergo etiam voluntas Angeli est intrinsecè inflexibilis à plenè & perfectè deliberata electione ejusmodi objecti.

Major est sufficienter ostensa & Confirmatur ulteriùs. nostra voluntas non aliâ ratione est flexibilis, nisi quia judicium nostri intellectûs est mobile, & flexibile ab uno in aliud, jámque apparet nova ratio & medium eligendi, quod antè non apparebat: ergo à contrario si perfectum judicium Angelici intellectûs est inflexibile, nec potest ipsi nova ratio apparere, quam antea non perspexit, etiam voluntas ipsius erit intrinsecè inflexibilis.

Minor etiam probatur. Quod intellectus uno simplici intuitu perfectè absque omni discursu & modo comprehensivo cognoscit, immobiliter cognoscit; sed Angelus ita se habet in sua tam practica, quàm speculativa cognitione: ergo. Minor patet ex præcedentibus. Major probatur. Quia mutatio judicii provenit ex apparitione novi medii: Ast ubi sine discursu modo comprehensivo cognoscitur objectum cum omnibus connexionibus ad causas, effectus, circumstantias, inducentibus vél retrahentibus ab electione, non potest apparere novum medium antehac incognitum: ergo.

Confirmatur. Ideo nos prima principia immobiliter apprehendimus, quia simplici intuitu & absque discursu cognoscimus: ergo idem dicendum est de perfecta Angeli cognitione.

3. Dixi tamen, voluntatem Angeli esse intrinsecè inflexibilem *à perfecta & plenè deliberata electione*, nec non *à perfecto judicio seu cognitione*: Nam Angeli judicium & electio potest habere duplici modo: semel perfectè & completè; secundò imperfectè & incompletè. Primum contingit, quando Angelus judicat, & eligit ex propria deliberatione & applicatione; nec non modo comprehensivo, evidenti & certo, attingendo in principiis omnes rationes inducentes vel retrahentes à determinato judicio & electione. Et in hoc sensu procedit nostra conclusio, ejúsque rationes. Secundum contingit inprimis, cùm Angelus judicat & eligit tanquam ab extrinseco, nempe à DEO, motus & applicatus: tunc enim quia non eligit perfectâ & completâ deliberatione, manet in potestate ipsius, ut per propriam perfectam, & completam deliberationem possit converti in quamcunque partem voluerit. Ac rursus, quando procedit ad judicium ex principiis solùm conjecturalibus, tunc enim hoc ipsò, quòd principia non sint firma, etiam judicium per illa regulatum, non est firmum & immobile.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. Objicies primò testimonia S. Scripturæ, quibus indicari videtur, quòd Angeli quandoque mutent sententiam. Sic Dan. 10. dicitur, quòd Angelus Persarum, auditâ per Michaëlem Archangelum DEI voluntate de Israëlitis à Babylonica captivitate liberandis, cessaverit resistere Angelo Custodi Israëlitarum, eandem liberationem urgenti.

Secundò. Quòd dæmon, qui *misit in cor Judæ*, ut traderet Christum Jo. 13. postea per uxorem Pilati, quam afflixerat, Matth. 27. Christi passionem voluerit impedire. Tertiò. Quòd mali Angeli in secundo instanti peccârint mortaliter, qui tamen in primo instanti elicuerunt actum meritorium charitatis.

Responsio ad hæc testimonia facilè patet ex præmissis. Unde ad 1. & 2. Respondeo, *in primo*, bonum, *in secundo instanti* malum Angelum tantùm habuisse judicium imperfectum, & conjecturale, propter circumstantias non plenè cognitas, ideóque judicium variare potuisse: nisi ad 2. potiùs placeat sententia SS. PP. Hilar. Hieron. Chrysost. Ambros. & Augustini (quos allegat & sequitur Tirinus) dicentium, somnium, quo affligebatur uxor Pilati, non à dæmone, sed à bono Angelo fuisse immissum.

Ad 3. quoque responsio patet ex dictis. Nam Angeli in primo instanti creationis solummodò fuerunt à principio extrinseco, nempe à DEO, applicati ad suam operationem, nec proinde judicium practicum ipsorum ex plena deliberatione descendit.

5. Objicies secundò. Tunc potest variari judicium & consequenter electio, quando apparet nova ratio sufficiens ad variandum judicium, quæ antea non apparebat. Sed Angelo potest apparere nova ratio: ergo. Minor probatur. Angelus juxta sup. dicta potest uti suâ specie inadæquatè: ergo in illo usu inadæquato potest apparere una ratio, quin appareat altera: ergo si postea suâ specie uti velit adæquatè, apparebit nova ratio, quæ non apparuit in usu inadæquato illius speciei.

Confirmatur. Defacto per experimentalem cognitionem dæmones judicant & sentiunt, sibi nocivum esse appetitum beatitudinis naturalis, ut finis simpliciter ultimi, eò quòd propterea patiantur æterna supplicia: quam tamen sibi convenientem esse judicabant in eo instanti, in quo peccârunt: ergo formant aliquando novas rationes, & nova judicia.

Respondeo, negando minorem, & probationem distinguo. Potest Angelus suâ specie uti inadæquatè, in procedendo ad actum imperfectum, concedo, ad perfectum, nego: cùm enim quis se applicat ad operandum, ratio naturalis dictat, quòd morali & possibili modo debeat considerare omnes objecti circumstantias. Unde Angelus procedens ad judicium practicum plenè deliberatum, priùs in judicio speculativo, adæquatam suæ speciei repræsentationem explicare debet.

Ad confirmationem distinguo antecedens. Angeli judicant modò esse nocivum judicio speculativo, quod priùs judicabant conveniens judicio practico, concedo, judicant modò judicio practico, nego antecedens & consequentiam. Nam dæmones etiam nunc quotiescunque procedunt ad formandum judicium practicum de prosecutione finis ultimi, considerationem regulæ superioris & subordinationis debitæ in finem supernaturalem, sicuti primitùs fecerunt, intermittunt.

6. Objicies tertiò. Tunc voluntas Angeli est naturaliter flexibilis, quando habet eadem principia liber-

libertatis post plenam determinationem, quam antea habuit: sed habet eadem: ergo.

Confirmatur primò. Si dæmon esset naturaliter inflexibilis, tunc dæmonis obstinatio in peccato non esset culpabilis, siquidem haberet intrinsecam impotentiam resipiscendi.

Confirmatur secundò. Sequeretur, quòd etiam bonus Angelus esset naturaliter inflexibilis in bono supernaturali: sed hoc est absurdum; cùm juxta doctrinam de gratia ad perseverandum in bono supernaturali gratia DEI sit simpliciter necessaria.

Respondeo, distinguendo majorem, quando habet eadem principia in eadem suppositione & circumstantiis, concedo; in diversis, nego. Sed habet eadem principia post determinationem in diversa suppositione, concedo, in eadem, nego minorem & consequentiam. Nam post determinationem supponitur judicium cum plena consideratione & deliberatione adhærens objecto, quod ante instans determinationis nondum supponitur.

Ad 1. Confirmationem, nego sequelam, ut enim obstinatio ipsius sit culpabilis, sufficit, quòd sit ipsi libera in sua causa, eamque potuerit deponere potentiâ antecedente, esti non ampliùs possit potentiâ consequente: Unde etiam ipsius impotentia intrinseca resipiscendi, non est impotentia antecedens, sed consequens.

Ad 2. confirmationem Respondeo distinguendo sequelam. Esset naturaliter inflexibilis in bono supernaturali, h. e. juxta inclinationem suæ naturæ, & tamen dependenter ab adjutorio gratiæ, concedo, independenter ab illo, nego.

ARTICULUS II.

Quomodo dæmones ab igne infernali torqueantur?

SUMMARIA.

1. *Dæmones præter pœnam damni sustinent pœnam sensus.*
2. *Idque in inferno.*
3. *Quamvis plures vagentur extra infernum.*
4. *Ignis infernalis est verè corporeus.*
5. *Rejicitur sententia dicens spiritus cruciari in potentiis sensitivis.*
6. *Neque consistit pœna sensûs in apprehensione ignis nocivi.*
7. *Neque in immediata productione tristitiæ.*
8. *Neque in productione caloris intra substantiam Spiritûs.*
9. *Neque in productione qualitatis fœdantis.*
10. *Pœna sensûs consistit in alligatione ad ignem infernalem.*
11. *Effectivè causatâ.*
12. *Et violenter impediente Spiritum à sua connaturali operatione.*
13. *Quam sequitur summus dolor, & tristitia.*
14. *Authoritates objectæ exponuntur.*
15. *Hæc alligatio non pertinet ad pœnam damni.*
16. *Nec est æqualis in omnibus.*
17. *Nec dæmones in aëre vagantes hâc pœnâ sunt liberi.*
18. *Sensus D. Augustini de pœnis alterius mundi.*

§. I.

Certioribus præmissis, refelluntur diversæ explicationes.

1. CErtum est primò, dæmones præter pœnam damni, quæ est perpetua exclusio à regno cælorum, & carentia visionis beatificæ, sustinere pœnam sensûs, hoc est, cruciatum & molestiam, quæ extrinsecùs ab igne infernali, ceu instrumento Divinæ justitiæ infligitur, veluti constabit ex dicendis.

2. Certum est secundò. De fide, dari locum tam dæmonibus, quàm aliis damnatis puniendis deputatum, ut constat ex Sap. 5. *Talia dixerunt in inferno, hi, qui peccaverunt.* Luc. 16. *Mortuus est dives, & sepultus in inferno.* 2. Petr. 2. *DEVS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

Certum est tertiò. De facto ex speciali ordinatione DEI plures dæmones extra infernum, & in hoc aëre vagari, unde etiam *aërei potestates* nominantur, & colligitur ex Job. 1. Ephes. 2.

Certum est quartò. Ignem infernalem esse verum ignem corporeum, non Metaphoricum, quo non modò damnatorum corpora post resurrectionem, sed etiam animæ & dæmones vere realiter cruciantur, ut est constans Catholicorum doctrina desumpta ex Matth. c. 25.

Magna tamen est difficultas in explicanda actione, quâ ignis ille corporeus cruciet & affligat Spiritus sensûs omnis expertes, & doloriferæ qualitatis, quam ignis in corporibus producit, incapaces; sempérque facilius est, in hoc puncto sententias aliorum refellere, quàm propriam statuere.

Dixerunt igitur aliqui primò. Cum anima separata etiam separari potentias sensitivas, quibus anima possit sentire calorem & actionem ignis, & de illa tristari.

Sed contra est primò. Quòd hæc opinio nondum explicat, quomodo dæmones crucientur destituti omni potentiâ sensitivâ. Secundò. Actus potentiæ sensitivæ, ut arguit S. D. q. 26. de ver. a. 1. non possunt exerceri extra corpus, cum alioquin animæ brutorum non minùs essent incorruptibiles, quàm anima intellectiva. Tertiò. Quia sentire qualitatem sensibilem non est malum, sed perfectio sensûs, nisi illa qualitas sentiatur & cognoscatur ut nociva. Igitur remanet ostendendum, per quid illa qualitas esset nociva animæ separatæ.

Dixerunt

Dixerunt alii secundò. Dæmones & animas ab igne pati, eò quòd apprehendant ignem sibi esse nocivum. Sed contra est primò. Quòd hâc ratione contra proprietatem verborum S. Script. tota pœna Spirituum damnatorum efficiatur metaphorica & imaginaria; nec tam ab igne, quàm sua imaginatione Spiritus torquerentur. Contrà sit secundò. Illa apprehensio vel foret vera, vel falsa: Si vera, jam supponit ignem nocivum esse, adeòque præter apprehensionem debet aliud quid allignari, per quod ignis fiat nocivus. Si falsa, tunc DEUS positivè concurreret ad errorem & falsitatem, quippe à quo pœna principaliter infligitur, & species hoc modo repræsentativæ infunderentur: sed hoc est absurdum: ergò.

7. Dixerunt alii tertiò: Quòd ignis immediatè producat in dæmone tristitiam, quam mediante qualitate doloriferâ producit in anima conjuncta corpori.

Sed contra est, quòd implicat actus vitalis absque suo objecto: sed pro actu vitali tristitiæ hic nullum supponeretur objectum, hoc enim esset qualitas dolorifera, quæ tamen nulla est.

8. Dixerunt aliqui quartò. Ignem infernalem per productionem sui caloris in substantia Spiritûs damnati, eo modò cruciare Spiritum, quo modo corpora cruciat. Contrà enim est primò. Quòd nulla prorsus sit proportio inter qualitates corporeas, & potentias spirituales, quò modò ergo Spiritus recipiet calorem? Secundò. Si Spiritus reciperet calorem, quid ille calor molesti inferret Spiritui; quodnam ejus temperamentum læderet? cùm non aliâ ratione corpori sit molestus, quàm quia ejus temperamentum totamque compagem *dissoluit*, & in ignem convertit.

9. Dixerunt alii quintò. Ab igne infernali produci qualitatem fædantem, & deturpantem substantiam Angeli; uti ex oppositò per gratiam sanctificantem eadem substantia exornatur, & hujus qualitatis perpetuo aspectu & consideratione dæmones torqueri. Sed contrà est, quòd illa qualitas fædans deberet à substantia Angeli auferre aliquem decorem & perfectionem naturalem; fœditas quippe, quâ aufertur decor Angelorum supernaturalis, est macula peccati mortalis; quæ non est Angelorum pœna, sed culpa: atqui non ostendit ista sententia, quisnam decor naturalis per ignem infernalem Angelo sit deperditus, siquidem naturalia in dæmonibus manserunt integra.

10. In hoc labyrintho variarum opinionum sequendum est filum Angelici Doctoris, juxta cujus mentem sit.

CONCLUSIO. *Pœna sensûs, quam Spiritus damnati patiuntur, consistit* (1.) *in eorum alligatione ad ignem infernalem* (2.) *quam ipse ignis effectivè causat* (3.) *in eorum intellectu Divinâ virtute producendo qualitatem spiritualem impeditivam, ne alibi operari possint* (4.) *simúlque excitativam ad perpetuam considerationem hujus alligationis.* S. D. hîc, & 4. contr. gentes. c. 90.

Prima pars, quòd dæmones alligatione puniantur, constat inprimis ex loco Script. supr. cit. Ex Epist. S. Judæ. *Vinculis æternis sub caligine reservavit* Apoc. 20. *misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum.* Ratio quoque est, quòd ejusmodi alligatio maximam molestiam inferat spiritibus, qui suâpte naturâ liberi, ac super omnem corpoream naturam elevati per hanc alligationem quoad suas potentias & operationes corpori subjiciuntur & impediuntur, ne pro suo libitu in alia loca & corpora operationem suam exercere, seque ab uno in aliud liberè transferre possint. Nec alius modus torquendi est alligabilis, ut ex aliorum opinionum refutatione constat.

11. Secunda pars, quam tradit S. D. q. 26. d. Verit. a. 1. probatur. S. Scriptura exponenda est cum proprietate, quamdiu nullum sequitur inconveniens; sed Verba S. Scripturæ significant veram & physicam actionem, quâ Spiritus ab igne torquentur, veluti cùm dives Epulo queritur Luc. 16. *Crucior in hac flamma.* Adde, quòd sine effectiva alligatione non rectè intelligi possit violenta depressio & subjectio Angeli sub igne corporeo, quæ tamen requiritur ad hoc, ut Angelus non solùm violenter in igne, sed etiam ab gne detineri, & torqueri dicatur.

12. Tertia pars probatur. Non potest Angelus violenter & effectivè detineri, nisi effectivè impediatur ab actione intellectiva formaliter immanenti, & virtualiter transeunti; quia Angelus non nisi per imperium practicum intellectûs formaliter immanens, & virtualiter transiens in loco constituitur, ut dictum disp. 28. a. 2. Sed hoc non potest intelligi, nisi Angelus Physicam entitatem ab igne productam recipiat in intellectu, per quam ab ejusmodi operatione elicienda impediatur: ergo. Jam verò illa Physica entitas non est substantia, ut per se patet: non ubi modale, quod nullibi admittimus, restat ergo ut sit qualitas, non quidem corporea, cujus in subjecto spirituali nulla est capacitas; ergo spiritualis.

13. Quarta pars inde constat, quòd in dæmonibus perpetuò sit summus dolor, & tristitia; sed hæc requirunt apprehensionem mali disconvenientis: ergo dæmones continuò excitantur ad considerationem hujus alligationis, veluti mali sibi summè disconvenientis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

14. OBjicies primò. S. Script. & PP. in tormento ignis infernalis plus insinuare, quàm solam detentionem & alligationem, namdives Epulo cit. q. 16. *Lucæ.* non dixit tantùm, detineor, sed *crucior in hac flamma.*

Respondeo plus significari à Scriptura & PP. quàm alligationem, prout ista significat solam præsentiam in loco, concedo, prout significat violentam subjectionem ad corpus locans, & impedimentum operationum connaturalium, nego.

15. Objic. secundò. Alligatio ad locum videtur magis pertinere ad pœnam damni, quàm sensûs, cùm etiam pueri limbo detenti sint loco alligati, nec tamen ex communiori Theologorum sententia patiantur pœnam sensûs.

Respondeo negando antecedens, & ratio patet ex modò dictis, quia alligatio, de qua loquimur, ultra præsentiam importat violentam subjectionem

nem Spiritûs ad ignem, & impeditionem operationum connaturalium, qualem non patiuntur parvuli in limbo detenti.

16. Objicies tertiò. Pœna alligationis est æqualis in omnibus damnatis, nec tamen æqualis est pœna sensûs: ergo pœna sensûs non consistit in alligatione.

Respondeo negando antecedens: quia quantò quisque Spiritus est nobilior, tantò molestiùs fert, se ab ignobili corpore detineri & subjugari.

17. Objicies quartò. Dæmones existentes in aëre patiuntur pœnam sensûs, nec tamen sunt alligati ad ignem infernalem: ergo pœna sensûs in alligatione facta ab igne infernali non rectè salvatur.

Respondeo, dæmonem in aëre existentem vel ab ipso igne quamvis distante, divinâ tamen virtute elevato torqueri, vel ipsum aërem, aut aliud corpus elevari ad eandem pœnam æquivalenter inferendam: quæ ipsa etiam animabus damnatis, aut in flammis purgatorii patientibus proportionaliter sunt applicanda.

Colliges ex dictis; quamvis hæc verosimiliter, & de alterius mundi pœnis è D. Thomæ doctrina dicantur, illarum tamen modum esse ut obscurissimum, sic incertissimum, nihilque in hac re certius posse statui, quàm quod D. Augustinus expresse l. 21. d. civit. c. 10. *miris, veris tamen modis etiam Spiritus incorporeos pœna corporalis ignis afficiat, cùm Spiritus hominum etiam ipsi incorporei & nunc potuerint includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.*

DISPUTATIO XXXVI.

DE

Ordinatione & officiis Angelorum.

NUnc Angelos ad se invicem & ad hominem comparatos cum S. D. à q. 106. considéramus, & primùm, quomodo sibi loquantur, séque illuminent, tum quibus ordinibus, ac officiis distinguantur, hominésque gubernent, disquirimus.

ARTICULUS I.

Quomodo Angeli invicem loquantur, seq; illuminent?

SUMMARIA.

1. *Requisita ad locutionem.*
2. *Locutio fit per directionem sui conceptûs.*
3. *Illuminationem Angelorum probat authoritas.*
4. *Et ratio S. Doctoris.*
5. *Quomodo fiat illuminatio?*
6. *De quibus objectis fiat?*
7. *Conditiones & definitio illuminationis.*

§. I.

Exponitur locutio Angelorum.

1. LOqui est suum conceptum ad alterum ordinando & dirigendo eidem manifestare. Unde primò ad locutionem requiritur actus voluntatis, quo quis vult & consentit actum suum alteri innotescere: ideo qui absque tali ordinatione ad alterum, casu aliquo v. g. in somno, aut ebrietate verba proferret, non verè diceretur loqui. Secundò, ut conceptus ad audientem directus fiat ipsi manifestus, si antea erat ignotus: in quem finem nostra locutio indiget quibusdam signis, & vocibus vel formalibus, vel virtualibus. Siquidem, ut S. D. hîc, nostra cognitio duplici impedimento alteri occultatur, nempe voluntate intelligentis, & grossitie corporeæ molis; quæ causa est, quòd ad locutionem non sufficiat sola voluntatis directio, nisi insuper accedat externa significatio.

Dixi tamen. Si conceptus antea fuit ignotus; in ea quippe locutione, quâ DEO omnia cordium secreta inspicienti loquimur, nullâ est opus manifestatione. Hoc posito quæritur, qui ratione unus Angelus loquatur alteri? nam Angelos colloqui clara est S. Script. Authoritas 1. Cor. 13. Is. 6. Apoc. 6. nec tamen exterioribus signis indigere, ex conditione naturæ incorporeæ certum est.

CONCLUSIO. *Angelorum locutio in hoc consistit, quòd Angelus loquens per actum voluntatis consentit, ut suus conceptus alteri innotescat.*

Ratio S. D. est: loqui (ut dictum) est suum conceptum alteri manifestare; sed hoc fit, quamprimùm Angelus consentit, ut suus conceptus innotescat alteri: ergo. Minor probatur. Tunc manifestatur conceptus alteri, quando ad illum dirigitur, & tollitur impedimentum obstans manifestationi; sed utrumque fit per voluntatis consensum, ut suus conceptus huic determinatæ personæ fiat manifestus: ergo. Minor quoad primum membrum patet, nil enim aliud est dirigere suum conceptum, quàm velle, ut potiùs huic, quàm alteri innotescat. Quoad 2. membrum probatur. Unicum impedimentum manifestationis est voluntas Angeli, sub suo jure & potestate conceptum retinens (nam Angelum habere congenitas species, quibus in actu primo repræsentantur operationes aliorum Angelorum, suppono ex dictis) sed hoc impedimentum removetur hoc ipso actu, quo Angelus suo jure cedit, & vult, ut suus conceptus non minùs alteri, quàm sibi sit cognitus; ergo.

§. II. Expli-

§. II.

Explicatur illuminatio Angelorum.

3. Illuminatio ſpecies quædam locutionis eſt, quam dari ab Angelis ſuperioribus verſùs inferiores, doctrina eſt Doctoris Angelici hîc q. 107. a. 1. accepta ex D. Dionyſio l. d. Cæl. Hier. c. 3. & 7. cum quo ſentiunt SS. PP. in communi, præſertim Hieron. & Ambroſ. affirmantes, illas voces Iſ. 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* & Pſal. 33. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* eſſe Angelorum inferiorum à ſuperioribus Angelis de gloria Chriſti aſcendentis inſtrui & illuminari deſiderantium.

4. Congruentiæ rationem primò ex parte DEI dat S. D. quòd DEUS juxta ordinarium modum gubernandi non facit per ſe ſolum, quod poteſt mediantibus cauſis ſecundis: ſed ita DEUS illuminat Angelos inferiores, ut tamen haud dubiè id poſſit mediantibus Angelis ſuperioribus: ergo.

Secundò ex parte Angeli, tum quia conveniens eſt recto rerum ordini, ut inferiora perficiantur à ſuperioribus, tum quia bonum eſt communicativum ſui, ideóque Angeli perfectiores acceptas à DEO illuſtrationes communicant Angelis inferioribus.

5. Fit autem illuminatio per hoc, quòd Angelus ſuperior ſuam cognitionem univerſaliorem, quam habet de veritate revelata per inadæquatum uſum ſuæ ſpeciei, dividat in plures conceptus inadæquatos, & proportionatos ad particularitatem ſpecierum inferioris Angeli; adeóque diviſim ad inferiorem Angelum ſuam cognitionem dirigat, ut cum S. D. Thomiſtæ communiter.

Ratio eſt, quòd illuminatio ſit quædam magiſterialis locutio, quâ cognitio unà cum objecto cognito dirigitur ad intellectum alterius. Sed non poteſt dirigi ad intellectum Angeli inferioris ſub ea perfectione, ſub qua eſt propria Angelo ſuperiori, cùm Angelus inferior habeat ſpecies minùs univerſales in repræſentando, ideóque improportionatas ad illum modum cognoſcendi: ergo tantùm ſub minori univerſalitate, & majori particularitate, dividendo unum conceptum in plures magis particulares; aliàs intellectus Angeli inferioris nihil diſceret, nec perficeretur à ſuperiori.

6. Sed neque de omnibus iis rebus ſit illuminatio, de quibus eſt locutio. Cùm enim illuminatio ſit locutio per modum doctrinæ & magiſterii (qua de cauſa D. Greg. Naz. or. 2. de Theol. & S. Joan. Damaſ. l. 2. de fide. Angelos Hierarchiæ ſuperioris appellant *Doctores inferiorum*) & per illam juxta D. Dionyſ. *intellectus purgetur a neſcientia*, de iis ſolummodò veritatibus datur illuminatio, quæ ſpecialiter à DEO revelante dependent, ut myſteria gratiæ & futura contingentia, mutationes inferiorum, &c. aliæ enim veritates naturales à ſcientia Angelica perfectiſſimè penetrantur.

7. Ex quo habes, tria eſſe, quæ illuminatio ad locutionem ſuperaddit. Primum eſt ordo & habitudo ad primam veritatem revelantem. Alterum, modus cognoſcendi perfectior in illuminante. Tertium, confortatio intellectûs inferioris, non effectiva, quaſi per productionem novi luminis; ſed objectiva, per explicatiorem propoſitionem veritatis ad captum Angeli inferioris.

Rectè proinde deſcribes illuminationem, quòd ſit locutio Angeli ſuperioris cum inferiori, quâ illi manifeſtat veritatem tanquam à DEO acceptam & proportionatam ad captum inferioris.

ARTICULUS II.

Quæ & quot ſint Hierarchiæ & ordines Angelorum?

SUMMARIA.

1. *Quid ſit Hierarchia.*
2. *An una ſit hominum & Angelorum?*
3. *Angelica Hierarchia triplex ex triplici modo illuminandi,*
4. *Et Divinam gubernationem recipiendi.*
5. *Nomina & ſignificata Ordinum ſuprema ac primæ Hierarchiæ.*
6. *Nomina & officia ordinum ſecundæ Hierarchiæ.*
7. *Nomina & officia ordinum tertiæ Hierarchiæ.*

§. I.

Exponuntur Hierarchiæ.

1. Hierarchia ſignificat ſacrum principatum, h. e. quandam multitudinem & collectionem, ſub uno principe ordinatam ad ſacram operationem. Qua de cauſa primò non eſt Hierarchia inter Perſonas Divinas: quia licèt inter illas detur ordo, non tamen datur principatus. Neque ſecundò Hierarchia reperitur inter bruta, vel dæmones, quia ſunt incapaces ſacræ operationis.

2. Porrò Hierarchia poteſt conſiderari dupliciter; vel ſecundùm habitudinem ad principem, & caput, à quo regitur, vel ſecundùm modum, quo à principe gubernatur. Si primò modo Hierarchiam accipias, certum eſt, quòd unica ſit Hierarchia hominum ſimul & Angelorum, cùm omnium ſit unus Princeps, DEUS optimus maximus, à quo gubernantur, atque in finem ſupernaturalem diriguntur. Si verò ſecundo modo accipias, tunc hominum Chriſtianorum communitas diſtinctam conſtituit Hierarchiam à communitate Angelorum; quippe quæ ſub ſenſibilibus ſignis, Sacramentis videlicet & ſacrificiis, gubernatur.

3. Angelica verò Reſpublica in triplicem Hierarchiam dividitur juxta communem Theologorum doctrinam, acceptam ex D. Dionyſ. de

Cæl. Hier. Ubi S. hîc Pater innuit, quòd hanc doctrinam à suo & Gentium Magistro D. Paulo didicerit.

Ratio congruentiæ est : distinctio Hierarchiæ desumitur ex diverso modo à DEO, ceu summo Principe ductum & illuminationem recipiendi : sed hic est triplex. Nam primus & perfectissimus modus illuminationis est, à DEO immediatè illuminari, & simul inferiores illuminare. Secundus, illuminari mediatè, & rursus alios illuminare. Tertius & infimus, mediatè illuminari, nec alios Angelos inferiores illuminare. Primus modus primam, secundus secundam, postremus postremam *Hierarchiam* constituit.

4. Præterea, tres sunt modi Divinam gubernationem recipiendi, DEóque ministrandi ; primus est, summo Principi assistere, qui competit Angelis supremæ Hierarchiæ, secundus, generales dispositiones Divinæ Providentiæ exequendas ordinare & intimare, quod ad secundam Hierarchiam pertinet; tertius, particularia ministeria exequi, quod est munus postremæ Hierarchiæ.

§. II.

Ordines & Chori Angelorum.

5. QUælibet Hierarchia constat ex triplici Choro seu ordine, quorum novenarius & appellatio ex variis S. Script. locis, S. Dionysii, aliorúmque SS. PP. doctrina desumitur. Et primæ quidem Hierarchiæ ordines appellationem sortiuntur ex speciali habitudine & unione ad DEUM, sive per voluntatem, sive per intellectum. Unde primus est Seraphinorum, qui sic vocantur propter excellentissimam unionem per amorem & charitatem. Secundus, Cherubinorum, qui nomen accipiunt à plenitudine scientiæ. Tertium ordinem constituunt Throni, sic dicti ab intima DEI immanentia, sive, quòd in ipsis immediatè DEI illuminationes quiescant, & terminentur.

Reliqui Ordines nomen accipiunt ex habitudine & respectu ad creaturas in adimplendi Summi Principis DEI optimi Max. voluntate. Et in secunda Hierarchia continentur Dominationes, quorum est, agenda aliis intimare, ordinare, ac distribuere. Virtutes, qui generalia & mirabilia opera Divinæ Providentiæ ad mundi gubernationem, & regimen Ecclesiæ spectantia exequuntur. Potestates, qui ordinem Divinæ Providentiæ illæsum servant, impedimenta removent, hostes coërcent.

Tertia Hierarchia, quæ particulari executioni Divinæ Providentiæ præsidet, dividitur in Principatus, qui curam gerunt integrorum regnorum & Provinciarum. Archangelos, qui publicas personas, Reges, Pontifices custodiunt, Angelos, qui ad singulorum hominum custodiam sunt deputati.

ARTICULUS III.

De missione & custodia Angelorum.

SUMMARIA.

1. *Fides docet Angelos mitti.*
2. *Superiores Angeli non mittuntur.*
3. *Præsertim in primis 4. Choris Angelorum.*
4. *Si missio fiat in finem ordinarium.*
5. *Testimonia S. Script. objecta exponuntur.*
6. *Singuli homines habent suum Angelum Custodem.*
7. *Custodia incipit à nativitate.*
8. *Post hanc vitam cessat custodia.*
9. *Christus non habuit Angelum Custodem.*
10. *Quis effectus Angelicæ custodiæ?*
11. *An quilibet hominum habeat dæmonem insidiantem?*

§. I.

Quorum ordinum Angeli mittantur?

1. ANgelos in ministerium mitti, est fide Divinâ certum. Constat ex illo Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, &c.* & Luc. 1. *missus est Gabriel Angelus, &c.* Ratio S. D. q. 112. a. 1. est. *ille mitti dicitur, qui aliquo modo ab aliquo procedit, ut incipiat esse, ubi priùs non erat, vel ubi priùs erat per alium modum.* Sed Angeli hoc modo procedunt à DEO, cùm enim præsideant corporali creaturæ, ut art. præced. ostensum, ex imperio & ordinatione Divina transferuntur ab uno termino & loco in alium, cum nova præsentia, & effectu in illo.

Controversia est, an omnium ordinum Angeli mittantur in Ministerium?

CONCLUSIO. *Superiores Angeli (præsertim primi quatuor Chori Angelorum) nunquam ad exterius ministerium mittuntur.* Ita S. D. hîc a. 2. & 4. D. Dionysius c. 8. Cæl. Hier. & D. Greg. Hom. 34. in Evangelia dicens: *Superiora agmina usum exterioris ministerii nequaquam habent.*

Et probatur ratione S. D. Ordo Divinæ Providentiæ est, ut inferiora ordinatè administrentur per superiora, ubi specialis ratio non indet exceptionem; sed in ministeriis Angelorum nulla est specialis ratio, cur DEUS debeat supremos Angelos gubernare hæc inferiora, non mediantibus inferioribus Angelis: ergo DEUS non gubernat hæc inferiora per supremos Angelos non missis inferioribus : præcipuè cùm mysterium Incarnationis, quod est opus summi ministerii, per Archangelum fuerit executioni mandatum, ut notat ex D. Greg. Doct. Angel. hîc cit. a. 2. in c. Minor probatur. Ratio, cur DEUS aliquando prætermittat ordinem naturæ, est ma-

nife-

manifestatio gratiæ, vel fidei confirmatio; sed in ministeriis Angelorum neutra ratio habet locum; non prima, quia hæc pertinent ad ordinem gratiæ; non secunda; quia cùm prætermissio hujus ordinis nobis non possit innotescere, nihil conduceret ad fidei confirmationem.

3. Dixi, præterum *primi quatuor Chori Angelorum*: illi enim Angeli non mittuntur in exterius ministerium, quorum officium nomine significatum non pertinet ad executionem in gubernatione mundi, & procuranda hominum salute: sed quatuor primis Angelorum Choris nullum tale officium incumbit: siquidem primi tres Chori sunt tantùm assistentes, eorúmque nomina significant ardorem charitatis, plenitudinem scientiæ, quietem & immanentiam Divini luminis, quibus nullum denotatur exterius ministerium. Nomine verò Dominationis significatur imperium & intimatio agendorum, non ipsum ministerium.

4. Ubi tamen observa, dicta procedere de Angelorum missione in finem ordinarium, qui est gubernatio Regum, regnorum, provinciarum, & salus hominum. quo non obstante propter finem aliquem extraordinarium, veluti ad inserviendum Christo D. tanquam supremo capiti, vel ad B. V. in cœlum deducendam, etiam primæ Hierarchiæ & ordinis Angeli mitti potuerunt, uti aliquando insinuare videntur SS. PP. Imò videtur esse conformius ad sensum S. Ecclesiæ, quòd S. Michaël, qui est primas & Princeps totius cœlestis exercitûs, sit etiam Princeps & Custos S. Ecclesiæ, & olim Synagogæ: isque ipse, qui DEI Legatus, & quasi vice-Deus Moysi in flamma rubi apparuit, & legem dedit in monte Sinai; postea etiam à Josue conspectus, dixit, se esse *Principem exercitûs Domini*. Est enim hæc missio nobilissima, agere vices & Legatum ipsius DEI, & esse Præsidem totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ; neque convenientius alteri Angelo tribuitur præfectura Hierarchiæ Ecclesiasticæ in terris, quàm cui competit principatus Hierarchiæ Angelicæ in cœlis. Et ita communiter sentiunt Interpp. S. Script.

5. Objicies tamen diversa S. Script. testimonia primò. Cherubim fuit missus ad custodiam Paradisi. Secundò Michaël Dan. 10. fuit missus *in adjutorium*, & tamen est *unus de Principibus primis*, eúmque Ecclesia veneratur *ut primatem cælestis exercitûs*. Tertiò. Seraphim Is. 6. fuit missus ad mundanda labia Prophetæ. Quartò. Raphaël Angelus Tob. 12. dixit se esse *unum è septem assistentibus ante Dominum*: assistentia autem convenit primis spiritibus. Quintò. Apostol. Heb. 1. generatim de omnibus Angelis affirmat, quòd sint *Administratorii Spiritus missi in ministerium*.

Respondeo ad 1. & 3. Angelos quandoque appellari nomine suorum principalium, quorum vice funguntur, ideo quamvis uterque Angelus, tum qui Paradiso custodiendo præfectus est, tum qui labia Isaiæ purgavit, sit ex infimo ordine Angelorum, quia tamen ille Cherubini, iste Seraphini virtute & authoritate id fecit, propterea suorum principalium nomen participat. Ita S.D. hic a. 2. ad 2. ad mentem D. Greg. Hom. 34. in Evangel. dicentis: *Hi Spiritus, qui mittuntur, eorum vocabulum percipiunt, quorum officium gerunt*.

Ad 2. Respondet Gonet, Angelum Michaëlem, de quo Daniel, esse ex ordine Archangelorum, Ecclesiæ Catholicæ, olim Synagogæ præsidem. Nam teste D. Hieron. in loc. cit. *Principes primos Archangelos intelligimus*. Sed conformiùs ad præcedentia, ubi diximus, Principatibus curam regnorum & provinciarum demandari, Labat existimat, esse ex ordine Principatuum, uti & Angelus Persiæ Dan. 10. Nec obstat hoc ipso nomine etiam summum Angelum Luciferi antagonistam appellari Apoc. 12. id quippe fit propter similes utriusque operationes, dum primus Angelus Divinum honorem contra dæmones in cælo, Archangelus verò Ecclesiæ Catholicæ Custos eundem contra hæreticos propugnat in terris; ideóque sub uno nomine, *Quis ut DEUS?* ab Ecclesia coluntur, prout exponunt Gonet & Labat citati. Verisimilior tamen videtur responsio, quam primùm attuli num. 4.

Ad 4. Respondeo, Assistentiam illô locô accipi pro visione beatifica. *& septenario numero universitatem figurari*, juxta D. Greg. Hom. 33.

Ad 5. dico. *Omnes esse administratorios Spiritus, & mitti in ministerium*, missione vel visibili, vel invisibili (quæ fit per illuminationem) immediatâ vel mediatâ, concedo, semper immediatâ & visibili, nego.

§. II.

Varia quæsita de Angelorum Custodia resolvuntur.

6. CErtum de fide est: ex 18. Cap. Matth. aliisque frequentibus Scripturæ locis, SS. Angelos esse ad hominum custodiam deputatos. Circa quam tamen custodiam varia oriuntur dubia, &

Quæres primò. An singulis hominibus etiam reprobis & infidelibus singuli Angeli sint in custodiam deputati?

Respondeo affirmativè cum S. D. hîc a. 4. & comm. Theolog.

Deducitur ex variis Script. locis à SS. PP. & Interpretibus, inter quos D. Chrysostomus Hom. 14. in Epist. ad Heb. *Vnicuique nostrûm Angelus assidet*. Et D. Bernard. 5. de consid. c. 4. *Putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur*.

Ratio est: quòd viatoribus *per viam non tutam ambulantibus dantur Custodes*: sed quilibet homo, quantumvis infidelis & reprobus, est viator, & ambulat per viam tentationibus & insidiis plenam: ergo quilibet accipit Angelum Custodem.

Confirmatur. Custodia Angelica est effectus voluntatis antecedentis, quâ DEUS vult omnes homines salvos fieri; ergo sicut virtute illius voluntatis omni homini dantur media sufficientia ad salutem, ita etiam cuilibet hominum datur suus Angelus Custos.

7. Quæres secundò. Quandonam incipiat hæc Angelorum custodia?

Respondet D. Hieron. in c. 18. Matth. *ab ortu nativitatis unaquæque anima habet in custodiam sui Angelum deputatum.* Nam ab ortu nativitatis incipit esse viator variis periculis obnoxius, & capax mediorum conducentium ad salutem. Quamdiu verò latet infans intra uterum maternum, cùm *per quandam colligationem* censeatur quid unum cum matre, *sicut fructus pendens in arbore, est aliquid arboris*, inquit S. D. a. 5. ad 3. videtur ad ejus custodiam sufficere Angelus Custos ipsius matris. Porrò, quia status viæ permanet usque ad instans mortis, circa quod potissimum est salutis discrimen, ideo nunquam homo totaliter à suo Custode Angelo usque ad illud instans quoad effectum custodiæ deseritur, ut tradit S. D. q. 113. a. 6.

8. Quæres tertiò. An in termino viæ anima separata habeat Angelum Custodem?

Respondeo, negativè: tunc enim cessat ratio viæ, & finis custodiæ, qui est promotio hominis ad suam salutem, & periculorum remotio: unde tunc solùm habebit anima *in regno Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem.*

9. Quæres quartò. An Christus habuerit Angelum Custodem? Respondeo negativè. Primò. Quia ipse est caput Angelorum. Secundò. Quia ipsius humanitas regebatur per ipsam divinitatem Verbi hypostaticè uniti. Tertiò. Quia jam erat comprehensor.

10. Quæres quintò. Quidnam circa clientem operetur Angelorum custodia? Respondeo, operari internè & externè, procurando bona, avertendo mala tum corporis tum animæ. Internè operatur mediante immutatione phantasmatum excitando species piorum objectorum: vel malè dæmone excitata phantasmata dissipando. Externè operatur, avertendo tentationes, pericula & impedimenta salutis, dæmonis accessum prohibendo, &c.

Quæres sextò. An etiam hominibus à Lucifero deputetur proprius dæmon tentator, sicut DEO singulis deputatur Angelus tutelaris?

Respondeo. Certum videri, à Lucifero mitti & determinari dæmones ad tentandos homines: ita enim apertè colligitur tam è S. Script. quàm historia Ecclesiastica, & post Mag. Sent. tradit Doctor Angelicus hìc q. 114. a. 1. in c. his verbis: *Dæmones propter superbiam Divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem: sicut Angeli DEO ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem.* Quòd autem singulis hominibus singuli dæmones ad tentandum, vel incendum sint deputati, prout Gentiles existimabant, cuilibet æquè malum, ac bonum genium assignantes, non videtur admittendum; neque enim congruit infinitæ DEI bonitati tantam tyrannoni potestatem permittere ad nocendum, quam ipse utitur ad hominem juvandum & promovendum in salutem æternam, cùm neque Jobum sine speciali DEI permissione infestare diabolus potuerit. Assignatio quoque singulorum Angelorum Custodum pro singulis hominibus, est specialis effectus Divinæ Providentiæ indicatus in S. Scripturis, quem ad dæmonis potestatem extendendi nullum est fundamentum.

Regi & Reginæ Angelorum, SS. Angelis præsertim Tutelaribus, Angelicoque Doctori sit honor & gloria.



INDEX ALPHABETICUS
Rerum & Verborum
TOMI PRIMI.

A.

Accidens.

Accidens supernaturale cur non exigat subjectum connaturale? Tr. 1. D. 6. a. 4. n. 8.

Accidentia spiritualia individuantur à subjecto spirituali, Tr. 3. D. 27. a. 2. n. 7.

Actus.

Actûs dignitas crescit ex dignitate objecti non arithmeticè, sed geometricè, Tr. 1. D. 6. a. 1. n. 3.

Actus notionales inadæquatè distinguuntur ab essentialibus, Tr. 2. D. 21. a. 2. n. 8.

Actus primus Angeli fuit imperfectè liber, Tr. 3. D. 33. a. 2. n. 7. Fuit tamen dispositio ad gratiam: ibidem n. 7. Adscribitur Deo, ut specialiter applicanti, D. 34. a. 2. n. 3.

Ægidius.

Ægidij Romani sententia de cognitione futurorum in Divinis ideis exponitur, & impugnatur, Tr. 1. D. 13. a. 2. n. 1. & seqq.

Æternitas.

Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, Tr. 1. D. 5. a. 7. n. 2.

Æternitas Dei ex fide & ratione ostenditur. n. 3. & 4.

Æternitas mensurat DEUM sine imperfectione. num, 5.

Æternitas est mensura aliena & extrinseca respectu creatæ durationis, n. 7.

Æternitatis perfectio alia est intensiva, alia extensiva, n. 9.

Æternitatis tria sunt prædicata: infinitas, indivisibilitas, & immutabilis uniformitas durandi, n. 10.

Æternitatis Divinæ & ævi Angelici diversitas, Tr. 3. D. 30. a. 5. n. 4.

Æternitatis & imensitatis disparitas, Tr. 1. D. 5. a. 5. n. 5.

Æternitas Dei non admittit anterioritatem formalem, n. 6.

Angelus.

Angelus inferior est in eodem gradu immaterialitatis genericæ cum superiori, Tr. 1. D. 6. a. 4. n. 7.

Angelus in sui cognitione producit verbum, D. 7. a. 7. n. 19.

Angelorum pugna ex C. 10. Dan. exponitur, D. 10. a. 3. n. 20.

Angeli non excludunt æqualiter materiã quoad conditionem potentialitatis, D. 11. a. 1. n. 7.

Angelorum existentia ostenditur, Tr. 3. D. 27. a. 1. n. 1. Sunt substantiæ incorporeæ, n. 2. & seqq. Intrinsecè incorruptibiles, n. 9. Fuerunt creati in cœlo empyreo, n. 10. Non verò ante mundum, n. 12. Omnes Angeli specie distinguuntur, a. 2. n. 2. Et solo numero distingui implicat, n. 3. nec fit bona paritas ab animabus separatis, n. 4. Angelorum multitudo non excedit numerum omniũ individuorum corporeorum, n. 9. benè verò specierum, n. 10. & numerum hominum, n. 11.

Angeli sæpè appatent per immutationem phantasiæ, D. 28. a. 1. n. 1. Etiam verè assumunt corpora, n. 2. & quo modo? n. 3. & 4. Plerumque assumunt corpora humanæ figuræ, n. 5. & propriâ virtute, n. 6. in corporibus assumptis non exercent opera vitæ, n. 8. non possunt formam physicam educere è subjecto, n. 9. exceptâ luce, n. 10. habent magnam potestatem in corpora hominum, n. 16.

Angelus est in loco, Tr. 3. D. 28. a. 2. n. 1. in loco connaturali per suam operationem, n. 2. in loco violento per passionem, n. 3.

Angelus potest esse in loco minori, non autem in majori in infinitum, a. 1. n. 7.

Angelus perfectior habet majorem locum, n. 8. Non potest simul esse in duobus locis adæquatis, benè tamen inadæquatis à se distantibus, n. 9. Plures Angeli possunt esse in eodem loco materiali, non formali, n. 10. Unus Angelus non potest esse physicè præsens in alterius Angeli essentia, n. 11.

Angelus non tantum per accidens, sed etiam per se movetur localiter, a. 3. n. 2. motu tam continuo, n. 3. quàm discreto, n. 4. in motu discreto non indiget transitu medij, n. 5. nec ipsi obest ordo situalis mundi, n. 6. eius motus discretus non est medius inter terminos, sed ex ipsis componitur, n. 7. nunquam fit in instanti, n. 9. Omnis Angeli motus mensuratur tempore vel continuo, vel discreto, n. 10. summa est ipsius velocitas, n. 11. & in motu continuo perfectior Angelus etiam est velocior, ibid: Angeli potentia loco motiva non distinguitur ab intellectu practico ipsius, n. 12.

Angeli intellectus, & intellectio distinguuntur ab ejus substantia. D. 29. a. 1. n. 1. 2. 3.

in Angelo intellectus agens & patiens non distinguuntur, n. 4. Angelus nõ requirit species intelligibiles suæ existentiæ superadditas, n. 5. nec ab objectis acceptas, n. 6. sed initio suæ creæ-

creationis infusas, n.7. quæ ita sunt connaturales Angelo, ut tamen non sint ipsius proprietates, n.13.& 14. Angeli substantia est incompleta ad cognitionem omnis entis, n. 8.
Angelus intelligit per species universales in repræsentando, a.2. n.4.& seq.
Angelus cognoscit se per suamet substantiam, tanquam speciem impressam, D.30. a.1. n. 2. non tanquam per speciem expressam, n. 3. sicut & suas species, operationes & proprietates, n. 9.
Angeli substantia non est immediatè intellectiva in actu, n. 7.
Angelus cognoscit DEUM, per suam substantiam, tanquam per imaginem & medium cognitum, non tanquam per speciem intelligibilem, a.2. n.1. & seqq.
Angelus cognoscit alium Angelum, a. 3. n. 1. non per suam, neque Angeli cogniti substantiam, n. 2. 3.4. neque potest hoc modo cognoscere, n.5. sed per species infusas, n.6.
Angelus quemlibet alium cognoscit quidditativè & intuitivè, n.8. Inferior superiorem etiam comprehendit comprehensione extensivâ. n.10.11. Superior verò inferiorem comprehensione etiam intensivâ, n.15.
Angeli cognoscunt universalia & singularia per speciem intelligibilem, quâ repræsentatur natura specifica, a.4 n.4. & seqq.
Angelus non cognoscit naturaliter futura contingentia, a.5. n.1. & seqq. habet species futurorum contingentium tantùm repræsentativas in actu primo, n.5.
Angelus quænam præterita naturaliter cognoscat? n.7. non cognoscit secreta cordium naturaliter, seclusâ speciali revelatione vel directione, a.6. n. 2. & seqq. neque mysteria gratiæ, n.10. cognoscit tamen naturaliter alterius Angeli species & habitus, ibidem.
Angelus se & DEUM semper actu cognoscit, D.31. a.1. n. 1. & 2. non autem alia objecta, n. 3. neque simul multa ut multa, n. 5. potest tamen habere simul plures cognitiones diversi ordinis & generis, n. 6. non admittit habitum scientiæ, vel artis, benè autem habitum opinionis & fidei acquisitæ, n.8.
Angeli carent discursu formali, D. 31. a. 2. n. 2. & seqq. nihilominus in effectu naturali possunt cognoscere causam supernaturalem, n.6.
Angeli quomodo dicantur consultare, & mirari? n. 9.
Angeli non intelligunt componendo & dividendo, n. 11.
Angelus necessariò amat se ipsum, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, D. 32. ar. unico. n. 1.& 2. nec minùs DEUM ut Authorem naturæ, & quidem plus, quàm se ipsum, n.14. alios Angelos diligit necessariò quoad specificationem, n.1.
Angeli non sunt creati in beatitudine supernaturali, sed naturali, D. 33. a. 1. n. 2. & seqq. omnes fuerunt creati in gratia, a. 2. n. 1. & 2. ad quam proprio actu fuêre dispositi, n. 6. tametsi is processerit à gratia, n.8.
Angeli meruerunt suam beatitudinem etiam in primo instanti, a. 3. n. 1. & seqq. consecuti sunt boni Angeli suam beatitudinem statim post instans plenæ libertatis, n. 10.
Angeli non erant simpliciter impeccabiles, sed secundùm quid, D.34. a.1. n.6. & seq. Angelus determinatur ad prosecutionem suæ beatitudinis in particulari, n.11. nec potest errare circa legem naturalem, n.12.
Angelus naturaliter cognoscit finem supernaturalem in confuso, n.15. In statu puræ naturæ foret remotè peccabilis, n.16.
Angelus defacto non peccavit in primo instanti, a. 2. n. 1. neque peccare potuit, n. 2. & seq. non habuit omnia requisita ad peccandum, n.8. Angeli prima operatio fuit ex gratia speciali, n.10.
Angelus non potuit peccare venialiter, a. 3. n.1.
Angeli primum peccatum fuit superbia, n. 5. & seq.
Angelo repugnat error formalis, a.4. n. 1.
Angelorum beatorum numerus est major, quàm damnatorum, n.16.
Angelorum locutio exponitur, Tr. 3. D. 36. a. 1. n. 2.
Angelus superior illuminat inferiorem, n.3. &c.
Angelicæ Hierarchiæ & ordines quid & quot sint? a. 2. n. 1. & seq.
Angeli mittuntur, a. 3. n. 1. sed non superiores, n. 2.
Angeli Custodes singulis hominibus deputati, n. 6.
Angelicæ custodiæ effectus, n. 10.

Anselmus.

D. Anselmus nequaquam docet Divinitatem esse receptivam accidentium, Tr. 1. D. 5. a. 6. n. 10. D. Anselmum non favere Scotistarum sententiæ de processione Spiritûs sancti ostenditur, Tr. 2. D. 26. a. 2. n. 10. & seqq.

Anima.

Anima rationalis alteram non videt intuitivè, quia est corporea ut quô, Tr. 1. D. 6. a. 4. n. 8.
Anima separata virtute propriâ non assumit corpus, Tr. 3. D. 28. a. 1. n. 7. se intelligit per suam substantiam, D. 30. a. 1. n. 8.

Antichristus.

Antichristus sine contradictione nunc est, & non est, Tr. 1. D. 5. a. 7. n. 23. an per hoc se formaliter futurus, per quod erit formaliter? D. 13. a. 1. n. 33.

Appetitus.

Appetitus naturalis cognoscendi causam non videnter infert possibilitatem videndi DEUM, Tr. 1. D. 6. a. 1. n. 10. Non datur appetitus naturalis innatus vel elicitus clarè videndi DEUM, n. 11.

Argumentum.

Argumentum Theologicum ex quo sensu sacræ Scripturæ ducatur? Tr. 1. D. 1. a. 7. n. 2.
Argumentum à pari quanti æstimandum Theologo? ibidem n. 5.

Aseitas.

Aseitas astruitur pro constitutivo Divinæ naturæ, Tr. 1. D. 3. a. 3. n. 6. & seqq. unà cum intelligere actualissimo, a. 5. §. 2. & 3.

Attributum.

Attributi significatio, Tr. 1. *D.* 4. a. 1. n. 1. Attributa formaliter implicitè includunt in se Divinam naturam & relationes, & vicissim includuntur, *D.* 4. a. 5. n. 1. & seq. junguntur Divinæ essentiæ per intellectum, non componuntur, *D.* 5. a. 2. sunt objecta secundaria Divinæ cognitionis, *D.* 11. a. 2. n. 7.

Armeni.

Armenorum hæresis negabat Deum posse intuitivè videri ab intellectu creato, Tr. 1. *D.* 6. a. 1. n. 1.

Augustinus.

S. Augustini doctrina an concordet cum scientiâ mediâ? Tr. 1. *D.* 14. a. 3. per totum.

Quid S. Augustinus intelligat per congruam vocationem? n. 16. Ejus mens circa decreta intrinsecè efficacia expenditur, *D.* 17. a. 2. n. 2. 10. & 17.

B.

Beatitudo.

Beatitudo dividitur in naturalem & supernaturalem, simpliciter & secundùm quid, Tract. 3. D. 33. a. 1. n. 1.

Beatus.

Beati de facto Deum vident, Tr. 1. *D.* 6. a. 1. n. 1. connaturaliter connaturalitate extrinsecâ, a. 4. n. 10. de facto vident omnia, quæ sunt formaliter in Deo, *D.* 10. a. 1. n. 1. Vident totum terminum potentiæ generativæ in patre, sed non totaliter, a. 2. n. 10. non possunt videre omnia libera decreta terminativè, n. 13. possunt videre omnes creaturas actuales, n. 14. non tamen eas vident, n. 15. Cognoscunt omnia Mysteria fidei, n. 16. Species Universi, & quæcúnque ad statum ipsorum pertinent, n. 17. eáque simultanée ab initio suæ beatitudinis, n. 19. V. *Visio.*

Beguardi.

Beguardi negabant necessitatem Luminis gloriæ, Tr. 1. *D.* 8. n. 1.

Benedictus.

S. Benedictus in hâc vitâ probabiliter vidit Divinam essentiam, Tr. 1. *D.* 6. a. 3. n. 3.

Bonitas.

Bonitas in rebus datur triplex, Tr. 1. *D.* 5. a. 1. n. 4.

Bonum.

Bonum quo sensu sit diffusivum sui? Tr. 1. *D.* 5. a. 1. n. 4.

Bonum & perfectum juxta sanctum Doctorem dicitur ab actu, Tr. 2. *D.* 22. a. 3. n. 2.

Bonum & Verum in Divinis non dicitur pluraliter, *D.* 25. a. 2. n. 13.

Bruta.

Bruta habent modum cognoscendi immaterialem immersivè, non entitativè, Tr. 1. *D.* 11. a. 1. n. 6.

C.

Calvinismus.

Calvinismi calumnia contra prædefinitiones objecta depellitur, Tr. 1. *D.* 17. a. 2. n. 26.

Calvinismum inter & Doctrinam Thomistarum lata diversitas, n. 27.

Calvinisticum dilemma retunditur, Tr. 1. *D.* 18. a. 3. n. 22.

Causa.

Causa tantùm materialiter nobilior non producit nobiliorem effectum, Tr. 1. *D.* 9. a. 1. n. 8.

Causa antecédentis non semper est causa consequentis, *D.* 13. a. 3. n. 7.

Causæ secundæ simul sumptæ non habent majorem connexionem cum humana voluntate, quàm seorsim sumptæ, *D.* 17. a. 2. n. 14.

Causalitas circularis implicat, Tr. 1. *D.* 2. a. 2. §. 3. n. 13. & seq.

Certitudo.

Certitudo prædestinationis & reprobationis, vide *Prædestinatio & reprobatio.*

Christus.

Christi anima videt terminum scientiæ Visionis non intensivè sed extensivè adæquatum, Tr. 1. *D.* 10. a. 3. n. 9. & 18.

Christus in Eucharistiâ mittitur invisibiliter, Tr. 2. *D.* 26. a. 3. n. 5.

Christus non habuit Angelum Custodem, Tr. 3. *D.* 36. a. 3. n. 9.

Circùminsessio.

Circùminsessio & περιχώρησις Divinarum Personarum exponitur T. 2. *D.* 25. a. 2. n. 7. & 8.

Cœlum.

Cœlum Empyreum est operativum, T. 1. *D.* 11. a. 1. n. 17.

Cognitio.

Cognitio abstractiva attingit actum purum per species alienas, Tr. 1. *D.* 6. a. 4. n. 9.

Cognitionis veritas magis est conformitas per modum signi, quàm imaginis, *D.* 7. a. 3. n. 10.

Cognitio intuitiva necessariò simul est quidditativa, *D.* 10. a. 1. n. 8.

Cognitio infinitorum possibilium non infert infinitum actu, *D.* 11. a. 4. n. 11.

Cognitio creaturarum in se ipsis in Deum non tantùm infert negativam, sed etiam privativam imperfectionem, *D.* 11. a. 4. n. 26.

Cognitio malorum quomodo detur in Deo? *D.* 11. a. 4. n. 34. & seqq.

Cognitio Divina contingentium futurorum an sit conjecturalis? *D.* 13. n. 14.

Cognitio productiva Verbi Divini tantùm est prior prioritate à quo, *D.* 26. a. 2. n. 5.

Cognitio secretorum & contingentium dependet à certis conditionibus, Tr. 3. *D.* 27. a. 1. num. 12.

Cognitio comprehensiva dividitur in intensivam & extensivam. *D.* 30. a. 3. n. 9.

Cognitum.

Cognitum inferius non excedit capacitatem superioris cognoscentis, Tr. 1. *D.* 6. a. 4. n. 6.

Cognoscens.

Cognoscentium & non cognoscentium differentia, Tr. 1. *D.* 11. a. 1. n. 14.

Cognoscens sit idem cum objecto cognito, *D.* 11. a. 4. n. 10.

Cognoscibilitas.

Cognoscibilitas creaturarum aliter se habet, quàm

quàm eorum producibilitas, Tract. 1. D. 11. 2, 4. n. 28.

Compositio.

Compositio alia est intrinseca hujus ex his, alia extrinseca hujus cum his, vel, in his, Tr. 1. D. 5. a. 1. n. 2.

Compositio Physica, Metaphysica & Logica excluduntur à Deo, n. 6. & seqq.

Compositio per modum partis in Deo implicat, non autem per modum termini & formæ totalis, n. 14.

Comprehensio.

Comprehensionis diversæ acceptiones, Tr. 1. D. 9. a. 2. n. 1.

Comprehensio causæ perfectæ requirit comprehensionem effectuum contentorum, Tract. 2. D. 26. a. 2. n. 9.

Concordia.

Conciliandi modus Thomistas & recentiores in materiâ prædestinationis ab Henrico à S. Ignatio, & ab Augustino Erath propositus refellitur, Tr. 1. D. 17. a. 3. n. 8. & seqq.

Concordia liberi arbitrij cum decretis prædefinientibus ostenditur, Tr. 1. D. 17. a. 3. n. 2.

Congruitas.

Congruitas Vocationis quo sensu accipiatur à D. Augustino, Tr. 1. D. 14. a. 3. n. 16.

Consubstantialitas.

Consubstantialitas Verbi Divini in Evangelio declarata, Tr. 2 D. 2. a. 1. n. 7.

Consubstantialitas Spiritûs S. ostensa in sacrâ Scriptura, ib. n. 18.

Constitutivum.

Constitutivum per modum simplicitatis potest implicitè continere totum, quod est in re constitutâ, Tr. 2. D. 23. a. 2. n. 11.

Concursus.

Concursus Dei extrinsecus non potest supplere Lumen gloriæ, Tr. 1. D. 8. a. 2. n. 6. & seqq.

Contradictoria.

Contradictoria non actu sed fundamento, & virtute dantur in Deo ante opus rationis, Tr. 1. D. 4. a. 1. n. 30.

Contradictoriæ propositiones in Deo non salvantur per distinctionem in tertio, a. 2. & seq.

Corona.

Coronæ ratio non evincit prævisionem meritorum in electione ad gloriam, Tract. 1. D. 18. a. 3. n. 2.

Creatura.

Creatura tam intrinsecè, quàm extrinsecè immutabilis implicat, Tr. 1. D. 5. a. 6. n. 5. non est mensurabilis æternitate simpliciter, D. 5. a. 7. n. 6. mensuratur extrinsecè æternitate Dei, n. 7. Tam præteritæ quàm futuræ in certo sensu sunt physicè præsentes in æternitate, n. 11.

Creaturæ videntur in Deo non tantùm causaliter, sed etiam formaliter, D. 10. a. 2. n. 1. & seqq. tanquàm in medio cognito, n. 9.

Creaturas possibiles videndi in Deo, quæ sit proxima ratio? n. 18. & seq. V. *Possibilia.* V. *DEUS.* Terminant formaliter Divinam omnipotentiam sub ratione producibilis ex nihilo, a. 3. n. 5.

Omnes creaturæ actuales in Deo videri possunt, non omnes possibiles, n. 7. 14. videntur à sola animâ Christi, n. 14. 15.

Quænam creaturæ actuales videantur à beatis? n. 16. & seqq.

Creaturæ possibiles habent cognoscibilitatem in virtutæ causæ, D. 11. a. 4. n. 8.

Quomodo actu habeant realitatem essentiæ? num. 9.

Creaturæ à Deo non cognoscuntur immediatè in seipsis, D. 11. a. 4. n. 13. & seq. quomodo amentur? D. 15. a. 1. n. 7. & 8.

Creaturæ ideo sunt, quia Deus scit futuras, D. 12. a. 2. n. 11, & seqq. Actuales à Deo amantur efficaciter; possibiles verò inefficaciter, D. 15. a. 2. & seqq.

Creatura simpliciter impeccabilis non datur, Tr. 3. D. 34. a. 1. n. 1. nec dari potest, n. 5. potest dari impeccabilis secundùm quid, & defacto datur, n. 10.

Creatura non potest esse sua regula inoperandi, num. 8.

Cumulus.

Cumulus omnium perfectionum non constituit Divinam essentiam, Tr. 1. D. 3. a. 2. n. 7.

Custodia.

Custodia Angelorum, Tr. 3. D. 36. a. 2. n. 6. incipit ab hominis nativitate, n. 7. cessat post hanc vitam, n. 8. Ejus effectus, n. 10.

D.

Decretum.

Decreta libera non omnia possunt terminativè videri à beatis, n. 13. V. *Beatus. Visio.*

Decretum efficax quomodo habeat pro objecto rerum existentiam? D. 12. a. 2. n. 19.

Decretum Dei non causatur, tametsi sit constitutivum futuri causati à Deo, D. 13. a. 1. n. 34.

Decretum Dei aliud positivum, aliud permissivum, D. 13. a. 3. n. 12.

Decretum potest dici subjectivè, vel objectivè conditionatum, a. 5. n. 2. 3.

Decreta objectivè conditionata in Deo non sunt otiosa vel ridicula, neque sunt infinities infinita, ibid. n. 6. 7.

Decretorum Divinorum libertas exponitur, D. 16. a. 1. & 2. V. *Libertas.*

Decreta indifferentia explicantur, & rejiciuntur, D. 17. a. 1. n. 1. & seqq.

Decretum intrinsecè & physicè efficax exponitur, & asseritur, n. 5. & seqq.

Decretorum intrinseca efficacia à Martinez ex posita refellitur, a. 2. n. 1. & seqq. Item illa, quam tradit Henricus à S. Ignatio, n. 5. & seqq.

Decreta physicè prædefinientia circa actus bonos adstruuntur, n. 16. & seqq.

Item circa materiale peccati, n. 22. & seqq.

Per Decreta prædefinientia causari libertatem, non est propositio parodoxa, aut petitio principii, n. 29.

Decreta cum libero arbitrio conciliandi varii modi, D. 17. a. 3. n. 1.

Illâ conciliandi vera ratio est efficacia Divinæ voluntatis, n. 2.

Decretorum divisio in intentiva & executiva, D.18. a.3. n.1.

DEUS.

Deum esse, est per se notum quoad se non quoad nos, Tr.1. *D.*2. a.1. n.3.

Dei notitia est omnibus hominibus radicaliter insita, ibid. n.7. Dei vocabulum non semper apprehenditur tanquam entis, quô majus & melius excogitari non potest, n.8.

Deus non semper significat existentiam exercitam, sed signatam, n.9.

Deum esse Trinum, an sit per se notum? n.11.

Deus est evidenter demonstrabilis ex creaturis, a.2, n.1. & seqq.

Deus *quoad nos est*, creditur fide Divinâ ut author gratiæ, n.3.

Dei existentia variè demonstratur, ibid. & seqq.

Deus invincibiliter non ignoratur, n.27. & seqq.

Dei prima operatio non distinguitur virtualiter à natura, n.15.

Dei natura est infinita radicaliter, a.2. n.12.

Deus est suum vivere, sicut esse, & intelligere, a.4. n.12.

Dei simplicitas non tantùm debet esse realis, sed etiam formalis, n.16.

Deus non recipit conceptum actûs primi, n.20.

In Deo non datur distinctio excludentis & excluſi, ibid. n.3.

Dei Essentia & attributa de se formaliter, & in abstracto prædicantur, a.1. n.5. & seqq.

Deus est optimus omni genere bonitatis, *D.*5. a.1. n.6. Continet formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, n.7.

Est diffusivus sui, n.8.

Deus non potest creare creaturam perfectissimam, n.10.

Deus est maximè unus, quia est suum esse, n.11.

Deus est verus omnibus modis, n.13.

Dei simplicitas multipliciter probatur, a.2. n.3. & seqq.

In Deo datur fundamentum distinguendi, non separandi per rationem, n.11.

Deus componit per modũ termini & formæ totalis, non verò per modum partis, n.13. & 14.

Deus per Essentiam infinitus, a.3. n.1.

Dei immensitas à S. D. rectè probatur ex omnipotentia, a.4. n.2.

Deus est in rebus tam immediatione suppositi, quàm virtutis, n.7. Est in creaturis, illas immutando & continendo, n.8.

Est ubique præsens per operationem, n.10. Non est in spatijs imaginarijs, a.5. n.1.

Est supra, & extra Mundum sine adjumento spatij imaginarij, n.4.

Dei immensitas consequitur duplex attributum omnipotentiæ & infinitatis, n.9.

Deus est ubique per essentiam, potentiam & præsentiam, n.10.

Dei immutabilitas ex fide & ratione adstruitur, a.6. n.3. & 4.

Dei æternitas ex fide & ratione ostenditur, a.7. n.3. & 4.

Deus mensuratur æternitate sine imperfectione, num. 5.

Deus ab intellectu creato intuitivè videri potest, & de facto videtur, *D.*6. a.1. In hac vita clarè visum fuisse à Beatissima Virgine, & S. Benedicto probabile est, a.3. n.5. & seq. Oculô corporeô videri non potest per ullam potentiam, n.15. & seq.

Videri secundùm potentiam ordinariam viribus naturæ est impossibile, a.4. n.1. Est etiam simpliciter impossibile, n.2.

Deus non potest fieri intelligibilis per speciem creatam, *D.*7. a.1. n.8.

Est incomprehensibilis: potest videri totus, sed non totaliter, *D.*9. a.2. n.2. & seqq.

Dei connexio cum creaturis nullam infert imperfectionem, *D.*10. a.2. n.5.

Quomodo possit nominari à creaturis? *D.*10. a.3. n.21. & seq.

Videt se in creaturis, non ex creaturis, *D.*11. a.2. n.20.

Non diligit sua Attributa amore electivo, n.17.

Cognoscit creaturas secundùm formale esse ipsarum, a.4. n.1.

Non cognoscit illas immediatè in se ipsis, n.13.

Quomodo cognoscat futura contingentia? a.2. per totum. V. *Futura.*

Non cognoscit suum Decretum ut possibile positivè, *D.*13. a.2. n.8.

Deus in decreto objectivè conditionato videt futura contingentia conditionata, *D.*14. a.5. num. 4.

Quomodo Deus operetur propter creaturas? *D.*15. a.1. n.6. easque amet ut media? n.8.

Amat creaturas rationales amore amicitiæ, n.7.

Amat creaturas actuales efficaciter; possibiles inefficaciter, a.2. n.2. & seqq.

Non potest velle in tempore, quod ab æterno noluit, *D.*16. a.1. n.8.

Deus prædestiniens non habet contrarias voluntates, *D.*17. a.2. n.42.

Deus ut præintellectus rationibus habet rationem suppositi, Tr.2. *D.*24. a.2. n.17.

Distinctio.

Divina Natura & Essentia non distinguuntur virtualiter, *D.*3. a.1. n.3.

Distinctio realis inter Essentiam ac relationes, vel Attributa non datur, *D.*4. a.1. n.2.

Distinctio quædam inter Divinas perfectiones est necessariò admittenda, n.3. & major, quàm rationis ratiocinantis, n.4.

Distinctio Scotistica refutatur, n.9. & seq. n.15. & seq.

Distinctio realis in tertio exponitur, & ad salvanda contradictoria in Divinis insufficiens declaratur, a.2. & seq.

Distinctio virtualis sufficit ad salvanda contradictoria in Divinis, a.2. n.8. & a.3. n.7. & seq.

Distinctio virtualis explicatur, a.3. n.1.

Hæc non est ipsa distinctio rationis ratiocinatæ, n.4. & seq.

Distinctio virtualis non omnî modô verificat propositionem negativam, quô modô distinctio realis actualis, n.13.

Distinctionis virtualis cum formali Scotistica comparatio & diversitas, n.15.

Distinctio virtualis salvat Mysterium SS. Trinitatis, n.17.

Distinctione virtuali extrinsecâ plura contradictoria salvantur in Deo, n.20.
Distinctio virtualis intrinseca rectè dicitur realis, & à Beatis videtur in Deo, n.22.
Distinctio virtualis sufficienter fundat differentiam inter generationem Verbi, & Processionem Spiritûs S. Tr.2. D.22: a.1. n.9.

Divinus.

Divinæ naturæ constitutivum est per modum simplicitatis, D.3. a.1. n.3.
Divinæ immutabilitati repugnat cujuscunque formæ accidentalis receptio, a.6. n. 6. & seq.
Divina Essentia non potest clarè videri per similitudinem objectivam, D.7. a.1. n.1. Unitur intellectui Beato per modum speciei impressæ, demptis imperfectionibus, a. 2. n. 1. & seq. Concurrit cum intellectu videntis partim in genere causæ formalis, partim in genere causæ efficientis, n.6. & 7.
Non est Verbum Visionis beatæ, a.3. n.18.
Non potest supplere defectum luminis gloriæ, a.2. n.5. V. *Lumen gloriæ.*
Divina Essentia ut virtualiter distincta ab Attributis, Relationibus, specificat visionem, D.10. a. 1. n. 3.
Nec per absolutam potentiam videri potest sine Personis vel Attributis, n.4. & seq.
Divinæ Providentiæ ordo requirit infinitam certitudinem, D. 17. a. 2. n.42.
Divinæ Providentiæ natura & divisio, D.18.a.1. V *Providentia. Prædestinatio.*
In Divinis non datur causa, aliud, alter, principiatum: datur alius, & principium.
Divinæ voluntatis efficacia. V. *Voluntas.*

Duratio.

Durationis natura exponitur, D.5. a.7. n.1.

E.

Effectus.

Effectus demonstrant existentiam Dei, Tr.1. D.2. a.2. §.3. n.15.
Effectus improportionati demonstrant causam *quoad an est*, n. 4.
Effectus prædestinationis quinam sint? D. 18. a.4. V. *Prædestinatio.*
Aliqui effectus prædestinationis habent causam in prædestinato, n.8.
Effectus Reprobationis quinâ sint? V. *Reprobatio.*

Efficacia.

Efficacia Decretorum in scientia media fundata refellitur, Tr.1. D.17. a.2. n.1. & seq.
Physica & intrinseca adstruitur, n. 16. & seq. V. *Decretum.*

Electio.

Electio ad gloriam nō est causa proxima salutis, & in ordine executionis, Tr.1. D.18.a.2.n.4.
Electio gratuita ad gloriam ante prævisa merita adstruitur. D.18. a.3. n.3. & seqq.
Electorum numerus est certus certitudine causalitatis, n.7.

Empyreum.

Empyreum cœlum est operativum, Tr.1. D.11. a. 1. n. 17.

Ens.

Ens rationis quomodo cognoscatur à Deo? D.11. a. 4. n. 37.

Entitas.

Entitates tres in Divinis concedi possunt; non autem tres Essentiæ, Tr. 2. D. 23. a. 2. n. 12.

Esse.

Esse à se, V. *Aseitas.*
Esse Dei attingitur inadæquatâ cognitione, Tr.1, D.2. a.2. n.6.
Esse & intelligere in Deo non distinguuntur inter se virtualiter, sicut & linea entitativa & intellectiva, D.3. a.5. §.1. n.3.
Esse est prius, quàm operari ad extra in linea essendi, non in linea locandi, D.5. a.4. §.2. num. 12.

Essentia.

Essentia & Natura Divina non distinguuntur virtualiter, D.3. a.1. §.3. n.10.
Essentia & esse in Deo tantùm distinguuntur virtualiter extrinsecè, D.3. a.3. §.3.
Essentia & attributa Dei de se formaliter, & in abstracto prædicantur, D. 4. a.5. §.1. n.5. & seqq.
Essentia Divina unitur intellectui Beato per modum speciei impressæ demptis imperfectionibus, D.7. a.2. §.1. n.1. & seqq.
Concurrit cum intellectu videntis partim in genere causæ formalis, partim in genere causæ efficientis, n. 6. & 7.
Non est verbum visionis beatæ, a.3. §.4 n.18.
Repræsentat creaturas, ceu medium incognitum D.10. a.2. §.2. n.9. & seq.
Aliter determinat intellectum Beati ad videndum, quæ sunt formaliter, & quæ sunt eminenter in Deo, §. 3. n. 19.
Essentia Divina non potest esse medium incognitum respectu creaturarum, Tr.1. D.11.4. n. 2 . & seq.
Essentia Divina respectu Divinæ cognitionis exercet rationem speciei, non Attributa, a.2. n.3.
Aliter specificat intellectum, aliter scientiam Dei, n.14.
Essentia Divina formaliter includitur in Relationibus, Tr.2. D. 23. art.2. n.2. & seqq.

Evidentia.

Evidentia. V. *Scientia.*

Existentia.

Existentiæ non multiplicantur in Divinis, Tr.2. D.24. a.1. n.1. & seqq.
Existentia est actus Essentiæ, & perfectio simpliciter simplex, n.6.
Est ultima actualitas sui susceptivi. n.7.
Cujus formalis effectus est, rem completè ponere extra nihil, n.12.

F.

Fœcunditas.

Fœcunditas est de essentia physica, non metaphysica Filij Divini, Tr.2. D.22. a.1. n.11.
Fœcunditas in creaturis tantùm pertinet ad gradum genericum, n.13.

Fatum.

Fatum, in quo sensu rejiciatur à SS. Patribus? Tr.1. a.2. n.1. & 2.
In quo sensu admitti Catholicè possit? n.2. & 3. fin.

Fides.

Fides Divina credit Deum esse ut authorem gratiæ, Tr. 1. D. 2. a. 2. §. 1. n. 3.

Filiatio.

Filiatio spirationi passivæ opponitur indirectè, Tr. 2. D. 23. a. 1. n. 7.

Filiatio prædicatur de Divinitate per modum termini inadæquati, a. 2. n. 10.

Filius.

Filius & Spiritus S. in Divinis quare non generent? Tr. 2. D. 21. a. 3. n. 25.

Filius solus gignitur, Ejúsque solius processio est generatio, D. 22. a. 1. n. 1.

Filius propter virtutem spirandi acceptam à Patre, nô procedit ut Filius, sed ut spirator, n. 6.

Quomodo de ratione Filij sit, esse Spiratorem? n. 12. V. *Generatio.*

Finitum.

Finiti ad infinitum quô sensu nulla sit proportio? Tr. 1. D. 6. a. 3. §. 1. n. 2.

Futurum.

Futuri divisio in necessarium & contingens: in absolutè & conditionatè futurum, Tr. 1. D. 13. a. 1. n. 1, 2.

Futura omnia pertinent ad objectum Divinæ scientiæ, n. 3.

Futurorum coëxistentia in æternitate non salvat certitudinem Divinæ scientiæ, n. 4.

Futuri explicatio in doctrina Recentiorum, n. 5.

Alia expositio secundùm doctrinam Thomistarum, n. 6. & seq.

Futuritionis denominatio non potest esse intrinseca, n. 10.

Futura per determinationem causæ extrahuntur è statu possibilitatis. n. 11.

Futuri denominatio convenit de præsenti, n. 15.

Quænam sint simpliciter futura, vel non? n. 13.

Futurorum contingentium qualis sit scientia? n. 14.

Futurotum contingentium veritas non est intrinsecè determinata, sicut præteritorum, n. 16

Futuritio præsupposita omni decreto DEI, in doctrina D. Augustini, & D. Thomæ implicat, n. 19. 20. & seq.

Futurum non fieri an sit absurdum? n. 29.

Futurum certò respectu constituitur per aliquid præsens, n. 30.

Futura inter & præterita disparitas, n. 32.

Futura non sufficienter constituuntur per solam negationem cum existentia consequente, n. 35

Futura contingentia non videntur in Divinis ideis ante Decretum, D. 13. a. 2. n. 2.

Neque in decretis ut futuris, n. 5.

Neque in supercomprehensione causarum, n. 11.

Neque in objectiva veritate præsupposita Divinis Decretis, n. 17. & seqq.

Futura contingentia Deus videt in sua Essentia determinata per liberum Decretum, n. 24. & seqq.

Futura peccata quomodo Deus videat? a. 3. per totum. V. *Peccatum.*

Futuri conditionati divisio, D. 14. a. 1. n. 1.

Futura conditionata videntur in Decreto objectivè conditionato, D. 14. a. 5. n. 4. Vide *Scientia media.*

G.

Generatio.

Generatio viventis quid sit formaliter? Tract. 2. D. 22. a. 1. n. 1.

Gloria.

Gloria est finis prædestinationis, Tr. 1. D. 18. a. 2. n. 6. & mediatus effectus, a. 4. a 2.

Gloria datur, sed non intenditur propter prævisa merita, a. 3. per totum.

Græci.

Græcorum error de processione Spiritûs S. Tr. 2. D. 26. a. 2. n. 5.

Gratia.

Gratia est participatio Divinæ naturæ & intellectionis, non secundum rationem actûs secundi, sed secundùm rationem radicis vitæ intellectivæ, Tr. 1. D. 3. a. 4. §. 3. n. 29.

Gratia interrupta per peccatum est effectus prædestinationis, D. 18. a. 4. n. 5.

Gratiæ sufficientis auxilia non sunt effectus prædestinationis, n. 6.

Gratia revivíscens est moraliter eadem cum gratia interrupta, D. 18. a. 4. n. 9.

Gratia primæ innocentiæ data Adamo non est effectus prædestinationis, n. 11.

Gratia fuit Angelo collata in primo instanti creationis, Tr. 3. D. 33. a. 2. n. 1. juxta gradum perfectionis naturalis, n. 9. & seqq.

S. Gregorius.

S. Gregorius Thaumaturgus Divinâ revelatione accipit confessionem SS. Trinitatis, Tract. 2. D. 20. n. 8.

H.

Habitus.

Habitus non est admittendus in Deo, D. 11. a. 2. n. 1.

Hæresis.

Hæresis Armenorum, negans Deum videri posse intuitivè ab intellectu creato, Tr. 1. D. 6. a. 1.

Hæresis virtualiter & mediatè opponitur conclusioni Theologicæ, Tr. 1. D. 1. a. 2. §. 1. n. 8.

Hæresis triplex contra Mysterium SS Trinitatis, Ariana, Sabelliana & Macedoniana, Tr. 2. D. 20. a. 1. n. 1. & seqq.

Hæreticorum convenientia in quibusdam terminis & sententijs non obest veritati doctrinæ, D. 17. a. 2. n. 31.

Henricus.

Henricus à S. Ignatio in modo concordandi Recent. cum Thomistis impugnatur, Tr. 1. D. 17. a. 3. n. 8.

Hierarchia.

Hierarchiæ tres Angelorum exponuntur, Tr. 3. D. 36. a. 2. n. 3.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus non est contrarius Divinæ Providentiæ de rebus minimis, Tr. 1. D. 11. a. 4. n. 3

Hypostasis.

Hypostasis non prærequirit aliquam dispositionem, quia dat ipsum esse, Tr. 1. D. 8. art. 1. §. 2. n. 10.

Hypostasis & Subsistentia nô sunt prorsus idem, Tr. 2. D. 24. a. 2. n. 18.

I.

Idea.

Ideæ definitio, *D.* 11. a. 3. n. 1.

Ideæ dantur in DEO, n. 2. de rebus operabilibus, n. 3.

Sunt plures ideæ, n. 5. omnium creaturarum & etiam possibilium, n. 6. æquè omnium individuorum, ac specierum, n. 10. Non tamen mali formalis, n. 7. neque materiæ primæ, n. 8. neque Divinarum Personarum, n. 9.

Ideæ Divinæ habent similitudinem solùm analogicam, & eminentialem cum creaturis, n. 15.

Ideæ in DEO multiplicantur virtualiter extrinsecè, non intrinsecè, n. 16.

Ideæ non repræsentant futura contingentia ante Decretum, *D.* 13. a. 2. §. 1.

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis DEI non datur, Tr. 1. *D.* 2. a. 2. §. 5. n. 27. & seqq.

Illuminatio.

Illuminatio Angelorum quomodo fiat? Tr. 3. *D.* 36. a. 1. n. 5.

Immaterialitas.

Immaterialitas est ratio intellectualitatis à priori quoad nos, non quoad se, Tr. 1. *D.* 3. a. 4. n. 31.

Immaterialitas à S. Thoma non accipitur pro perfectione, n. 19.

Ex immaterialitate Angelicus D. rectè demonstrat intellectualitatem, *D.* 11. a. 1. §. 1. n. 1. & seqq.

Immediatio.

Immediatio virtutis, quâ DEUS est in rebus, est simul immediatio suppositi, Tr. 1. *D.* 5. a. 4. §. 2. n. 7.

Immensitas.

Immensitas est virtus infinita repletiva loci, seu virtus diffusiva sui per omne spatium, Tr. 1. *D.* 5. a. 4. n. 1.

Immensitas DEI consequitur duplex attributum, Omnipotentiæ & Infinitatis, n. 9.

Immensitas est distinctum attributum ab omnipotentia, quamvis constituatur per virtutem operandi, n. 13. & 15.

Immensitatis & Æternitatis disparitas, a. 5. n. 5.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas alia simpliciter, alia secundùm quid, Tr. 3. *D.* 34. a. 1. n. 3. V. *Creatura.*

Inevidentia.

Inevidentia Theologiæ non est privativa, sed negativa, Tr. 1. *D.* 1. a. 3. §. 2. n. 6.

Infinitas.

Infinitas non constituit Divinam naturam, Tr. 1. *D.* 3. a. 2. §. 2. n. 7. & seqq.

Infinitas est tantùm modus essendi, n. 7. & reducitur in esse à se, n. 8.

Infinitatem DEI probat esse à se, & ratio actûs puri, *D.* 5. a. 3. n. 1.

Infinitum.

Infinitum finito additum non mutat prædicata essentialia, Tr. 1. *D.* 2. a. 2. §. 3. n. 19.

Infinitum est, quod fine seu terminis caret: aliud simpliciter, & in toto genere entis; aliud secundùm quid in certo genere entis, *D.* 5. a. 3. §. 1. n. 1.

Innascibilitas.

Innascibilitas quomodo differat ab Ingenerabilitate? Tr. 2. *D.* 25. a. 2. n. 4.

Sitne Negatio? n. 5.

Instantia.

Instantiæ Viæ Angelicæ quid. & quot sint? Tr. 3. *D.* 33. a. 3. n. 7. & seq.

Instrumentum.

Instrumentalis & principalis influxûs differentia, Tr. 1. *D.* 8. a. 3. §. 1. n. 5.

Intellectio.

Intellectio quælibet præter Visionem est simul dictio, Tr. 1. *D.* 7. a. 3. §. 4. n. 20. Vide *Cognitio.*

Intellectus.

Intellectus Angeli. V. *Angelus.*

Intellectus activè influit in Visionem Beatificam, Tr. 1. *D.* 8. a. 3. §. 1. n. 3. & per modum causæ principalis, ib. n. 4.

Intellectus Beati aliter determinatur ab essentia Divina ad videndum, quæ sunt formaliter, & quæ sunt eminenter in DEO, *D.* 10. a. 2. §. 3. num. 19.

Intellectus Divinus non bene dividitur in operantem & producentem, Tr. 2. *D.* 21. a. 2. n. 12.

Intellectuale.

Intellectualis operatio objectum non necessariò præsupponit, Tr. 1. *D.* 3. a. 4. §. 3. n. 24.

Intelligere.

Intelligere actualissimum constituit Naturam Divinam, Tr. 1. *D.* 3. a. 4. §. 2. n. 1. & seq.

Intelligere & esse in DEO virtualiter non distinguuntur, n. 11. & a. 5. §. 1. n. 3.

Intelligere ad formam intelligibilem ita se habet, sicut esse ad Essentiam, *D.* 3. a. 5. §. 1. n. 1.

Intelligere actualissimum unà cum esse à se, est constitutivum Divinæ essentiæ, a. 5. §. 3. n. 10. & seqq.

Intelligere constitutivum Divinæ naturæ, quomodo differat à scientia attributali? *D.* 11. a. 2. n. 11. 12. 13.

Intelligibile.

Intelligibilis linea in DEO non dividitur in radicalem & actualem, §. 2. n. 18. & seq.

Intelligibilitas.

Intelligibilitas quomodo consequatur rationem actûs puri. *D.* 11. a. 2. n. 8.

Invidia.

Invidia non fuit primum peccatum Angeli, Tr. 3. *D.* 34. a. 3. n. 11.

Justus.

Justis quomodo omnia cooperentur in bonum Tr. 1. *D.* 18. a. 4. n. 12.

L.

Libertas.

Libertas arbitrii nullum patitur præjudicium ex efficacia Decreti prædefinientis Tr. 1. D. 13. a. 2. n. 28.

Libertas Divinæ voluntatis est de fide, D. 16. in prol.

Libertas Divina non superaddit actûs necessitati perfectionem modalem, D. 16. a. 1. n. 2. neque denominationem extrinsecam, n. 3. neque

que respectum rationis, n. 4. neque complementum intrinsecum ab actione, vel effectu creato petitum, n. 5. & seq.
Libertatis definitio, a. 2. n. 1.
Differentia inter libertatem creatam & increatam, n. 2.
Libertatis Divinæ indifferentia est actualis & activa, n. 3.
Libertas Divina in quonam adæquatè consistat? num. 4.
Liberi Decreti terminatio potuit non esse objectivè, non subjectivè, n. 6.
Ejus contingentia nihilominùs est subjectiva perfectio, n. 7.
Libertas creata non tollitur per decreta prædefinientia, D. 17. a. 2. n. 32.
Libertatis creatæ concordia cum Decretis intrinsecè efficacibus ostenditur, a. 3. n. 2. & seq.
Liberi actus non continentur intra objectum proportionatum intellectûs Angelici, Tr. 3. D. 30. a. 6. n. 6.

Liber.

Liber vitæ datur in Deo, non liber mortis, D. 19. a. 2. n. 4.

Locus.

Loci Theologici qui, & quot sint? Tr. 1. D. 1. a. 7. §. 1.

Locutio.

Locutio Angelorum quomodo fiat? Tr. 3. D. 36. a. 1. n. 1. 2.

Lucifer.

Luciter seduxit alios Angelos, D. 34. a. 4. n. 14.
Fuit primus dignitate inter omnes, n. 15.

Lumen.

Lumen gloriæ est tantùm similitudo participativa Divinæ Essentiæ, Tr. 1. D. 7. a. 1. §. 4. n. 13.
Luminis gloriæ diversæ acceptiones, D. 8. art. 1. §. 1. n. 2. ejus necessitas ex fide adstruitur, ibid. n. 1.
Per modum habitûs elevat intellectum ad videndum Deum, n. 3. & seqq.
Disponit intellectum ad intelligibilem unionem cum Divina Essentia, §. 2. n. 8.
Sine lumine gloriæ nec per absolutam potentiam potest videri Divina Essentia, a. 2. §. 1. n. 1. & seqq.
Lumen gloriæ præstantiâ cedit soli gratiæ sanctificanti, a. 2. §. 3. n. 16.
Non est formaliter ipsa unio Divinæ Essentiæ cum intellectu Beati, n. 17.
Est necessarium etiam ad recipiendam visionem, num. 18.
Luminis gloriæ major perfectio est ratio perfectioris visionis, D. 9. a. 1. §. 2. n. 5.
Est proxima ratio videndi plures creaturas possibiles, D. 10. a. 2. §. 3. n. 17.

M.

Magi.

Magi Ægyptij quomodo potuerint virgas in serpentes & aquam in sanguinem convertere? Tr. 3. D. 28. a. 1. n. 11.
Magicæ metamorphoses quomodo contingant? num. 12.

Mala. Malitia.

Mala quomodo cognoscantur à Deo? Tract. 1. D. 11. a. 4. n. 34. & seq.
Malitia formalis peccati quomodo constituatur in esse futuro? D. 13. a. 1. n. 36.
Non videtur in decreto positivo, sed permissivo, a. 3. n. 4. & 6.

MARIA.

Maria Virgo in hâc vitâ probabiliter vidit Divinam essentiam, Tr. 1. D. 6. a. 3. n. 5.

Martinezius.

Martinezij doctrina de intrinsecâ efficaciâ decretorum refellitur, Tr. 1. D. 17. a. 2. n. 1.

Materia.

Materia spiritualis exploditur, Tr. 3. D. 27. n. 5.

Medium.

Medium cognitum non repugnat visioni objecti, ut in se est, Tr. 1. D. 10. a. 2. n. 13.

Mercurius.

Mercurius Trismegistus an & unde agnoverit Mysterium SS. Trinitatis? Tr. 2. D. 20. a. 2. n. 8. 20

Meritum.

Meritum Angelorum. Vide *Angeli.*

Missio.

Missio Divinarum personarum exponitur, Tr. 2. D. 26. a. 3. n. 1. dividitur in visibilem, & invisibilem, n. 2. Invisibilis fit per gratiam & charitatem, n. 3. non fit per dona naturalia, V. *Personæ.* Non omnis missio supponit productionem missi, nec est adæquatè temporalis, n. 4. Missio Christi in Eucharistiâ qualis sit? n. 5. Missio etiam fit per augmentum gratiæ, n. 9.

Modus.

Modus cognoscendi quo sensu sequatur modum essendi, Tr. 1. D. 6. a. 4. n. 2.

Moventia. Motus.

In moventibus per se subordinatis implicat processus in infinitum. Tr. 1 D. 2. a. 2. n. 10.
Motus est medium demonstrandi existentiam Dei, n. 16.

Multitudo.

Multitudo destruit perfectionem, Tract. 1. D. 5 a. 1. n. 12.

Mundus.

Mundi tabula probat existentiam Dei, Tract. 1. D. 2. a. 2. n. 25.

Mutatio. Mutabilitas.

Mutatio & Mutabilitas rerum exponitur; Tr. 1. D. 5. a. 6. n. 1.

N.

Natura.

Natura non est propriè relativa, Tr. 1. D. 3. a. 1. n. 16. Natura Dei est infinita radicaliter, D. 3. a. 2. n. 10. Natura & attributa Dei in aseitate tantùm conveniunt implicitè, D. 3. a. 3. n. 14. Natura Divina sub ratione naturæ virtualiter distinctæ ab attributis & relationibus est forma intelligibilis, a. 5. n. 2.
Natura Divina formaliter implicitè includitur in relationibus, & attributis, D. 4. a. 5. n. 1. & seq.
Natura Divina est principium radicale processionum, Tr. 2. D. 21. a. 3. n. 19.

Naturæ similitudo in generatione viventis salvanda est in gradu specifico, *D.* 22. a. 1. n. 7.
Natura secundùm Concilia & Patres est communis omnibus Personis, n. 8. primariò non significat fœcunditatem, n. 10.
Natura Divina relatione Paternitatis sit inadæquatè incomunicabilis, Tr. 2. *D.* 24. a. 2. n. 11.

Necessitas.

Necessitas Theologiæ, Vide *Theologia.*
Necessitas consequens non obest Divino Dominio & libertati, Tr. 1. *D.* 10. a. 1. n. 26.
Necessitas causata ex suppositione antecedenti non ideo est necessitas antecedens, *D.* 17. a. 2. num. 33.

Nomen.

Nomen de Deo quomodo dari possit, Tr. 1. *D.* 10. a. 3. n. 21. & seqq.
Nomina primæ Personæ in Divinis sunt tria: Pater, Principium, & Ingenitus, Tr. 2. *D.* 26. a. 1. n. 1.
Nomina secundæ Personæ, Verbum, Filius, Imago, n. 5. & seqq.
Nomina quædam per appropriationem conveniunt Divinis Personis, n. 7.
Nomina Spiritûs Sancti, a. 2. n. 7. & seqq. Vide *Spiritus Sanctus.*

Notio.

Notiones quid & quot sint in Divinis, Tr. 2. *D.* 25. a. 2. n. 1. 2.

Notitia.

Notitia DEI est hominibus à naturâ radicaliter indita, Tr. 1. D. 2. a. 1. n. 2.

Numerus.

Numerus electorum est certus certitudine causalitatis, Tr. 1. *D.* 18. a. 2. n. 7.

O.

Objectum.

Objectum actui intellectûs necessariò non præsupponitur, Tr. 1. *D.* 3. a. 4. n. 24.

Operatio. Operari.

Operatio prima vitalis in Deo non distinguitur virtualiter à naturâ, Tr. 1. D. 3. a. 1. n. 15.
Operatio illimitata non necessariò præsupponit principium, Tr. 1. D. 3. a. 4. n. 25.
Operatio ut sic est ultimus actus operantis, ibid. num. 28.
Operari radicale & primarium non sequitur ad esse, a. 5. n. 16.

Opinio.

Opinativa principia in multis differunt à fidei principiis, Tr. 1. D. 1. a. 2. n. 7.

Ordo.

Ordo Divinæ Providentiæ requirit infinitam certitudinem, Tr. 1. D. 17. a. 2. n. 15.
Ordines novem Angelorum exponuntur, Tr. 3. D. 36. a. 2. n. 5.

Originale.

Originale peccatum est causa adæquata reprobationis negativæ respectu hominum, Tract. 1. D. 19. a. 1. n. 14. aliquo modo etiam est effectus reprobationis, n. 13.

Origo

Origines non constituunt Divinas Personas, Tract. 2. D. 25. a. 1. n. 2. non sunt notiones, a. 2. n. 3.

P.

Pars.

Partibus extra lineam quantitatis ea conveniunt collectivè, quæ distributivè, Tract. 1. D. 2. a. 2. n. 20.

Pater.

Pater etiam sine filiatione est infinitè perfectus, Tr. 2. D. 23. a. 3. n. 6. V. *Persona.*

Paternitas.

Paternitas tantùm sub exercitio referendi facit explicitè concipi Patrem, Tr. 2. D. 25. a. 1. n. 7.

Peccatum.

Peccati materiale est à Deo, non autem formale, Tr. 1. D. 13. a. 3. n. 1. ejus malitia formalis non videtur in decreto positivo, sed permissivo, n. 4. & 6.
Peccati materiale videtur in decreto positivo, num. 5.
Peccatum originale probabiliter est causa adæquata reprobationis respectu hominû, D. 19. a. 1. n. 11. & seqq. an dici possit effectus reprobationis? n. 13. Vide *Originale.*
Peccata semel remissa non sunt effectus reprobationis, n. 2.
Peccata spiritualia quoad affectum, alia quoad reatum possunt esse in Angelis, Tr. 3. D. 32. a. 3. n. 2.
Peccatum primum Angeli fuit peccatum superbiæ, n. 2. & seq. non luxuria spiritualis, n. 10. nec inobedientia, vel invidia, n. 11.

Perfectio.

Perfectionis datur triplex genus, Tr. 1. D. 5. a. 1. n. 1. Conditiones ad perfectionem simpliciter simplicem requisitæ, ib. n. 3. & seq.
Perfectio juxta S. D. est de absolutis, Tr. 2. D. 23. a. 3. n. 3. dicitur ab actu, n. 2.
Perfectiones, in Divinis multiplicari non possunt, n. 8. & seq.
Perfectio an benè accipiatur pro integritate, n. 21

Permissio.

Permissio peccati finalis est potissimus effectus reprobationis, Tr. 1. D. 19. a. 2. n. 2.
Permissio peccati non est effectus prædestinationis, *D.* 18. a. 4. n. 7.
Permissio peccati personalis est effectus reprobationis, D. 19. a. 1. n. 6.

Persona.

Personæ Divinæ in esse visibili nullam habent oppositionem, Tr. 1. D. 10. a. 1. n. 23.
Personæ Divinæ an dici possint voluntate vel voluntariè produci? Tract. 2. D. 22. a. 2. n. 21. Vide *Processio.*
Personæ Divinæ in quantum opponuntur non exprimunt perfectionem, D. 23. a. 2. n. 7.
Plures Personæ non sunt aliquid perfectius, quàm una, n. 13.
Persona quid significet? D. 25. in prol.
Personæ Divinæ qualiter admittant constitutivum, D. 25. a. 1. n. 1.
Personæ constituuntur relationibus, n. 3. non transcendentalibus, n. 4. sed formalibus, num. 5.

Per-

Persona quomodo prædicetur de singulis Divinis Personis, D. 25. a. 2. n. 14.
Personarum Divinarum summa similitudo & æqualitas, a. 2. n. 6.
Earum circuminsessio, n. 7.
Persona prima in Divinis habet tria nomina : Pater, Principium, Ingenitus, D. 26. a. 1. n. 1. An & quomodo conveniat ipsi nomen Authoris, n. 3.
Personæ secundæ nomina sunt Verbum, Filius, Imago, n. 5. & seq V. *Verbum.*
Personæ tertiæ nomina propria & appropriata, a. 2. n. 1. & seq. V. *Spiritus S.*
Persona utraque Patris & Filij constituũt unum principium spirandi, sũtque unus Spirator, licèt sint duo spirantes, D. 26. a. 2. n. 19.
Persona Divinæ non mittuntur per dona naturalia, a. 3. n. 7. neque per gratias gratis datas, gratias actuales, vel habitus & actus informes, num. 8.
Persona missa fit præsens per gratiam in esse cognito, per cognitionem experimentalem, n. 10. Vide *Missio.*

Petrus.

Petrus Tolensis refellitur, T. 1. D. 17. a. 2. n. 28.

Philosophus.

Philosophi Gentiles an agnoverint mysterium SS. Trinitatis? Tr. 2. D. 20. a. 1. n. 7. & seq.

Pœna.

Pœna sensus, quam spiritus damnati patiuntur, non consistit in apprehensione ignis, ut nocivi, Tr. 3, D. 35. a. 2. n. 6. neque in mediata productione tristitiæ, n. 7. neque in productione caloris intra substantiam spiritûs, n. 8. neque in productione qualitatis tædantis, n. 9. sed in alligatione ad ignem infernalem, violenter impediente spiritum à connaturali operatione, n. 10. & seqq.

Possibilitas.

Possibilitas entis necessarii infert existentiam Dei, Tr. 1. D. 16. n. 23.
Possibilitas creaturarum dependet à dictamine Divinæ Sapientiæ, D. 5. a. 3. n. 4. V. *Possibilia. Creaturæ.*
Possibilia in cõmuni necessariò videntur in Deo, D. 10. a. 3. n. 1. Omnia videri nequeunt, quia comprehenderetur Divina omnipotentia, n. 7.
Omnia possibilia collectivè adæquarent Divinam Omnipotentiam, n. 12.
Possibilia non existentia quomodo habeant cognoscibilitatem, D. 11. a. 4. n. 5. & seq.

Potentia.

Potentia executiva in Deo non distinguitur virtualiter ab ejus scientia practica, Tr. 1. D. 12. a. 1. n. 7.
Potentia intellectiva etiam potest esse effectiva, D. 12. a. 1. n. 9.
Potentia ad actus notionales tantùm virtualiter ab ipsis distinguitur, Tr. 2. D. 21. a. 3. n. 27.
Potentia loco motiva Angeli non distinguitur ab ipsius intellectu practico, Tr. 3. D. 28. a. 3. n. 12
Potentia obedientialis proximè activa impugnatur, Tr. 1. D. 8. a. 2. n. 8. & seq.

Prædefinitio.

Prædefinitiones physicæ ad actus bonos dantur, Tr. 1. D. 17. a. 2. n. 16.

Prædeterminatio.

Prædeterminationi ad materiale peccati an quis teneatur resistere? Tr. 1. D. 17. a. 2. n. 40.

Prædestinatio.

Prædestinationis existentia, & natura, Tract. 1. D. 18. a. 2. n. 1. & seqq. consistit formaliter in actu imperij, n. 3. subjectum ipsius est creatura rationalis, n. 5.
Prædestinationis finis est gloria : objectum immediatum media ad gloriam, n. 6.
Prædestinatorum numerus est certus certitudine causalitatis & prædefinitionis, n. 7.
Prædestinationis effectus quales requirat conditiones, D. 18. a. 4. n. 1. quinam sint effectus ipsius ? n. 2. & seqq.
Prædestinationis ordo, & œconomia, D. 19. a. 2. n. 6.

Prædicatio.

Prædicatio, *DEUS est Pater*, quo sensu non sit per se formalis. Tr. 2. D. 23. a. 3. n. 8.
Prædicandi pluraliter, vel singulariter in Divinis regulæ, Tr. 2. D. 25. a. 2. n. 7. & seqq.

Præsentia DEI.

Præsentia DEI reducitur in ipsius operationem, Tr. 1. D. 5. a. 4. n. 10.

Principium.

Principium quo est principaliter assimilativum, Tr. 2, D. 21. a. 3. n. 17. Ideò Principium quo Divinarum processionum in recto dicit formam absolutam, & relationem in obliquo per modum complementi, n. 16. & 18.
Principium radicale processionum est natura Divina, n. 19.
Principium quo formale proximum sunt intellectus & voluntas, n. 20.
Principium quo sensu tribuatur Primæ Personæ, Tr. 2. D. 26. a. 1. n. 2.

Processio.

Processio quid significat? Tr. 2. D. 21. a. 1. n. 1. Veritas Catholica de existentia processionum, n. 2. illarum ratio, & numerus, n 3. & 4.
Processio non infert dependentiam in Persona procedente, n. 6.
Processiones sunt veræ actiones demptis imperfectionibus, a. 2. n. 1. & seqq.
Processiones activæ cum relationibus principiorum identificantur inadæquatè, n. 10.
Processionum Divinarum immediatum principium quo non est natura fœcunda, a. 3. n. 3. & seqq. neque adæquatum principium consistit in absoluto, n. 6. & seqq. neque in pura relatione, n. 10. & seqq. sed est forma absoluta in recto, & relativa in obliquo, n. 16.
Processio Verbi cur sit prior origine, quàm Processio Spiritus S. n. 24.
Processiones omnes inter se formaliter, non omnes realiter distinguuntur, Tr. 2. D. 22. a. 2. n. 19. Non sunt ex nihilo, n. 22.
Processio Spiritûs S. ab utroque contra Græcos asseritur, D. 26. a. 2. n. 6. & seqq.

Propositio.

Propositio per se nota rectè dividitur in per se no-

notam quoad se, & quoad nos, Tract. 1. D. 2. a. 1. n. 2.
Propositiones de futuris contingentibus non habent intrinsecè determinatam veritatem, vel falsitatem, Tr. 1. D. 13. a. 1. n. 16. & seq. n. 26.
Propositio de futuro quomodo differat à propositione de inesse, n. 18.
Propositiones de futuris contingentibus ante Decretum DEI sunt simpliciter falsæ n. 23.
Propositio disjunctiva: *Antichristus vel erit, vel non erit*, qualem habeat sensum? n. 24.
Propositiones conditionales non patiuntur se explicari per concomitantiã, Tr. 1. D. 14. a. 2. n. 3

Providentia.

Providentiæ Divinæ existentia, definitio, & essentia, Tr. 1. D. 18. a. 1. n. 1. & seqq.
Providentiæ partes non subjectivæ, sed objectivæ sunt prædestinatio & reprobatio, D. 18. in prol. est actus rationis practicæ, n. 4. & circa media ad finem, n. 5. datur de rebus minutissimis, n. 6.
Providẽtia specialis est circa creaturas rationales, n. 7. diversa ratione circa bonos & malos, n. 8.
An Providentia Divina semper assequatur finẽ? n. 9

R.

Raptus.

Raptus ad Divinam visionem non necessariò impedit omnem operationem sensibilem, Tr. 1. D. 6. a. 3. n. 12.

Relatio.

Relationum Divinarum realitas fide & ratione docetur, Tr. 2. D. 23. a. 1. n. 1. & seq.
Relationum quaternarius numerus. n. 4. realiter distinctarum ternarius, n. 5.
Relationes Divinæ non distinguuntur realiter propter terminos adæquatos formaliter diversos, sed propter oppositionem relativam, n. 6.
Relationes formaliter includuntur in essentia per modum termini essentialis, a. 2. n. 6. quæ inclusio fit secundùm conceptum implicitum, num. 7.
Relatio secundùm esse nullam dicit perfectionem, D. 23. a. 3. n. 2.
Relationes Divinæ non sunt transcendentales, num. 15.
Relativo generi non convenit infinitudo, n. 16.
Relationis esse quidditativum non est esse existentiæ, sed ad *aliud*, D. 24. a. 1. n. 13.
Relationes *Divinæ* sunt rationes subsistendi incommunicabiliter, D. 24. a. 2. n. 13.
Relationis Divinæ ratio differentialis tantùm inadæquata est esse ad, n. 8.
Relatio per incommunicabilitatem est prima radix distinguendi personam, n. 9.

Reprobatio.

Reprobationis definitio, D. 19. in prol. Ejus congruentia & natura, a. 1. n. 1, 2.
Dividitur in positivam, & negativam, n. 3.
Reprobatio positiva sequitur prævisionem demeritorum, n. 4.
Reprobatio negativa præcedit prævisionem peccati personalis in reprobo, n. 5.
Per illam nemini fit injuria, n. 7.
Reprobatio comparativa non habet alium titulũ, quàm rationabilem Dei voluntatem, n. 9.
Ad reprobationem negativam per se sufficit titulus beneficij indebiti, n. 10.
In hominum reprobatione probabiliter accessit titulus peccati originalis, n. 11. & seq.
Reprobationis rigorosè sumptus est unicus effectus, D. 19. a. 2. n. 1.
Ejusdem effectus latiùs sumpti, quinam sint? n. 2. & seqq.
Reprobationis certitudo nititur decretis permissivis, n. 5.

Revelatio.

Revelatio virtualis aliquando ad fidem, aliquando ad Theologiam pertinet, Tr. 1. D. 1. a. 2. n. 6.
Est ratio formalis sub quâ in objecto Theologiæ, a. 5. n. 2. & seq.

S.

Scientia.

Scientia inevidens potest consistere cum habitu fidei, Tr. 1. D. 1. a. 2. n. 4.
Requisita ad Scientiam propriè dictam, ibid. n. 1.
Scientiæ sub ratione infallibilitatis sunt etiam de singularibus, n. 5.
Scientia semper requirit aliquam evidentiam, a. 3. n. 3.
Scientiæ subalternatæ requisita, a. 4. n. 1.
Non omnis scientia est subalternans, vel subalternata, n. 5.
Scientia quomodò sit cognitio per causam, D. 11. a. 2. n. 9.
Scientia ab essentia virtualiter distincta in Deo adstruitur, n. 10.
Scientiæ & intellectionis constitutivæ Divinæ naturæ differentia, n. 11. 12. 13.
Scientific cognitio non impeditur per rationem entis à se, n. 15.
Scientia à posteriori removetur à Deo, n. 19.
Scientia suimet intelligere nõ datur in Deo, n. 22
Scientiæ Divinæ variæ prædicata, n. 18.
Scientia Divina est causa rerum non tantùm directiva, sed etiam effectiva, D. 12. a. 1. n. 1. & seq.
Habet efficaciam causandi ex conjunctione cum voluntate, n. 6.
Scientia practica in Deo non distinguitur virtualiter à Potentia executiva, D. 12. a. 1. n. 7.
Scientia adæquatè dividitur in simplicis intelligentiæ, & visionis, D. 12. a. 2. n. 12.
Earundem differentia, a. 2. n. 3. 4.
Scientia *Visionis* sola est causa rerum in actu secundo, n. 5.
Scientia simplicis intelligentiæ quomodo se objecto respiciat veram existentiam? n. 7.
Scientia visionis continet actum imperij, quo creaturæ producuntur, n. 10.
Scientia, quæ est causa rerum, est scientia approbationis, n. 8.
Scientia visionis non supponit objectum, n. 18.
Scientiæ Divinæ certitudo non salvatur per præsentialitatem futurorum in æternitate, D. 13. a. 1. n. 4.
Scientia de futuris contingentibus quænam detur, n. 14.
Scientia de futuris contingentibus in Deo est admittenda, D. 14. a. 1. n. 3.
Scientiæ mediæ doctrina exponitur, D. 14. a. 1. n. 4. 5. 6.

Confutatur, n. 7. 8. 9. & seq.
Objectum ipsius implicat, n. 7. & foret casuale, num. 10.
Scientia media infert præjudicium Divinæ Omnipotentiæ, Dominio, providentiæ, n. 11. 12.
Sicut & efficaci gratiæ, n. 13. nec est necessaria pro gubernatione universi, n. 14.
An scientia media sit conformis S. Scripturæ? D. 14. a. 2. toto.
Scientia media discordat à doctrina D. Augustini, a. 3. n. 1. & seq.
Præsertim in explicanda efficacia gratiæ, n. 7. in prima ratione Discretionis, n. 8. in certitudine prædestinationis, n. 9. in supremo Dominio Dei supra nostras voluntates, n. 10. 12.
in impedibilitate Divinæ voluntatis, n. 11.
in explicatione futuritionis, n. 12. in concordia liberi arbitrii cum prædestinatione, n. 13. in intrinseca efficacia decretorum, n. 14.
in modo solvendi argumenta semipelagianorum, n. 15.
Scientia media non convenit cum Doctrina D. Thomæ, a. 4. per totum.
Scientiæ mediæ nulla est utilitas, ibid. n. 6.
Scientia futurorum Contingentium conditionatorum an pertineat ad scientiam visionis, vel simplicis intelligentiæ? n. 6.
Scientiæ mediæ & prædeterminationum concordia nec quicquam tentata, D. 17. a. 3. n. 9.

Scriptura.

Scriptura Sacra ex quadruplici sensu Theologico præbet argumentum, Tr. 1. D. 1. a. 7. n. 6. & seq.
S. Scriptura non favet scientiæ mediæ D. 14. a. 2. n. 1. & seq.

Scotus.

Scoti sententia de distinctione Divinarum perfectionũ ex natura rei impugnatur, D. 4. a. 1. n. 9
Scotistica distinctio ponit formalem multitudinem & suppositionem in Deo, n. 15. & seq.
Scotistarum sententia de processione Spiritûs S. impugnatur, Tr. 2. D. 26. a. 2. n. 9. & seq.

Secreta.

Secreta cordium naturaliter ab Angelo non cognoscuntur sine speciali directione vel revelatione, Tr. 3. D. 30. a. 6. n. 2. & seqq.

Sibyllæ.

Sibyllæ quo lumine agnoverint & ediderint mysterium SS. Trinitatis, Tr. 2. D. 20. a. 2. n. 9. 21.

Similitudo.

Similitudo intelligibilis objecti tripliciter datur, D. 7. a. 1. n. 1.
Similitudo & æqualitas in Divinis non est petenda ex prædicatis notionalibus, D. 22. a. 1. num. 5.
Similitudo naturæ in generatione viventis salvari debet secundùm gradum specificum, n. 7.

Simplicitas.

Simplicitatis definitio & divisio, D 5. a. 2. n. 1. 2.
Simplicitas analogicè abstracta à Deo & creaturis non est perfectio simpliciter simplex, D. 5. a. 2. n. 16.

Species.

Species materiales in repræsentando possunt gignere cognitionem spiritualem, D. 2. a. 2. n. 5.
Specici impressæ natura, D. 7. a. 1. n. 1. & seqq.
Species impressa in Visione Divinæ essentiæ implicat, n. 5.
Species est principium vitale non ut *quod*, sed ut *quo* & pertinet ad objectum motivum, a. 2. num. 14. 15.
Speciei expressæ natura exponitur, a. 3. n. 1. & se.
Species intelligibiles Angeli sunt infusæ, Tr. 3. D. 29. a. 1. n. 5. & seq. V. *Angelus.*
Dantur species universales in repræsentando, a. 2. n. 1. 2. & dicunt perfectionem, n. 3.
Species intelligibiles Angeli sunt universales, n. 4. & in perfectiori universaliores, n. 5.
Species intelligibilis sumit unitatem ab objecto in esse objecti, n. 8.
Species intelligibiles animæ Christi sunt perfectiores Angelicis quoad multitudinem cognitorum, D. 30. a. 5. n. 6.

Spiritus.

Spiritus S. etiam ex amore creaturarum possibilium procedit, D. 15. a. 2. n. 7.
Ex vi suæ processionis procedit, ut amor subsistens, a. 2. n. 16.
Non procedit liberè, a. 2. n. 20.
Spiritûs S. nomina, D. 26. a. 2. n. 1. 2. 3. 4.
Illius processio ab utroque contra Græcos defenditur, ibid. n. 6. & seqq.
Spiritum S. distingui à Filio dependenter à processione contra Scotistas ostenditur, n. 11. & s.
Per se procedit à duobus suppositis, tanquam uno principio, n. 16.
Spiritiva virtus an adæquatè reperiatur in Patre? D. 26. a. 2. n. 17.
Spiritus S. non mittit, sed mittitur, a. 3. n. 6.

Subalternatio.

Subalternatio Theologiæ differt à subalternatione habituum naturalium, Tr. 1. D. 1. a. 4. n. 7.

Substantia.

Substantia spiritualis tantùm in loco constituitur per contactum virtutis, D. 5. a. 4. n. 6.
Creata supernaturalis implicat, D. 6. a. 4. n. 12.
Substantiæ increatæ ratio quomodo participetur à creaturis, n. 15.
Ratio substantiæ quomodò à creatura participetur in ordine naturali, n. 17.
Substantia spiritualis non intellectiva implicat, D. 11. a. 1. n. 15.
Purè corporea, & intellectiva pariter implicat, num. 18.
Substantia prædestinati non est effectus prædestinationis, D. 18. a. 4. n. 3.
Substantia immediatè operativa in ordine intelligibili quo sensu possit admitti? n. 5.

Subsistentia.

Subsistentia quid significet? T. 2. D. 24. a. 2. n. 1. 2
Tres subsistentiæ relativæ in Divinis adstruuntur, n. 3. & seqq.
Subsistentiæ creatæ & increatæ diversitas, n. 10.
Subsistentia an & quomodo sit ultimus terminus? n. 12. Una absoluta adstruitur, n. 14.
Non est prorsus idem cum Hypostasi, n. 18.

Suppositio.

Suppositio antecedens inimpedibilis non semper causat necessitatẽ antecedentẽ, D. 17. a. 2. n. 33

Superbia.

Superbia generaliter & specificè accipitur, Tr. 3

D.34.a.3. n.4. Fuit primum peccatum Angeli, n.5. & seqq.
Superbia, quæ fuit primum Angeli peccatum, habuit pro objecto propriam beatitudinem naturalem, a.4. n.3.

T.

Theologia.

Theologia alia est de objectis formaliter; alia de virtualiter revelatis, Tr.1. D.1. a.1. n.2.
Quid sit Theologia Beatorum matutina, & vespertina? ibid. n.4.
Theologiæ variæ divisiones, ib. n.5.6.7.
Theologiæ initium, status & progressus, ib. §.2. n.8. & seqq.
Theologiæ SS. DD. varij ex Ord. S. Bened. n.13.
Theologia Scholastica quoad substantiam est simpliciter necessaria toti Ecclesiæ pro singulis, non tamē in singulis fidelibus, ib. §.3. n.18.
Est necessaria ad melius esse secundùm Methodū Scholasticam, n.21. Sicut etiam ad cognoscendas quasdam veritates naturales, n.22.
Theologia est vera, & propriè dicta scientia, ib. a.2.
Habet evidentiam solùm radicalem, ideóque potest cum fide consistere, n.4. & a.3. n.4.
Theologica conclusio hæresi virtualiter & mediatè opponitur, n.8.
Theologia nullam habet formalem evidentiā luminis supernaturalis, vel naturalis, a.3. §.1. n.1.
Theologiæ competit inevidentia non privativa, sed negativa, n.6.
Theologia habet aliquam subalternationem ad scientiam beatam, a.4. §.1. n.2. non tamen rigorosam, n.3.
Theologiæ objectum formale quod est Deus virtualiter revelabilis, a.5. §.1. n.2. & seq.
Theologiæ objectum materiale est ens virtualiter revelatum, n.5.
Theologiæ Scholasticæ definitio, §.3. n.10.
Theologia est sapientia, ib. n.11.
Theologia non est intrinsecè, sed extrinsecè supernaturalis, Tr.1. D.1. a.6. §.1. n.1.
Theologicus assensus proximè causatur ab assensu præmissarum, n.2.
Theologia est simul formaliter eminenter speculativa & practica, §.2. n.4. principaliùs tamen speculativa, quàm practica, n.7.
Est dignior & certior alijs scientijs, §.3. n.8.
Non manet in hæretico, §.4. n.10. manet in patria, n.11.
Est una specie infimâ, n.12.
Theologia est argumentiva, a.7. n.1.
Theologici loci ad argumentandum quinam, & quot sint? a.7. §.1.

D. Thomas.

D. Thomæ mens circa scientiam mediam expenditur, ejúsque doctrinam huic scientiæ repugnare ostenditur, a.4. per totum.

Thomistæ.

Thomistæ aliqui negantes scientiam futurorum conditionatorum exponuntur, D.14.a.1.n.2.

Transcendentia.

Transcendentia omnium prædicatorum in Divinis nullam infert absurditatē, D.4.a.5.§.2.n.10

Tridentinum Conc.

Tridentini Concilij definitio non obest decretis prædefinientibus, D.17. a.2. n.37.

Trinitas.

Trinitatis SS. Mysterium non obest Divinæ simplicitati, D.5. a.2. §.2. n.18.
SS. Trinitas per varias hæreses impugnata, Tr.2. D.20. a.1. n.1. & seq.
Ejus Catholica veritas è Conciliis & Symbolis.
SS. Trinitatis Confessio S. Gregorio Thaumaturgo per B. V. revelata, n.8.
Indicatur in Veteri Testamento, n.9. & seqq. & in Novo promulgatur, n.15. & seqq.
Fuit implantata nomini tetragrammato, n.13.
SS. Trinitatis Mysterium non est contra rationem naturalem, a.2. n.2. & seq.
Est tamen supra rationem naturalem, & lumine naturali nec probabiliter cognoscibile, n.14. & seqq.
SS. Trinitatis Mysterium quomodo indicatum in Scripturis Philosophorum & Sybillarum, n.7.8.9.
Dantur in natura congruentiæ explicativæ Trinitatis, n.18.
Trinitatis cognitio non daretur in statu puræ Naturæ, n.24.

U.

Ubicatio.

Ubicatio intrinseca rejicitur, D.5. a.5. §.1.n.1.

Ubiquitas.

Ubiquitas Dei est nulli creaturæ communicabilis, D.5. a.5. §.3. n.11.

Verbum.

Quid sit Verbum mentis Divinæ, D.7. a.3. §.1. n.1. & seq.
Verbum non esset ejusdem rationis ablatis possibilibus, n.10.
Verbum mentale est signum rei cognitæ per modum imaginis. a.3. §.3. n.16.
Verbi Divini processio non differt à processione Spiritûs S. quòd ut acceptio naturæ fœcundæ, Tr.2. D.22. a.1. per totum, V. *Processio.*
Verbi Divini Processio non ideo est generatio, quia est secundùm rationem imaginis, ar.2. n.5. & seqq.
Verbi Divini Processio ideo est generatio, quia est per intellectum, & in Deo esse intelligibile ac naturale formalissimè identificantur, n.10. & seqq.
Verbum Divinum per se procedit ex cognitione omnium eorum, quæ sunt formaliter in Deo D.26. a.2. n.2. & seqq. etiam ex cognitione omnium possibilium, n.6. non autem futurorum, n.7.

Veritas.

Veritas in Deo reperitur omnibus modis, D.1. a.2. n.12.
Ut tamen invenitur in Deo, est perfectio simpliciter simplex, n.15.
Veritas futurorum contingentium non est intrinsecè determinata, D.13. a.1. n.16.
Veritas objectiva determinata futurorum contingentium antecedens Decretum Dei impugnatur, a.2. n.47. & seqq.

Verum.

Verum & intelligibile sequitur rationem entis, ex limitatione in rebus creatis, non vi propriæ lineæ, *D.* 3. a. 5. §. 3. n. 16.

Via.

Via tam bonorum, quàm malorum Angelorum constabat tribus instantibus, Tr. 3. *D.* 33. a. 3. num. 8. 9.

Virtualis distinctio.

Virtualis distinctio sufficit ad salvanda contradictoria in Divinis, *D.* 4. a. 2. §. 3. n. 8.

Virtualis distinctionis genuina explicatio & defensio. V. *Distinctio.*

Visio.

Visio beatifica est participatio Divinæ intellectionis secundùm rationem actûs primi, non secundùm rationem radicis, Tr. 1. *D.* 3. a. 4. n. 30

Visio intuitiva Dei est possibilis, & defacto datur, *D.* 6. a. 1. n. 1. & seqq.

Visionis intuitivæ Dei datur evidentia negativa, non positiva, a. 2. §. 1. & 2.

Visio Dei nec innatô, nec elicitô naturali appetitu desideratur, §. 2. n. 11.

Visio Dei in hac vita aliquibus Sanctis probabiliter fuit concessa, *D.* 6. a. 3. §. 2. n. 3. & seq.

Visio intellectualis in oculo corporeo implicat, a. 3. §. 4. n. 20.

Visio Divinæ essentiæ non admittit speciem impressam, *D.* 7. a. 1. §. 2. n. 5. & seq.

Visio creata Divinæ Essentiæ est infinita objectivè, §. 5. n. 21.

In Visione Beatifica non producitur Verbum mentis, per species expressas, a. 3. n. 4. & seqq.

Visio Beata non est propriè dictio, n. 17.

Visionis inæqualitas non est essentialis, sed accidentalis, *D.* 9. a. 1. §. 1. n. 1. & 2.

Perfectioris Visionis adæquata ratio est major perfectio luminis gloriæ, *D.* 9. a. 1. §. 2. n. 5.

Visio comprehensiva Dei implicat, *D.* 9. a. 2. §. 1. n. 2.

Est formaliter eminenter speculativa & practica, §. 1. n. 7. sed principaliùs speculativa, n. 8. eminenter complexa, n. 9. & virtualiter reflexa, n. 10. mensuratur æternitate participata, §. 3. n. 13. potest per accidens tempore mensurari, §. 3. n. 15.

Visioni debetur simplicior mensura, quàm Angelo, §. 2. n. 14.

Extra Visionem datur reflexio & memoria ipsius, §. 2. n. 11.

Visio ut beatificans debet repræsentare creaturam in particulari, *D.* 10. a. 3. §. 1. n. 2.

Potest dari Visio Dei sine visione creaturæ in particulari, n. 3.

Visioni non obest confusa repræsentatio objecti secundarij, n. 6. V. *Creaturæ. Possibilia.*

Visio Beatifica quomodo sit participatio Divinæ Scientiæ, *D.* 11. a. 2. n. 36.

Viventia.

Viventia quomodo dicantur à se moveri, Tr. 1. *D.* 2. a. 2. §. 2. n. 9.

Unio.

Unio intelligibilis quô sensu sit Metaphorica? *D.* 8. a. 1. §. 2. n. 12.

Universalitas.

Universalitas quandonam causet confusionem cognitorum? *D.* 11. a. 4. n. 33.

Universalitas intelligibilium specierum in repræsentando est possibilis, Tr. 3. *D.* 28. a. 2. n. 1. & 2. & dicit perfectionem, n. 3. de facto datur in Angelis, n. 4. 5.

Unum.

Unum & ens in Divinis dicitur tam singulariter, quàm pluraliter, *D.* 25. a. 2. n. 14.

Voluntas.

Voluntas ut præmota habet indifferentiam actualem, Tr. 1. *D.* 13. a. 2. n. 16.

Voluntatis ratio in Deo, *D.* 15. a. 1. n. 1.

Voluntatis Divinæ objectum formale & materiale, n. 4, & 5.

Voluntatis Divinæ divisio tantùm est materialis, a. 3. n. 1.

Voluntas dividitur in absolutam & conditionatam; efficacem & inefficacem, n. 2.

Voluntatis divisio in antecedentem & consequentem explicatur, n. 3. est adæquata, n. 11.

Voluntas antecedens est voluntas Beneplaciti, n. 4. & seq. nullam inducit imperfectionem, num. 8.

Voluntas antecedens & consequens aliquando conjunguntur, n. 11.

Voluntatis Divinæ libertas. V. *Libertas.*

Voluntas Divina non potest esse suspensa ab omni actu, *D.* 16. a. 2. n. 10.

Voluntas humana quomodo debeat conformari cum Divina? *D.* 17. a. 2. n. 38.

Voluntas causæ & antecedentis non semper est voluntas effectûs & consequentis, *D.* 17. a. 2. n. 41.

Voluntatis Divinæ efficacia est radix creatæ libertatis, D. 17. a. 3. n. 7.

FINIS.

Minora errata, quæ primo intuitu facilè deprehenduntur, tuæ Lector discretioni & prudentiæ committo. Cætera, quæ sensum vitiant, sic corrige.

Ex Tract. De DEO Uno.

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
6	8	*penult.*	promissam.	præmissam.
-	3	6	clarum.	chorum.
8	*col.* 1.	13	licentiam.	scientiam.
-	7	3	licentia.	scientia.
12	2	9	cùm sunt.	jam sunt.
-	5	14	*omitte*, non autem speculativum & practicum.	
14	*Summar.*	7	analogicum.	anagogicum.
20	20	1	quantitatis vum.	quantitativum.
22	*col.* 1.	5	ignorat.	ignoret?
37	*col.* 2.	14	authoribus.	authoritatibus.
40	2	18	sub.	sine.
41	3	10	continetur.	continentur.
42	4	22	vel tantùm.	non tantùm.
49	2	5	Primi, & secundi.	Primi, & tertij.
50	9	9	vel ex se.	non ex te.
54	6	14	dicit esse.	dicitur esse.
66	9	11	quod nempe.	quod neque.
116	22	3	quo cogniti.	quo incogniti?
131	33	39	positus, conc.	positus.
138	4	6	illud.	illam.
139	3	9	ut.	væ.
145	*col.* 1.	2	legi vos,	elegi vos.
148	18	8	positivo; nempe,	positivo, ubi verũ est, quod aliquando præscientia sit sine decreto: nempe.
153	*Summar.*	5	amori.	amore.
-	1	7	ipsi.	ipsũs.
160	8	6	cesset.	cessaret.
161	*in prolog.*	7	prout (ex.	(prout ex.
163	*col.* 2.	7	incomunicabiliter.	incomutabiliter.
165	6	4	decernentis.	decernenti.
168	*col.* 1.	44	alia se.	alia à se.
172	-	1	ipsorummet.	ipsummet.
173	37	9	non quod.	non quoad.
173	39	8	confitmetur in volitio,	conformetur in volito.

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
173	40	27	præmotionem.	adorationem.
174	41	16	definiente.	deficiente.
176	6	6	suæ.	suo.
177	-	1	prædeterminationem.	prædeterminationum.
184	6	11	fundatur.	fundantur.
186	13	25	gratiam & contra illos; qui.	lege: gratiam; & contra illos, qui.
193	14	23	miserabor.	miserebor.

Ex Tract. De DEO Trino.


196	*in prolog.*	7	opprimetur.	opprimatur.
197	3	11	ὁμοιωσσον.	ὁμοιόπτων.
-	-	19	Alexandrino.	Alexandro.
198	*col.* 1.	4	dele.	&.
-	-	14	Gualterium.	Gaulterium.
-	5	*ult.*	ad quod vult Deum.	ad quod vult deum.
-	6	15	Spiritum S. perfectã.	Spiritũs. perfectũ.
-	-	17	voluerunt)	voluerunt.
200	17	21	& unum, sumus.	& unum, & sumus.
201	*col.* 2.	37	aliam, non aliud.	aliud, non aliam.
207	*col.* 2.	4	realis distinctio,	realis oppositio.
208	*col.* 1.	5	sequelam in.	sequelam: in.
209	*col.* 2.	4	quæque notionalem.	quæque actum notionalem.
211	4	3	sequenti §.	sequenti an.
212	9	5	§. 3. dicemus.	D. 25. §. 2. dicemus.
213	*col.* 2.	29	Domini.	Divini.
225	1	19	dub. præter,	dub. 5. præter,
239	9	31	notione.	relatione.

Ex Tract. De Angelis.

249	*prolog.*	4	audæmones.	eudæmones.
252	2	4	art. 7.	art. 4.
256	14	12	concitare.	concitando.
259	*col.* 2.	7	milliarum.	milliarium.
263	-	16	spiritualem.	substantialem.
295	3	4	potest habere.	potest se habere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




Th
444a


DE
DVO ANGELIS, BEATI
DW
26